


Filozofia polska



IO

A

n-

A.

SU

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

P. Andrzejewicz

de

Connotatis & Constitutivis Denominationum

tribus Disputationibus

COMPREHENSA.

Authore quodam è Societate JESU THEOLOGO POLONO.

*** ** * S. ******** G. ****

LEOPOLI
Typis Collegii Societatis JESU. 1727.



F A C U L T A S

R.P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS Societatis JESU per Poloniam.

CUm Opus, quod inſcribitur: *Diſſertatio Philoſophica de Connotatis & Conſtitutivis &c.* aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Noſtro MICHAELE ANGELO TAMBURINO Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typîs mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has literas manu mea firmatas & ſigillo munitas dedi Cracoviæ 21. Junii, Anno Domini 1727.

MARTINUS TRĄPCZYNSKI
tis JESU
mpp.

APPROBATIO.

LIbrum hunc, qui intitulatur: *Dissertatio Philosophica de Connotatis, & Constitutivis Denominationum &c.* legi: & quoniam Theologorum judicio nihil contrarium Fidei Catholicæ continet, quinimo Metaphysico-Theologicas veritates luculenter demonstrat, jure merito dignum luce publica censeo, & imprimendi facultatem concedo, Leopoli in Residentia mea die 26. Mensis Julii Anno D. 1727.

JOANNES THOMAS JOSEPHOWIC
Protonotarius Apostolicus
Custos Ecclesiæ Metrop. Leopol,
S. R. M. Secretarius,
Ordinarius per Archidiæcesim
Leopolien. Librorum Censor.

❧)(o)(❧

PRÆFATIO
ad Lectorem.

Controversia de Connotatis & Constitutivis rerum, non leve rei Philosophicæ ac Theologicæ momentum est Principia & fundamenta ponit resolutoria quæstionum, quæcunq; in indaganda rerum, imprimìs autem physica quidditate versantur. Magnam ideo Philosophiæ ac Theologiæ partem pervadit. Vtraq;, suorum unaquaq; scibilium ante omnia essentiam rimatur: istius quoq; proprietates, & si quæ istarum consectaria, deniq; sive intra, sive circa essentiam sint, utraq; expendit, atq; cùm neq; ista sine sua essentia sint, in partem controversiæ veniunt, ut proinde transcendere videatur una hæc quæstio, alias prope omnes. Sententia, quæ ita controversiam dirimit, ut connotata aßerat, parcior; quæ illa negat, in designandis rerum constitutivis videtur esse profusior: præferenda esset prior alteri, si, ut de constitutivi, ita de connotati possibilitate constaret. Sed hìc Rhodus, hìc saltus est. Multis olim in hac Provincia sententia arriserat, quæ fuisse Eximii Doctoris putabatur, Connotatorum possibilitatem, etiamq; existentiam affirmans, pluribus postea negans placuit, quam Amicus, Mayron, Lugo, & cæteri asseruêre, & pro qua olim antiquitus stetit Catholica Periphathus, ut apud

Suarez

Suarez testantur Niphus & Cajetanus, atq; hac ante annos circiter 50. numero & authoritate docentium, nec non argumentorum momentis ita hic prævaluit, ut opposita in paucis, paucissimis deinde, deniq; in unico subinde hæserit, atq; ea ratione prope in obsoletam abierit. Cùm ecce Doctissimus quidam in primariis Provinciæ quà Philosophicis quà Theologicis Cathedris, de utrisq; Meritissimus Professor Connotatisticam illam sententiam planè emortuam ex præcellenti ingenio noviter adinventis, in novos spiritus animavit, animosq; suis aliquot in Theologia ac philosophia Discipulis ad illam totis viribus sustinendam adspiravit. Vivaciùs exinde in hanc & illam partem disputari cæpit. Cæterùm stat veritas inconcussa suo robore, magnis pariter ingeniis, solidisq; argumentis suffulta, atq; si quatuor aut quinque excipias, una omnium, Non proinde isti, quasi laboranti suppetias fero, sed quam olim (ut fieri assolet nullo dissentiente) in Philosophia ac Theologia prætermisi diligentiam, nunc suppleo: mihiq; & amicioribus scribo, cùm ab istis impensè perurgeor, ut publici juris faciam, quantùm otii permisêre negotia, & privatim & ferè raptim meditata. Votis desero, dum annuant suprema Arbitria: DEO interim auspice rem ipsam aggredior, atq; in Disputationes, Quæstionesq; dispertitam hoc elencho complector.

ELENCHUS
Disputationum & Quæstionum.

DISPUTATIO I.
De rerum denominationibus.

DISPUTATIO II.
De natura, multiplicitate, ac indiciis Connotati & Constitutivi.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De possibilitate connotati Antonomasticè dicti.

Quæstio 1ma. *An Connotati Antonomasticè talis impossibilitas efficaciter probetur?*

Quæstio 2da. *An Connotatorum possibilitas efficaciter à Connotatistis probetur?*

Quæstio 3tia. *An detur vel possibilis sit distinctio Connotativa?*

Quæstio 4ta. *Quid de Connotatis ut à P. Ayleworth explicatis?*

Quæstio 5ta. *Quid de sententia sententiæ Connotatisticæ & Oppositæ Combinatrice?*



DISPU-



DISPUTATIO I.

De Rerum Denominationibus.

COntroverſiæ, quæ inter Connotatiſtas, illisq; Oppoſitos intervenit, vel unicum, vel ſaltem principale ſubjectum, ſunt rerum Denominationes; huc quoq; illam noſtri Connotatiſtæ & meritò pertraxerunt. Ab illarum itaq; exactiore notitia, multa & ferè omnia hìc dependent: atq; imprimis ſtatus ipſe quæſtionis, & occurrentium in toto controverſiæ tractu terminorum, quoad ſuum ſignificatum, ac modum ſignificandi certa quædam & fixa conſtitutio, ſine qua confuſè alioqui, perplexè, & planè deſultoriè in hac materia proceditur. Congruum proinde & neceſſarium erat, præliminariter denominationum naturam, & proprietates, vix tamen inſinuatis, quæ ad Controverſiæ intentum minùs conferunt, expendere, eâdemq; operâ, quæ in progreſſu totius Controverſiæ, ab hac vel illa Parte, de illis ponuntur vel ſupponuntur, pro priori diſcutere, atq; ea ratione ad plura ſtabilienda & facilitanda, ordinatiore methodo viam ſternere planiorem.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid & quotuplex Denominatio Objectiva?

1. DEnominatio eſt, ut ſe præfert, terminus quidam abſtractus, quamvis ex uſu Recentiorum, jam ſubſtractum, ut vocat P. Ulloa, jam abſtractum; & utrumq; nunc alteri, nunc deniq; ex utroq; concretum ſignificat. Ex vi vocabuli denominatio eſt quaſi de alieno deducta, ſeu derivata rei nominatio. Communiter à Recentioribus, ut definitio, ita illa dividi ſolet in formalem, & objectivam. Formalis, inquit quidam ex Connotatiſtis, eſt actus intellectûs noſtri, quo rem denominamus. Objectiva eſt objectum talis (ſcilicet denominantis) actus, quodcunq; per illum attingitur. Utraq; explicatio non eſt recta, quia utraq; relinquit prorſus inexplicatum ly *denominamus*, *denominantis*, quod quidē in præſenti omnino intererat explicare. Prima inſuper reſtringitur ad actum intellectûs, cùm probabiliſſimum ſit etiam vocales actus, imò iſtos præ aliis, ſi ad mentem & verba Ariſtotelis, quibus uſus eſt in deſcriptione Denominativorum. 1. Categor. 1. attendimus, eſſe denominativos formales, nam differentiæ, caſuum nomina, appellationes, quorum ibi meminit, magis propriè vocales, quàm mentales actus afficiunt.

2. Secunda quoq; probari non debet, quia ut definitio objectiva (in ideam utiq; diviſi-

onis

onis & definitionis aſſumpta) non eſt quodcunq; objectum, quod per definitionem attingitur (aliàs ſenſationes & ratiocinationes, quæ per definitionem animalis, ac rationalis attinguntur, eſſent illorum definitio objectiva, ſaltem partialis) ſed ipſa res definita, illiusq; prædicata, per quæ, ut per genus & differentiam, definitur; ita denominatio objectiva non eſt quodcunq; objectum actus denominantis, ſed quod eſt res ipſa & entitas denominationis, in quocunq; demum iſta conſiſtat. Adde, quòd denominatio objectiva in duplici ſenſu ſumatur. *1mò* relatè ad actum, cujus eſt, & inquantum eſt illius objectum, ſeu, ut illi ſubſtat. *2dò*: independenter à tali reſpectu, præcisè ſecundùm ſe, & ut in ſe, ſive ſit interim cujuspiam actûs objectum, ſive nullius. Ad primum utcunq; alludit explicatio, alterum nec delibat, cùm interim ad præſens pluris referat: quid iſta ſit, quàm quid illa? edicere. Quare pro accuratiore denominationis objectivæ (de formali enim Quæſtione ſequenti) evolutione

3. Præmitto *1mò*: ad denominatinationem objectivam ſimpliciter & irreſtrictè dictam, ex omnium ſenſu tria peculiariùs requiri: ſubjectum denominationis, formam ejusdem, & iſtius applicationem. Ideo imprimis Interpretes Ariſtotelis in 1. Categor. 1. illa vocant denominativa, quòd ad denominationem peculiari quodam modo concurrant: ſubjectum quidem denominativum denominatum, ut *Cygnus*, formam dneominativum denominans, ut *albedo*, denomi-

nativum ut quo, vg. *unio albedinis cum Cygno*; denominationem autem ipſam vocant ſimpliciter & irreſtrictè, & quodammodo completè denominativum, ut *Cygnus albus &c.* Ipſimet quoq; Noviores Connotatiſtæ hæc tria dicunt requiſita immediata, ſine quibus ſcilicet denominatio nec eſſe, nec concipi poteſt, cùm ſine aliis (quæ *mediata* appellant) quamvis etiam eſſe non poſſit, bene tamen concipi poſſit. ut proinde, illis utiq; non diſſenſuris, nomine peculiaris requiſiti ad denominationem deinceps intelligendum à me ſit requiſitum eſſentiale ad eſſe illius, tale, ut ſine illo nec à nobis concipi poſſit denominatio, nec eſſe in ſe, quocunq; ex illis etiam ſolo deficiente.

4. Præmitto *2dò*: nomine ſubjecti denominationis non intelligi unicè vel determinatè ſubjectum in ſenſu phyſico (conſtat enim poſſe denominari, & actu denominari etiam Deum, negationes, impoſſibilia, quæ nullius rei ſubjectum phyſicum eſſe poſſunt) ſed in ſenſu Logico, in re, id, quod denominatur; quod quia concipitur inſtar ſubjecti phyſici, ſcilicet ut quodammodo receptivum formæ & denominationis, & determinabile per formam, ad hanc vel illam in ſpecie denominationem, ideo ſubjectum à Logicis appellatur. In iſto omnes requirunt capacitatem ad denominari (aliàs actu nunquam denominari poſſet) eamq; non remotam tantùm, ſed vel remotam, vel proximam (ad quasdam ſcilicet denominationes remotam, ad alias poſſe eſſe proximam) ob cujus defectum Chriſtum etiam ſe-

cundum

cundùm Humanitatem per gratiam ſanctificantem, non denominari Filium DEI adoptivum, quamvis ſit remotè capax per illam ita denominari, communior Noſtris fert ſententia, impeditur enim, inquiunt, ab actuali denominatione per immediatam cum Filiatione naturali Divina unionem. Intellectus quoq; Beati, quamvis capax denominari videns DEUM, non tamen ab intellectione Divina, tametſi hæc illi intrinſecê uniretur, denominaretur videns Deum ex communiore ſententia, utpote incapax denominari ab intellectione Divina. Hæc rurſus capacitatis proximitas ad aliquas denominationes requirit exiſtentiam ſubjecti, vel poſſibilitatem, ad aliquas poſſibilitatem, non exiſtentiam; ad aliquas neutram, prout forma denominans vel applicatio illius connectitur, aut non connectitur, cum exiſtentia vel poſſibilitate denominandi ſubjecti. Sunt quinimo denominationes, quæ requirunt non exiſtentiam, ut denominatio ipſa non exiſtentis, purè futuri, purè præteriti, purè poſſibilis &c. Sunt item quæ requirunt capacitatem ſubjecti ad formam, & ſimul ad illius carentiam, ut patet in denominationibus privativis. Attendi in omnibus debet, ad naturam denominationis & conceptus illius quidditativos, ſenſu communi, inductione & ratione probatos.

5. Præmitto *3tiò*: etiam nomine formæ denominantis non intelligi unicè, vel determinatè formam in ſenſu phyſico (dat enim homini denominationem corporei, formæ ſubſtan-

tiali denominationem ſubſtantialiter completæ, etiam quod eſt ſubjectum phyſicum, primum & irreceptibile ab alio, ſcilicet materia prima; multarum quoq; denominationum forma eſt DEUS, & prædicata illius, quæ nullius rei formæ phyſicæ ſunt, vel eſſe poſſunt) ſed in ſenſu Logico, illud ſcilicet, quod aliquid denominat, quod quia concipitur adinſtar formæ phyſicæ, ut quodammodo inhærens rei denominatæ, illamq; ut plurimùm determinans ad hanc vel illam in ſpecie denominationem, vocatur à Logicis forma. Iſta quoq; debet habere capacitatem ad denominare, idq; tale ſubjectum; proximam etiam, ad quam requiritur ſubinde illius exiſtentia realis actualis, ſufficit interdum moralis, poſſibilis, imò & impoſſibilis. Ad denominationes phyſicas à qualitate petibiles, ad eandem proximam capacitatem plura à pluribus requiruntur, ut notabilis qualitatis intenſio, carentia prædominantis contrarii, extenſio per majorem ſubjecti partem, duratio ſtabilis, de quibus ſæpe obvii Authores. Item in omnibus quidditas denominationis ſpectanda, & cùm in rigore Philoſophico loqui vel non permittimur, vel non expedit, regula tenenda, quam tradit Ariſtotel: 1. Topic. 2. *in rebus*, inquit, *denominandis uſus multitudinis eſt ſequendus*.

6. Præmitto *4tò*: tandem etiam per applicationem formæ ad ſubjectum non intelligi omnino localem (vel diſtantiſſima locô denominant, ut tua Cæli Empirei cognitio illud cognitum, vel viſio ſolem viſum denominat &c.) ſed

in

in ſenſu Logico, nimirum, quamcunq; illam habitudinem formæ ad ſubjectum, quæ ad denominationem ſubjecto à forma actu conferendam requiritur & ſufficit, attentâ denominationis naturâ, eritq; interdum in re vel identitas adæquata formæ denominantis cum denominato, addita diſtinctione rationis; interdum inadæquata, unio phyſica vel moralis, vel Logica, vel artificialis, merus aliquando reſpectus ad ſubjectum denominabile, tranſcendentalis vel prædicamentalis.

7. Præmitto deniq; denominationem, ut jam dixi num: 2. duplici ſenſu dici objectivam. Deinde illam ſumi vel completè, ſcilicet pro toto complexo ex omnibus illis requiſitis, vel incompletè idq; multipliciter. *imò.* ut quod, ſeu pro ſubjecto vel forma. *2dò* ut quo, ſcilicet, pro applicatione formæ ad ſubjectum. 1mo modo ſumpta iterum ſumitur vel purè materialiter, ſcilicet pro ſola ſecundùm ſe entitate ſubjecti, ut cæteris omnibus contradiſtincta, & præſcindendo tum ab applicatione formæ, tum ab ipſa forma; aut purè formaliter, aliàs in abſtracto, pro ſola entitate formæ, præſcindendo ab eo, quòd illa inſit, vel nō inſit ſubjecto; vel materialiter concretè, ſcilicet pro entitate ſubjecti applicata formæ, ut Occham & Nominales, aut formaliter concretè pro entitate formæ, ut communiter Antiqui, cum modo adhæſionis, ſeu applicata ſubjecto. In præſenti res interim eſt de denominatione completè ſumpta, ex cujus explicatione, per ſe, quid ſit de aliis dicendum, conſtabit. Hæ rurſus vel quidditativè, idq; iterum

aut

aut quidditativè Metaphysicè, seu definitivè per genus & differentiam illius: aut physicè, per sua essentialia ad esse ipsius (cùm constitutiva in controversia sint) saltem particulariter & essentialiter requisita, vel existentialiter, hoc est, quoad ipsum denominationis actuale in se dari & existere, explicari possunt, & debent. His præmissis.

8. Dico *imò*: Denominatio objectiva quoad se & completè sumpta, quidditativè Metaphysicè est esse, seu prædicatum rei unius ab altera in illam formaliter derivatum, seu ab uno alteri derivativè formaliter communicatum. Explicatur. *Esse seu prædicatum rei* super transcendentaliter accipiendum est, cùm enim ex præmissis constet & denominari, & denominare posse, non tantùm positiva, sed etiam negativa, purè possibilia, ipsa quoq; prædicata denominativa posse esse obiectivè talia, consequens est denominationem objectivam utsic esse aliquod esse vel prædicatum supertranscendentale, quod est genus remotum denominationis objectivè generalissimè sumptæ: propius & proximum est *esse prædicatum ab uno in alterum derivatum.* Jam derivari est prædicatum ab uno alteri communicari, non ita, ut omnino identicè sit illud, quod est, à quo derivatur, neq; etiam determinatè & omnino univocè simile prædicatis formæ derivantis, sed vel ita simile, vel quodammodo affine & principativè tale, cum aliqua convenientia & simul disconvenientia; *vg album esse*, est prædicatum objectivum ab albedine derivatum, non identicum vel simile albedini,

cùm neq; album ſit albedo, neq; albedo ſit aliquod album, ſed affine, & per quod albedo cum albo convenit, & diſconvenit. Convenit: albedo enim eſt certè aliquid albi, & album albedine eſt album. Diſconvenit autem, ut Authores loquuntur, in modo participationis; albedo enim per eſſentiam ſuam eſt albedo, album autem non eſt ſimpliciter & abſolutè albedo, ſed per ineſſentiam, ſeu eſt informatum albedine. Unde albedo non ita ſe illi communicat, ut tranſeat in eſſe & prædicatum ipſius, ſed ut novum illi conferat prædicatum, quod eſt eſſe albedine coloratum. Ly *formaliter derivatum* eſt differentia denominationis objectivè Metaphyſicè acceptæ, atq; ſignificat prædicatum illud debere eſſe ab aliquo, ſcilicet à forma in genere cauſæ vel quaſi cauſæ formalis, hoc eſt, per ſuam derivantis entitatem, media applicatione, & conſtituendo cum re denominata unum aliquod complexum, per quod differt, denominatio objectiva, Metaphyſicè ſumpta à prædicatis per efficientiam, aut aliam extrinſecam cauſalitatem derivatis. Per omnes etiam Antiquos, & Recentiores certum eſt denominationem objectivam eſſe effectum formalem formæ denominantis, adeoq; forma denominans eſſe debet cauſa formalis denominationis ſaltem in complexo & completè ſumptæ.

9. Definitionis ita explicatæ rectitudo probatur, ut ſolet ex conformitate ad regulas Dialecticas. Continet quippe genus proximum & differentiam ultimam denominationis objectivæ,

ut

ut patet ex dictis. Convenit omni: cui enim non? soli deinde: cui enim præterea? semper: in quo enim casu extra casum suppositionis se formaliter & immediatè tollentis? est clarior suo definito; nihil est, quod in illo inexplicatum relinquat; quid namq;? nulli sententiæ probabili, quæ non sit de ipsa definitione, (quanquam neq; de hac, saltem mihi, constat contraria & probabili) præjudiciosa; nullum deniq; vitium illius ostendi potest, nec quidquam melius in definitionem adduci: quid enim?

10. Dices non convenire omni, quia non convenit denominationi Metaphysicæ vg denominationi rationalis, quam confert rationalitas. Tum quia rationale & rationalitas, non sunt unum & alterum. Tum quia rationale non derivatur à rationalitate, cùm sit ipsamet rationalitas. Respondeo denominationes Metaphysicas esse impropriè, & tantùm imitativè atq; quoad apparentiam denominationes, pro statu intentionali, non reali; unde proportionatè unum in iis, & alterum dari, tantùm per rationem. Unius quoq; appellationem tantùm per rationem & apparentiam intentionalem derivari, inquantùm per modum formæ & subjecti concipiuntur. Quamvis verò rationale in sensu reali sit rationalitas, in sensu tamen formali, seu per rationem rationale non est rationalitas, quia hæc ab illo distinguitur per rationem saltem inadæquatè, & hæc concipitur adinstar formæ, illud ad instar subjecti.

11. Dico *2dò.* Eadem Denominatio com-

completè & phyſicè quidditativè ſumpta eſt eſſe quoddam vel modus eſſendi ad ſui conſtitutionem requirens eſſentialiter & peculiariter tria illa denominativa: ſcilicet denominatum, & denominans, nec non applicationem illorum, omnia taliter affecta, qualiter illa affici exigit natura & quidditas Metaphyſica ipſius denominationis conformiter ad præmiſſa num. 4. 5. 6. Utor terminis nulli ſententiæ, imprimis autem Connotatiſticæ præjudicioſis, illam enim peculiaritatem requiſitionis non reſtringo ad eſſe Conſtitutivi; & per ipſos Connotatiſtas poteſt aliquid requiri ad conſtitutionem rei, nec tamen eſſe Conſtitutivum rei, ac quamvis & illis & nobis certum ſit debere ſaltem ſubjectum & formam eſſe Conſtitutiva denominationis completè, imò etiam quomodocunq; ſumptæ, aliquod ſaltem unum ex iisdem denominativis, non tamen iſtud eò loci determino, ſed controverſiæ & illius deciſioni reſervo. Cùm proinde tali modo & ſenſu procedat concluſio, ut à nemine neganda, probatione non indiget: ſufficit hanc eſſe in ſenſu phyſico acceptionem termini explicati, à nemine negatam, & ut ſpero, negandam.

12. Dico *3tiò*. Denominationem eandem objectivam exiſtentialiter acceptam in re eſſe, ipſum eſſe vel dari actuale eorundem requiſitorum ſecundùm illum modum actualitatis eſſendi, quem & qualem requirit natura & quidditas denominationis Metaphyſicè ſumptæ: requiſitorum inquam, & diſtributivè, & conſequenter

colle-

collectivè omnium, denominationem enim objectivam esse & dari actualiter', est dari & esse actualiter omnia illa requisita, eo modo, quo &c. tum distributivè omnia, quocunq; enim ex illis solo deficiente ex consensu tam Connotatistarum quàm Nostrorum denominatio non datur; tum consequenter collectivè: implicat enim datis actu istiusmodi tribus omnibus & singulis, non dari quoq; collectionem ex illis. Sed denominationem objectivam existentialiter esse, est denominationem existere & dari actualiter, hoc enim non aliud per denominationem existentialiter sumptam intelligo. Ergo &c.

13. Dico *4tò*: Denominationes objectivas in ratione denominationis diversificari specificè, secundùm diversitatem formæ denominantis concretè, hoc est, cum applicatione sumptæ; pariter easdem specificè esse, quæ habent formas concretè sumptas, specie easdem. Ita communiter Authores, ac imprimis antiqui. Ratio est, quia omnes illæ denominationes, quæ à Philosophis diversæ appellantur, diversificantur, vel quia formæ illarum diversæ sunt, vel quia diversas applitiones habent. Nulla enim ostendibilis est, quæ non vel titulo formæ, vel applicationis diversæ inter se specie differant. Ita unum idemq; etiam numero, tantò magis specie subjectum, dicitur nihilominus habere specie diversas denominationes, *vg.* idem Petrus & Sanctus & doctus & albus, eò, quòd istarum denominationum formæ sint specie diversæ. Sic item denominatio cogniti & cogno-

cognoſcentis, producentis & producti, diverſæ ſunt, ob diverſas habitudines, ſeu applicationes ad ſubjecta, quamvis hæc ejusdem ſint ſpeciei, quia diverſa eſt habitudo ejusdem cognitionis ad cognoſcentem, & diverſa ad cognitum, illa eſt immanentia vitalis ſubjecto cognoſcenti, hæc eſt reſpectus tranſcendentalis extrinſecus cognito: & diverſus in actione, ad ſuum principium, à quo eſt, & ad terminum, qui ab illa eſt. E contra quamvis ſubjecta ſpecie differant, ſi tamen nec in modo applicationis, nec in ipſa forma diſſimilitudo ſpecifica reperiatur, dicuntur eandem ſpecie denominationem habere, ut Cygnus, nix, homo, paries albus, nam in denominatione albi, ita conveniunt, ut ab illis omnibus poſſit abſtrahi ratio communis albi ut ſic; quod fieri nonpoſſet, niſi ſecū perfectè in ratione albi convenirent. Idem cōfirmat communis diviſio denominationis objectivæ, quæ revera fieri ſolet ſecundùm diverſitatem formarum vel habitudinum ad ſubjecta.

14. Nota *imò*. Tranſeat, complexa, quæ vel unam partem habent ſpecie diverſam, à ſe ſpecie differre, interdum enim exiguæ vel in exigua parte differentiæ ratio non habetur: non tamen ideo differre in ratione denominationis. *2dò*. à Philophis ſubinde diverſas abſolutè & ſimpliciter denominationes appellari, quamvis non proveniant à formis realiter, ſed ſola ratione diverſis.

15. Dico deniq; denominationem objectivam *imò* aliam eſſe *realem* & *poſitivam*, cujus

for-

forma eſt ens reale & poſitivum; aliam *negativã*, cujus forma eſt pura aliqua negatio; media erit *partim poſitiva*, *partim negativa*, contradiſtincta purè poſitivæ, & purè negativæ, cujus forma partim eſt ens poſitivum, partim pura negatio. *2dò* aliam eſſe *Phyſicam*, quæ habet diſtinctam realiter adæquatè formam à ſubjecto; aliam *Metaphyſicam*, quæ habet formam realiter adæquatè identificatam ſubjecto, & ſola ratione diſtinctam. *3tiò* aliam *rigidiore ſenſu Phyſicam*, aliam *latiùs Phyſicam*. Prima eſt, quæ habet formam in ſenſu phyſico, & ſubjectum quoq; in ſenſu phyſico, ut denominatio corporis animati; ſecunda eſt, quæ habet formam & realiter diſtinctam, & phyſicè quoq; unitam ſubjecto, quorum tamen vel forma, non eſt forma in ſenſu phyſico, vel ſubjectum non eſt ſubjectum in ſenſu phyſico. *4tò*: aliam eſſe *intrinſecam* vel per identitatem, & dicetur intrinſeca identicè, vel per unionem phyſicam, & dicetur intrinſeca phyſicè; aliam *extrinſecam*, cujus forma nullam habet identitatem, vel phyſicam unionem cum ſubjecto. Utraq; ſubdividi poteſt in *purè & ſemiextrinſecam*, atq; in *purè & ſemiintrinſecam*, cujus forma proportionatè eſt ſubjecto denominato partim intrinſeca, partim extrinſeca. *5tò* aliã *ſubſtantialem*, cujus forma eſt entitative ſubſtantia; aliam *accidentalem*, cujus forma eſt phyſicum accidens. *6tò* aliam eſſe *neceſſariam*, cujus forma eſt inſeparabilis à ſubjecto, aliam *contingentem*, quæ poteſt illi adeſſe, vel ab illo abeſſe. *7mò*. aliam eſſe *immediatam*, quam Antiqui vocant de ineſ-

se,

ſe, cujus forma immediatè ineſt ſubjecto denominationis; aliam *mediatam*, quam Antiqui vocant per appoſitionem, cujus forma non ineſt immediatè ſubjecto, quod etiam denominat, ſed taliter ineſt alteri ſubjecto, quod tamen priori aliquomodo adhæreſcit, ut paries albꝰ dicitur, cui calx alba adhæret, cibus dulcis, qui melle vel ſaccaro eſt conditus. 8vò aliam *abſolutam*, quæ ſuum ſubjectum non refert ad aliud; aliam *relativam* quæ ſuum ſubjectum refert ad aliud. 9nò: aliam *ſimplicem*, quæ provenit à forma dante denominationem ex aliis denominationibus incompoſitam; aliam *miſtam*, ſeu complexam, quæ habet formam compoſitam ex pluribus formis dantibus ſeorſim diverſas denominationes, quales ſunt denominationes tepidi, fuſci, &c. Deniq; aliam eſſe denominationem *ſecundùm quid*, ſeu cum addito diminuente, ut Æthyopis albi præcisè ſecundùm dentes; aliam *ſimpliciter talem*, quæ eſt, & dicitur irreſtrictè & indiminutè, ſeu ſine aliquo diminuente. &c.

16. Quæres an denominatio objectíva completè ſumpta ſit effectus formalis formæ denominantis? Reſpondeo quòd ſit effectus formalis illius. *imò*: quia hic eſt ſenſus omnium Antiquorum & Recentiorum. *2dò* quia formæ phyſicæ effectus formalis eſt ſuum, ſeu phyſicum compoſitum. Ergo & formæ denominantis eſt effectus formalis complexum denominativum, ſeu denominatio ſaltem completè ſumpta; ut enim compoſitum phyſicum ideo dicitur effectus formalis

for-

formæ phyſicæ, quia forma phyſica ſe dat in entitatem compoſiti, ita, ut illud determinet ad certam ſpeciem compoſiti, ita forma denominans dat ſe ita in entitatem denominationis completê ſumptæ, ut illā determinet ad ſpeciem denominationis. *3tiò* quia forma denominans ex omnium ſenſu dat, confert denominationem ſubjecto. Ergo omnis forma denominans eſt cauſa vel quaſi cauſa denominationis ſubjecti. Atqui non ut cauſa efficiens, quia neq; eſſe ſubjecti, neq; ſuum, neq; applicationis, phyſicè efficit, ut patet in denominationibus ſtrictè phyſicis: non etiam ut cauſa finalis, quia forma ſatiùs eſt propter denominationem, quàm è contra; non ut cauſa materialis, hæc enim potiùs eſt id, quod accipit & quaſi recipit denominationem; non item ut cauſa idealis, quia nullo fundamento id diceretur: atq; ſit, quòd forma ſæpe non habeat denominationem, quā confert, proinde non ſit illius exemplar. Ergo ut cauſa formalis. Ergo denominatio eſt illius effectus formalis.

17. Quæres 2*dò* an eadem denominatio ſit ſuæ formæ effectus formalis intrinſecus? Quidam ex Connotatiſtis *ait* formam denominantem eſſe cauſam formalem extrinſecam, ut enim dari poteſt & datur cauſa materialis extrinſeca, ita & cauſa formalis poteſt eſſe extrinſeca, conſequenter per illum denominatio (loquitur enim in materia denominationum) eſſet vel ſaltem eſſe poſſet formæ denominantis effectus formalis extrinſecus. Reſpondeo denominationem objectivā

com-

complete sumptam esse effectum formalem intrinsecum. *imò* quia forma denominans, dat se in entitatem complexi, seu concreti denominativi, cùm illud constituat, ut etiam ipsi noviores Connotatistæ docent. Ergo illud cùm causet formaliter, causat intrinsecè. *2dò* quia non causat denominationem in genere causæ formalis extrinsecæ. Tum quia quid precor in denominatione causaret formaliter extrinsecè? Non seipsum; neq; enim est sibi ipsi quid extrinsecum. Non subjectū; quia plerumq; subjectum, à sua forma, vel etiam simpliciter incausabile est. Non concretum ipsum denominationis; istud enim intrinsecè constituit. Quid igitur tandem? Tum quia ex Philosophiæ consensu effectus causæ formalis extrinsecæ unicus est expulsio formæ incompossibilis in eodem subjecto. Jam plerumq; formæ denominantes carent formis contrariis, in subjecto denominationis non recipiuntur, atq; forma, non per hoc, quòd aliam expellat ex subjecto, formaliter subjectum denominat, sed per hoc, quòd subjecto, modo denominationi congruo insit. Tum quia effectus causæ formalis extrinsecæ passim saltem divinitus impedibilis est, sicut & causæ materialis extrinsecæ. Jam positâ formâ, & subjecto capaci congruè applicatâ, effectus, qui denominatio est, etiam divinitus inimpedibilis est, vg. posito pariete, albedine, & unione informativa, etiam divinitus fieri non potest, ut paries non sit albus. Tum quia non datur causa materialis extrinseca denominationis, alioqui neq; subjectum illam con-

 stitu-

ſtitueret. Ergo neq; datur cauſa formalis extrinſeca denominationis: vel ſi hæc datur, deberet etiam illa dari, quô fieri poſſet, ut aliquam denominationem neq; ſubjectum, neq; forma conſtitueret, atq; tam illud, quàm hæc eſſet denominationi extrinſeca.

18. Dices. Ergo omnis denominatio eſſet intrinſeca. *2dò*. Ergo *Petrus albus*, *Deus cognitꝰ*, eſſet effectꝰ intrinſecꝰ, ille albedinis, iſte cognitionis. *3tiò* forma denominationis ſæpe non eſt propriè forma. Ergo nec effectum formalem propriè talem habet. *4tò* Fit interdum, quòd totum ſit ſuam partem denominans. Ergo forma talis eſſet cauſa intrinſeca ad minimum adæquata ſuo effectui formali, ſeu denominationi indiſtinctæ à toto. Reſpondeo *Ad 1mum* nego illatum, non enim denominatio ab eo intrinſeca dicitur, quòd forma illius ſit intrinſeca denominationi. ſed quòd ſubjecto ſit intrinſeca phyſicè vel identicè *Ad 2dum* nego illatum, neq; enim formæ denominantis effectus formalis eſt id, quod denominatur, ſed denominatio illius completè & concretè ſumpta. *Ad 3tium* tranſeat totum, neq; enim aſſero effectum formalem eſſe effectum propiè talem, hic enim debet provenire à forma propiè tali, quæ non eſt, niſi forma phyſica. Effectus iſte formalis eſt in ſenſu non phyſico, ſed Logico, ut & ipſa denominationis forma ex dictis num. 6. *Ad 4tum.* Forma denominans ſicut non eſt propriè forma, ita neq; propriè cauſa intrinſeca, ſed quaſi forma, quaſi cauſa in ſenſu Logico, non phyſico; hoc autem

ſenſu

sensu potest dari causa intrinseca adæquata, quia istud non plus significat, quàm quòd possit esse cõstitutivum denominationis sive adæquatum, sive inadæquatum.

19. Infertur *imò* quid sit denominatio objectiva ita dicta per respectum ad actum formalem denominantem? Est nimirum eadem denominatio objectiva, ut hactenus divisa, & explicata est, significata per actum formalem denominantem, vel saltem per illum significabilis prout est objectum illius in actu 2do, vel in actu 1mo. *2dò* divisionem denominationis potuisse & posse secundùm diversitatem prædicamentorum, & illorum divisiones, ac subdivisiones prope in im̃ẽsum produci; sed satis fuerat istorum meminisse, quæ in Philosophia, vel Theologia aliquid considerabilitatis plus aliîs habent.

QUÆSTIO SECUNDA
Quid, & quotuplex Denominatio formalis?

20. DEnominatio formalis com̃uniter dicitur actus intellectûs, quo rem denominamus; sed illam non sufficienter in eum modum explicari constat ex dictis num. 1. Pro meliori explicatione Præmitto *imò* actum formalem denominantem, seu (quod idem est) denominationem formalem sumi posse vel complexè, vel incomplexè,

xè. Incomplexè ſumitur pro termino Logico ſolitariè & extra propoſitionem. Complexè ſumitur pro enuntiatione terminum denominativum de aliquo ſubjecto affirmante.

21. Præmitto 2*dò*: terminum denominativum ex parte rei ſignificatæ illum eſſe, qui tam ſubjectum quàm formam in actuali denominandi exercitio ſignificat. Forma appellatur communiter ſignificatum illius formale; ſubjectum autem ſignificatum materiale. Hæc eſt ſimplex quædam declaratio termini denominativi; ſed hìc quæritur definitio termini, qui non tantùm ex parte rei ſignificatæ, ſed etiam ex modo ſignificandi eſt, & dicitur denominativus.

22. Dico 1*mò*: Terminus denominativus conformiter ad ea, quæ de denominativis habet Ariſt. 1. Categor. 1. *eſt vox, quæ ab alia caſu differens ab eadem habet appellationem*, vg. fortis à fortitudine. Per differentiam caſûs intelligitur paſſim ab Authoribus diſconvenientia vocis denominativæ à denominante, in terminatione ſeu ultimis ſyllabis, quamvis in initialibus aliquomodo conveniant, ut patet in ly: *fortis* & *fortitudo*. Ex Recentioribus aliqui per differentiam caſûs intelligunt differentiã in quocunq; attributo grãmaticali, ut muſica artem, & muſica mulierem artis peritam ſignificans, nec initio, nec terminatione vocabuli differunt; differunt autem alio attributo grammaticali, quia muſica in prima ſignificatione eſt nomen ſubſtantivum, in altera adjectivum. Optimè P. Lynceus, rem eſſe, ait, Ari-

Ariſtoteli de caſu non grammatico, ſed dialectico, inquantum terminus abſtractus, à quo derivatur denominativus, ſignificat rem per modum per ſe ſtantis: jam denominativus ſignificat eandem inſtar cadentis in ſubjectum, quæ explicatio generalior eſt, & magìs Logica, convenitq; termino non tantùm vocali, ſed etiam mentali. Hæc ex mente Ariſtotelis; abſolutè verò terminus denominativus ſimpliciter dictus eſt terminus Logicus, quo exprimitur eſſe, ſeu prædicatum ab uno in alterum formaliter derivatum ut tale, ita ſcilicet, ut ex modò ipſo tendendi vel ſignificandi eſſe tale appareat. Definitionis rectitudo probatur, ut communiter ſolet.

23. Dico 2dò: Terminus denominativus ex parte rei ſignificatæ, *imò* alius eſt *Subſtantialis*, cujus ſignificatum formale eſt in re ſubſtantia, ut homo, Deus, lapis, corporeum, animatum, feritas leonina, actio humana &c. alius *accidentalis*, cujus formale ſignificatum eſt accidens phyſicum, ſive etiam iſte ſit ſubſtantivus, ut pictor, artifex, Philoſophus &c. ſive adjectivus, ut doctus, ſanctus, albus &c. *2dò* alius eſt *eſſentialis*, cujus formale ſignificatum eſt de eſſentia ſubjecti; alius *accidentalis*, cujus formale ſignificatum eſt contingens ſubjecto, & ſic de aliis diviſionibus, quæ formari poſſent proportionatè ad diviſionem denominationis objectivæ factam num 15.

24. Jam ex modo ſignificandi terminus denominativus *imò* alius eſt *nominalis*, qui & nomen eſt, alius *verbalis*, qui verbum quodcunq;

 adje-

adjectivum est, ut amo, lego, &c. alius *participialis* ut amans, legens, &c. alius *adverbialis*, qui & adverbium est, ut bene, malè, studiosè, quorum explicatio, ut nominis & verbi constat ex dialectica. *Participialis* idem ferè & eodem modo significat, ac verbum. *Adverbialis* significat modificationem alterius termini denominativi. 2dò alius est *substantivus*, qui idem esse denominativum objectivum substantivè significat, ut jam suprà; alius *adjectivus*, qui significat adjectivè, ut omnia nomina adjectiva, verba adjectiva, participia, adverbia, imò & obliqui substantivorum. Quid autem sit substantivè, quid adjectivè significare? communiter respondetur, quòd substantivè significare est significare rem ad modum stantis, adjectivè ad modum adjacentis, sed id ipsum quid est? non est clariùs res ista, quàm gramaticali modo descriptibilis, ita ut terminus denominativus dicatur substantivus, qui per se solum nullo addito vel subintellecto nomine perfectum in oratione sensum cum verbo efficit: adjectivus, qui sine alio nomine expresso vel subintellecto, non facit perfectum in oratione sensum. Ita ut id quod est per se stare, non tam referri debeat ad significatum vocis, aut modum significandi, sed satiùs ad vim ipsam & virtutem vocis, quatenus illa se sola potest vel non potest unà cum verbo perfectam & veri aut falsi capacem orationem efficere, cùm id ipsum adjectivus non possit. 3tiò alius est *complexus*, alius *incomplexus*. Ille componitur ex multiplici termino denominativo, idem subjectum afci-

ficiente; hic est, qui cum nullo alio denominativo componitur, sed unus & solitariè sumptus subjecti sui denominationem significat, ut vg. sanctus, doctus, &c. Præterea dividi à plerisq; solet in *connotativum* & *absolutum*, *concretum* & *inconcretum*, *categorematicum* & *syncategorematicum*. Ex hisce divisionibus prima & secunda non probantur Connotatistis novioribus, terminum enim denominativum formalem volunt isti omnem esse connotativum & non esse concretum, de 3tia divisione alii non eodem modo discurrunt. Quare.

25. Quæres *imò*: an omnis terminus denominativus sit connotativus? Affirmant nostri Connotatistæ, eandem Antiquorum omnium fuisse sententiam adferentes; atq; verum id est, de Toleto, Fonseca, Cassilio & pluribus fortè, sed istorum sensus sententiam Connotatistarum non multùm juvat. Nam Authores isti terminum denominativum appellant quidem connotativum, sed ita, ut formam cum modo adhæsionis adferat principaliter & in recto, subjectum autem de connotato, seu in obliquo, cùm nostri Connotatistæ è contra velint subjectum adferri in recto, formam autem de connotato, quæ fuit quidem etiam ab antiquo sententia Occhami, sed à cæteris antiquioribus pro singulari, & non Aristotelica semper habita, quamvis apud Recentiores ista priori jam prævaluerit. Non etiam nomine connotati intelligebant Antiqui, quod nostri Connotatistæ, connotatum scilicet antonomasticè dictum,

ctum, ut illud ab istis est disertiùs explicatum, sed id, ad quod res aliqua dicit habitudinem.

26. Videtur esse quæstio de voce, in qua dico. Si terminus connotativus significat terminum, qui unam quampiam rem significando directè, aliam ab illa, re vel ratione distinctam indirectè insinuat, eo sensu omnis terminus denominativus erit connotativus, cùm omnis terminus referat aliquomodo subjectum denominatum ad formam denominantem, vel hanc ad illud; sed taliter esse connotativum convenit etiam terminis, qui communissimè absoluti vocantur, ut homo, sanctus, albus &c. Quodsi terminus connotativus accipitur pro termino relativo, cujus scilicet significatum formale est ratio, seu forma referens significatum materiale ad aliud, non omnis terminus denominativus erit eo sensu connotativus, quia non omnis termini denominativi significatum formale, refert subjectũ suæ denominationis objectivæ ad aliud ab ipso, ut patet in his: *ens per se, sibi sufficiẽs ad esse, se cognoscẽs, se amans*&c. Respectꝰ etiam formæ ad subjectum communiter pro vero respectu non habetur, vocatur enim modus essendi *in*, non verò modus essendi *ad* proprius relationis. *Accidentia*, inquit Toletus in Cap: 7. Lib. 1. Categ. *non sunt relativa &c, nec secundùm dici nec secundùm esse, per respectum ad subjectum, sic enim omnia relativa essent, quæ subjecto insunt; sed dicuntur esse relativa, quæ subjectum suum ordinant ad aliud, quod dicitur esse terminus, atq; ita Aristo. Lib. 5. Metaph: visus, inquit, ad aliquid est, non*

respe

respectu cujus est visus (scilicet subjecti) *sed respectu ejus, quod videtur*. Ex quo inferes in hoc altero sensu non omnem terminum denominativum esse connotativum, adeoq; dividi illum posse in connotativum, seu relativum, & absolutum.

27. Quæres 2dò an omnis terminus denominativus sit concretus? Negant nostri Connotatistæ, quia, *inquiunt*, omnis terminus concretus significat compositum ex subjecto & forma unitis, atq; in recto adfert tam subjectum, quàm formam: è contra dantur termini denominativi, qui solum subjectum important in recto, formam in obliquo, consequenter non sunt concreti, sed satiùs connotativi. Pro decisione quæsiti

28. Præmitto 1mò Terminum concretum esse, qui significat subjectum & formam in actu 2do. Terminus iste medius est inter duos, quorum unum P. Ulloa in sua Logica minore appellat terminum *substractum*, qui solam secundùm se entitatem subjecti, & *abstractum*, qui solam entitatem formæ significat, sine ullo ad subjectum respectu. Terminus idem concretus dividi solet à Recentioribus nostris in *denominativè & quidditativè* concretum. Prior est, qui alterutrum in recto & reliqua significat in obliquo; posterior, qui tam subjectum, quàm formam in recto, ut interim præscindamus, quomodo adferat applicationem, seu unionem. Terminus concretus denominativè, subdividi potest in *concretum materialiter denominativè*, qui adfert subjectum in recto, reliqua in obliquo, & *concretum formaliter denominativè*,

in

qui formam adfert in recto, ſubjectum in obliquo. Pariter terminus concretus quidditativè, ſubdividi poteſt in *concretum quidditativè distributivè*, qui ſcilicet adfert & ſubjectum & formam in recto ſigillatim, atq; *in concretum quidditativè collectivè*, qui in recto adfert ipſum ex forma & ſubjecto compoſitum.

29. Præmitto *2dò*. Diviſionem factam eſſe rectam, quamvis Connotatiſtis non probetur. *1mò* enim cuilibet ex dividentibus convenit ratio diviſa, ſeu, eſſe ſignificativum ſimul ſubjecti & formæ. *2dò* quilibet ex dividentibus habet ſuam ab alio & aliis differentiam, ut patet conſideranti, & unum cum altero conferenti. Unde conſequenter immeritò talis diviſio à Connotatiſtis appellatur *1mò arbitraria*, infundatur enim naturæ & differentiis termini denominativi. *2dò antiquis incognita*, nam etiam Antiqui per denominationem concretam intelligebant communiſſimè illam, quæ adfert in recto formam cum modo adhæſionis, ſubjectum autem de connotato; & Occham, quamvis hac in re ſuò tempore ſingularis, ſubjectum in recto, formam de connotato. Per factam deciſionem utriq; conciliantur. Quanquam antiquis eſſe incognitam non obeſt rectitudini diviſionis. Dividunt Connotatiſtæ connotatum ut ſic in purè extrinſecum & ſemiextrinſecum, mediatum & immediatum, quamvis iſtæ diviſiones fuerint antiquis incognitæ. *3tiò diſſentanea rationi*. Cõcretum enim, *inquiunt*, ſumptum denominativè vel diſtinguitur à concreto quidditativè, vel non. Si

non:

non: Ergo inepta eſt diviſio, utpote in membra non contradiſtincta. Si diſtinguitur. Ergo conſtitutiva unius non ſunt conſtitutiva alterius. Non rectè enim ſupponunt iſtud objicientes illam diviſionem eſſe concreti objectivi, cùm revera ſit concreti formalis, ſeu termini concreti. In concreto objectivo nullum agnoſcimus rectum, nullum obliquum; iſtæ ſunt affectiones & differentiæ modorum tendendi & ſignificandi. Quantum igitur ad objectionẽ dico; terminos illos: *denominativè & quidditativè concretum* plerumq́;diſtinctos realiter eſſe, & unumquemq́; ſua entitate conſtitui, alterius entitati contradiſtincta. Dico: *plerumq́;* nam ſi contingat in actu realiter indiviſibili utrumq́; reperiri, erunt per rationem diſtincti, & conſtitutiva habebunt ratione diſtincta, quod ſufficit ad rectam diviſionem. His præmiſſis

30. Dico *imò* Omnis terminus denominativus ex parte rei ſignificatæ eſt concretus, quia omnis terminus denominativus ſignificat quodlibet ex denominativis, ſcilicet & ſubjectum, & formam, & iſtius unionem ſeu applicationem, idq; ſingula in ſeipſis: conſequenter autem etiam concretum ſeu totam collectionem ex illis, à ſenſu enim diſtributivo valet ad collectivum in caſibus non exceptis: nam *ly ſignificatur*, ſeu, eſt res ſignificata, nõ eſt prædicatũ, quod creſcat, vel decreſcat, per incremẽta vel decremẽta rerũ ſignificatarũ; non eſt deinde ex iis, quæ toti ut toti, vel parti ut parti conveniunt, nec aliter: cùm etiam de

ſingu-

singulis affirmatur distributivè cum particula: *&* potest particula *&* vel æquivalere vel componi particulæ: *insuper* quæ indicium est, quòd prædicatum de singulis affirmabilè, sit etiam de omnibus collectivè affirmabile.

31. Dico 2dò Omnis terminus denominativus ex modo significandi est denominativè concretus, & è contra; ut proindè terminus denominativus non possit dividi in concretum & inconcretum. Ratio est, quia nullus terminus ex modo significandi denominativus ostendibilis est, qui non sit denominativè concretus, & è contra.

32. Ad solvendas objectiones nota 1mò terminum concretum quidditativè esse terminum denominativum, sed præcisè ex parte rei significatæ, quia hoc ipso significat aliquam denominationem objectivam, non tamen esse terminum ex modo significandi denominativum, quia ex modo significandi non significat ex parte sua illud esse formaliter ab uno derivatum in alterũ, significat enim requisita denominationis vel in recto omnia distributivè, atq; adeo, ita, ut ex eo significandi modo non possit internosci, quid se habeat per modum formæ, quid per modum subjecti, in quid, & qualis, & à quo cadat denomiuatio: omnia enim eodem modo cognoscuntur; vel omnia collectivè in recto, atq; adeo similiter ita, ut pariter ex tali modo significandi non possit de eodem intellectus vel loquens, aut audiens certificari. Certè etiam terminus iste: *humanitas* significat collectionem ex anima rationali, unione & cor-

corpore, rem proinde compositam, etiam ex ejusmodi entibus, quorum unum est subjectum, alterum forma, 3tium applicatio, neq; tamen ullus hactenus dixit terminum istum esse denominativum.

33. Nota 2dò sine ullo fundamento seu intrinseco, seu extrinseco à Connotatistis asseri, quòd omnis terminus concretus sit ille, qui significat compositum ex forma & subjecto unitis, subjectum & formam importando in recto. Nam quod ad antiquitatis sensum se revocant, credendum non est, siquidem & Toletus in Dialect: lib: 1. cap. 13. *Terminus*, inquit, *concretus est, qui ab alio denominatur*, & Fonseca lib. 1. instit: Dial: cap: 23. *Terminus*, ait: *concretus est, qui compositum habet significandi modum*; ubi non ait: *qui significat compositum*, sed *qui compositum habet significandi modum*, hoc est, qui ex suo tendendi modo componit subjectum cum forma, & è contra, illud per modum per se stantis, & denominati, istam per modum illi inessentis, & denominantis. Neq; obstat, quòd Antiqui terminos denominativos appellent subinde connotativos, inde enim non sequitur illos non esse denominativè concretos. Nã etiam Conimbricenses denominativa simpliciter dicta, sæpe vocant connotativa, nihilominus affirmant illa esse concreta, ut in Lib. 1. Perih. cap. 1. art. 2. §. *Collige 2do.* pro qua sententia ibidem §. *Colliges 3tio.* citant Ammonium, Boëtium, Venetum, Sotum, & alios. Fonseca Lib. 1. Instit. cap. 24. clarè ait: *Omne connotativum esse concretum.*

34. No-

34. Nota *3tiò* ly *concretum* posse in duplici sensu accipi. *1mo*, quo sensu dicitur unum concrescere alteri, & cum illo vel illi esse concretum. *2do* quo dicitur aliquid ex pluribus concretum esse. Antiquioribus prior sensus usitatior fuit in explicandis concretis, ideoq; ex ipsis plures per concretum intelligunt formam cum modo adhæsionis ad subjectum, & ut Conimbricenses, quasi concernentem subjectum. Occham è contra per concretum voluit intelligere subjectum concretum formæ. Utriusq; sensum sub diversa denominatione approbavimus; quamvis quãtum ad talem concreti sensum, qui communior fuit, etiam convenientior acceptio, quia subjectum habet se in denominatione per modum basis & fundamenti quasi præjacentis, forma autem per modum supervenientis: jam connaturaliùs quod se posteriore modo habet, dicitur alteri concrescere, quàm quòd priore, ut satiùs ramus vel folium dicitur concrescere arbori, quàm arbor ramo vel folio. Interim Recentioribus, quod diximus concretum denominativum formale, vocatur denominatio in abstracto. Utroq; termino rectè utêris; isto quia Recentioribus, illo quia Antiquis communior & connaturalior, quibus forma in abstracto significabat solam secundùm se entitatem formæ, ut in se consistentem, & forma concretè, eandem entitatem formæ cum modo adhæsionis & concretionis, seu unionis cum subjecto.

35. Nota *4tò*: Quòd iidem ajunt, futurum,

turum, ut Petrus albus sit concretum accidentale; si de termino formali: *Petrus albus*, differunt, vera est sequela: si de Petro albo secundùm se, nulla est sequela. Vide dicenda Quæst. seq.

36. Quæres 3tio: an termini denominativi sint Categorematici alii, alii syncategorematici? De substantivis denominativis, non est dubium esse Categorematicos, quomodocunq; tandem terminus Categorematicus definiatur. Quæritur itaq; de adjectivis nominibus & verbis, & participiis, & adverbialibus, & substantivorum obliquis. Istos omnes esse denominativos, rectè affirmat Toletus in 1mum Categor. 1. §. *adverte*; nam & *Sapiens*, & *sapientis*, & *sapienter*, & *sapere*, significant eandem sapientiam, quamvis diversimodè participatam. homo enim *Sapiens* participat illam, ut formam sibi intimam & receptam, sermo *Sapiens* ut ideam, cui sermo conformatur, & per quam dirigitur, *sapienter*, modum agendi vel dicendi eidem sapientiæ conformem &c. obliquum *sapientis*, eandem sapientiam ut alienæ habitudinis terminativam &c. Hoc posito. Respondeo non convenire inter Dialecticos, quid nomine termini Categorematici & Syncategorematici significari debeat. Volunt aliqui terminum categorematicum esse, qui se solo significativus est; alii qui se solo & subjicibilis & prædicabilis est; alii præcisè, qui se solo, prædicabilis est, sive interim se solo subjicibilis sit, sive non. Syncategorematicum, qui se solo significativus non est, alteri tamen consignificat; alii, qui nonnisi cum alio saltem

tem ſubintellecto & ſubjicibilis & prædicabilis eſt; alii, qui nonniſi cum alio prædicabilis ſeu comprædicabilis eſt. Primo ſenſu termini denominativi omnes in ſpecie memorati, ſunt categorematici, quia quilibet ſe ſolo aliquid, ſcilicet formam denominationis, hoc aut illo modo participatam ſignificat Altero ſenſu denominativi adverbiales categorematici non ſunt, cùm adverbia ſe ſolis nec eſſe ſubjectum, nec prædicatum poſſint. Idem de adjectivis participialibus, obliquis, quia ſe ſolis ſubjectum eſſe propoſitionis non poſſunt, quia poſiti ſe ſolis pro ſubjecto, orationem perfectam non efficiunt, niſi ſubſtantivè, hoc eſt, cum ſubſtantivo ſubintellecto ponantur. An verò 3tio ſenſu ſint categorematici dubium eſt inter Authores, negantibus aliis, aliis affirmantibus, de quo colliges ex dicendis Quæſt. 5.

37. Quæritur *4tò*: an terminus denominativus ſufficienter & univerſaliter explicetur ita, ut ſubjectum per modum habentis, forma per modum rei habitæ importetur vg. ly *Petrus albus* per ly *Petrus habens albedinem*. Videntur iſtud ſupponere Connotatiſtæ, cùm ipſo uſu terminos tales non aliter explicent, quàm prædicto modo. Reſpondeo negativè: *imò* enim non univerſaliter; nam ly *cognitum* non rectè explicaretur dicendo: *habens cognitionem*; *viſum habens viſionem*, hæc enim videntur magis ſignificare cognoſcentem & videntem, quàm cognitum & viſum, & ſic de multis aliis. *2dò* quia ly *habens* æquè convenit ſubjecto ac formæ, nam & ſubjectum dicitur habe-

re

re formam, & forma quoq; suum subjectum. 3tiò quia ly *habens*, est terminus valde generalis & fere æquivocus, nam & Petrus dicitur habere equum, quin equus denominet illum equinum vel aliter, & causa effectum, quin effectus sit forma illam denominans, & totum habere quamlibet partem, quamvis non quælibet sit ipsius forma, &c 4 ò quia denominatio strictè physica, qualis est hæc: *Petrus albus*, non sufficienter explicatur per ly *Petrus habens albedinem*; nam & Angelus vg. unitus albedini potest denominari habens albedinem, nec tamen albus.

38 Dices per ly *Petrus habens albedinem* intelligi Petrum unitum albedini. Contra imò Per ly *Petrus habens equum* non intelligitur Petrus unitus equo. Ergo ex vi terminorum per ly *habens albedinem*, non potest intelligi determinatè unitum albedini 2dò etiam Angelo potest uniri albedo, & Angelus potest denominari unitus albedini, non tamen potest denominari albus, anima rationalis unita corpori, nec tamen corporea.

39. Dices: talia subjecta non esse capacia talium denominationum. Contra imò. Ergo potest aliquid esse capax habere albedinem, illi uniri, nec tamen esse album. Ergo esse album non est præcisè esse habens albedinem vel unitum albedini. Contra 2dò. Cùm dicis Angelum vg. esse incapacem, ut sit albus, vocabuli istius, an rei significatæ asseris esse incapacem? non vocabuli certè: vox enim: *album* ex puro placito significa-

 tivè

tivè poterat determinari ad significandum, quidquid quoquomodo haberet albedinem. Non etiam rei significatæ: de hac enim contendo, quid sit illa, ultra habere albedinem? illi uniri? si enim album non est plus, quàm habere albedinem, illi uniri, sicut Angelus capax est habere albedinem, illi uniri, ita capax erit esse albus.

40. Dices: ad hoc, ut aliquid habens albedinem sit capax esse album, requiri ut sit corpus. Contra est *imò*. Ad hoc, ut aliquid habeat albedinem, ut uniatur albedini, non requiritur, ut sit corpus. Ergo si esse album neq; plus, neq; aliud est, quàm habere albedinem, uniri albedini, ad esse album non requiritur esse corpus. Contra *2dò*. Corpus Eucharisticum Christi est verè corpus & capax esse album, etiam per albedinem panis, quam probabiliùs habet sibi unitam, nè in motu locali Hostiæ consecratæ multiplicentur miracula, & tamen etiam sic unitum, non est album albedine panis.

41. Dices: capax esse album debet posse & uniri albedini, & illam passivè causare. Contrà est *imò*. Ad hoc, ut aliquid sit habens albedinem, non requiritur, ut illam passivè causet, quia esto purè unitam, & non receptam passivè haberet, verè diceretur habens albedinem. Contrà *2dò*. Ad hoc, ut albedo faciat subjectum album, non requiritur, ut educatur passivè ex subjecto denominando, quia etiam seclusa causalitate passiva subjecti, si per actionem purè creativam esset producta, & cætera non deessent, posset denomina-

re album. Sicut anima rationalis per puram creationem producta denominat corpus animatum.

42. Quare in omnibus ſpectari debet natura denominationis, ac imprimis formæ, & ſuæ applicationis, in quonam iſta conſiſtat. Si denominatio habeatur à formis relativis tranſcendentaliter, in quibus ipſa illarum relatio ad terminum eſt applicatio formæ ad denominandum terminum, terminus denominativus debet ſatiùs explicari per ly *terminans*, quàm per ly *habens cognitionem*. Sic viſum, productum ac cognitum, & ſic de pluribus. In denominationibus ſtrictè phyſicis, quæ habentur à forma phyſica, phyſicè unita, qualis eſt denominatio albi, ſatiùs dicendum, quòd album ſit phyſicè informatum albedine, quàm quòd præcisè habens albedinem. Angelus incapax eſt eſſe albus, quia incapax eſt phyſicè informari per albedinem, omnis enim forma phyſica etiam ſupernaturalis ordinatur connaturaliter ad ſuum ſubjectum, per quandam dependentiam naturalem ab illo, ita, ut non poſſit ſaltem primò produci ſine illo, & receptione in illo. Jam albedo ex parte ſua non ordinatur connaturaliter ad Angelum, adeoq; illius forma phyſica eſſe non poteſt, conſequenter phyſicè per illam informari. Albedo panis, quamvis uniatur Chriſti corpori ſaltem media quantitate, illud tamen nec immediatè informat, ſed neq; media quantitate, quia nec quantitas immediatè idem Corpus informat. Unde & unio, quæ intervenit inter Corpus Chriſti & accidentia panis, (ut quocunq;

cunq; iſta localiter mota fuerint, ſine expenetratione, & novo miraculo etiam Corpus Chriſti moveatur) Corporis Chriſti informativa non eſt.

43. Quæritur *5tò.* Terminus denominativus, quidnam principaliùs ſignificet, ſubjectum denominationis an formam: Dico Terminus denominativus principaliùs ſignificat formam denominationis, quàm ſubjectum. Ita omnes ferè Antiqui. Ratio eſt. *1mò* quia forma denominationis ſignificatur per terminum clariùs & expreſſiùs, quàm ſubjectum, ut patet in voce: *album, calidum,* hæc enim audita ingerit ſtatim audienti clarum & diſcretivum albedinis, caloris, conceptum, non item ſubjecti. *2dò* quia ſignificatur determinatiùs forma, nam determinatè & in ſua ſpecie internoſcitur, cùm pari diſcretione non cognoſcatur ſubjectum. *3tiò* quia forma denominationis concipitur ad inſtar formæ phyſicæ, quæ ſaltem in compoſitis ſubſtantialibus eſt quid principaliùs, quàm materia, inſtar cujus cognoſcitur ſubjectum denominationis per terminum denominativum. *4tò* quia forma concipitur in termino denominativo per modum dantis, conferentis, derivantis; ſubjectum per modum accipientis, recipientis derivatam in ſe denominationem. *5tò* quia forma concipitur ut quid diverſificans & multiplicans denominationes, ſubjectum autem denominata. *6tò* quia ly *denominatio* eſt terminus quidam abſtractus, unde ſicut iſte formam unicè, ita formam in concreto ad minimùm principaliter ſignificat. *7mò* quia Ariſtoteles 7. Metaph. 5 docet

cet accidentalia concreta debere explicari per additamenta subjectorum, hæc verò additamenta sunt formæ.

44. Dices *1mò*: Saltem in artificialibus denominativis, ut sunt domus, vestis, navis, æque audita quacunq; ex illis voce, audienti occurrit materia, ac forma denominativa. Ergo per talem terminum saltem æquè principaliter significatur materia atq; forma. *2dò* quia terminus illud principalius significat, de quo vere affirmabilis est, quam de quo non. Atqui terminus de subjecto vere affirmabilis est, de forma non item. Ergo &c. *3tiò* quia quod directiùs, etiam significatur principaliùs. Sed per terminum denominativum subjectum significatur directiùs, quia universaliter in recto. Ergo principaliùs. Respondeo *Ad 1mum*. Nego Consequentiam, quòd enim subjectũ unum titulum principalitatis, idq; in aliquibus tantum denominativis habeat, non arguit illud esse principalius significatum, cùm penes alterum comparationis extremum maneant incomparabiliter plures tituli principalitatis. *Ad 2dum* Nego Majorem. Nam directius significari objectum arguit quidem regulariùs, & pro subjecto terminũ denominativum supponere, non tamen per illum principaliùs significari idem subjectum. Aliud autem est significare, aliud supponere, ut notum ex Dialectica. *Ad 3tium* nego Majorem. ly *Deus* directiùs Personam, principaliùs tamen Deitatem significat, ut omnes ferè Theologi. Sed quia rectum & obliquum, ut attinet materiam denomi-

nationum plura continet ad profecutionem controverfiæ principalis, neceffariò, faltem de congruo prænofcenda, ideo mox de illis feparata quæftione agendum erit. Interim ex dictis

45. Infertur. Terminum denominativum bene potuiffe dividi in connotativum & abfolutum, in aliquo fenfu categorematicum & fyncategorematicum, concretum denominativè & & concretum quidditativè, non rectè autem dividi potuiffe in concretum & inconcretum.

QUÆSTIO TERTIA
De Recto & Obliquo Denominationum.

46. QUæritur hic *imò*: an terminus denominativus in fe, vel legitima fui explicatione univerfaliter & neceffariò importare debeat fubjectum in recto, formā autem in obliquo? Ad hoc Recentiores noftri Connotatiftæ refpondent affirmativè, faltem communiùs. Decifioni

47. Præmitto *imò*. Rectum formale à Connotatiftis definiri per nomen cafûs nominativi; fed non exactè. *imò* quia nimiùm grammaticaliter; fed neq; cum fufficientia grammaticaliter, cùm Grammatici inter rectos, non tantùm nominativum, fed etiam vocativum reponant, qui

non

non minùs, quàm prior aptus eſt ad concinnandas Philoſophicas propoſitiones & diſcurſus, ut: *omnis homo eſt animal. Tu Petre es homo. Ergo tu Petre es animal.* Ergo &c. *2dò* quia quamvis dicatur hæc definitio clara, utpote per rem ipſis grãmaticis notam, revera tamen eſt obſcura, quia nota quidem grammaticis eſt, ſed præciſè deſignativè, quatenus per ſua grammaticalia indicia non difficilè diſcernere poſſunt nominativum à non nominativo, ſed ipſis certè non eſt notum, quid ſit nomen eſſe in caſu nominativo, & ipſum caſum eſſe nominativum. *3tiò* vel Connotatiſtæ exiſtimant rectum formale eſſe ſolùm & unicè rectum vocale nominale, vel etiam mentale, ſeu intellectuale. Si utrũq; eſſe rectum formale exiſtimant. Ergo debuit ab illis rectum formale ut ſic, ita definiri, ut conveniret non minùs intellectuali, quàm vocali, per caſum autem nominativum ita non definitur, caſûs enim nominativi in mente probabiliùs non dantur exercitè, quamvis namq; doctiſſimus P. Ulloa in Logica minore Diſp. 1. Cap. 2 affirmet, quòd intellectus noſter in hac miſera & mortali vita regulariter non cognoſcat res, niſi per quosdam ſonos ſpirituales, voces & verba intellectualia, per quæ ſibi ad intra loquitur, ut videmur nobis experiri, cùm non aliter apprehendere, judicare, diſcurrere internè ſoleamus, niſi per verba quædam interna, illius planè idiomatis, quod quisq; callet. *imò* tamen ille hanc ſententiam, ut valde ſingularem tantummodò tentativè, & ut non omnino improbabilem proponit.

nit. *2dò.* videtur hæc ſententia actus intellectuales ferè ad materiales & imaginarios tantùm reducere. *3tiò* à nativitate muti & ſurdi quo tandem modo res conciperent? *4tò* experimur, cùm rem aliquam experimentaliter vel intuitivè cognoſcimus, nos nec quidquam de vocibus etiam cogitare, nedum per illas cognoſcere. *5tò* experimur identidem nos pleraq; cognoſcere, conceptibus tamen alteri exprimendis verba ſubinde non invenire, vel nimiùm ægrè colligere, alioqui autem eſſe in promptu deberent hæc ipſiſſima, per quæ nobis ad intra loquimur &c. Aliud fortaſſis eſt, quòd regulariter. ut plurimùm & concomitanter, quoties objecta intellectualiter cognoſcimus, toties & ſimul imaginarias voces formamus, quia res noſcere à teneris per educatores noſtros vocum inculcatione didicimus, atq; ea ratione, quoties nobis de rebus cogitandum eſt, voces protinus per imaginationē rememorare conſuevimus, quod certè etiam tunc facimus, cùm actus voluntatis vg. amoris DEI, deſiderii videndi Deum &c, maximè verò, cùm ex induſtria & propoſito curamus elicere, quamvis certè actus voluntatis, in ejusmodi imaginariis vocibus non conſiſtant &c. Aliud verò eſt, quòd ipſa forma & ratio intelligendi in ejusmodi vocibus internis conſiſtat Adde, quòd cùm Connotatiſtæ admittant dari recta, non eſt, cur non admittere debeant etiam intellectualia. Idem de obliquis.

48 Præmitto *2dò.* ab iisdem Connotatiſtis paſſim formale rectum dividi in *grammaticum*

& *Phi-*

& *Philosophicum.* Sed si rectum formale ut sic est casus nominativus, omne rectum formale erit casus nominativus. Ergo omne erit grammaticale rectum, consequenter quæ poterit esse illius divisio in grammaticale & non grammaticale, seu Philosophicum? Rectum formale Philosophicum, *inquit* unus ex illis, est quod sive intra sive extra propositionē est penes copulam principalem. Quomodo verò penes copulam principalem, & tamen extra propositionem? Omittunt alii ly *extra*, cætera relinquunt. Melius; sed nondum bene, cur enim etiam extra propositionem locum non habeat rectum Philosophicum in simplici vg. termino denominativo, vel recta, extra tamen propositionem, illius explicatione? Rectum grammaticum, *ajunt* illud esse, quod in speciem quidem in casu nominativo ponitur, sed revera est obliquum Philosophicum, cùm scilicet non ponitur penes copulam principalem, sed minùs principalem, ut in hac propositione: *Petrus est homo, à quo habetur albedo, Petrus*, inquiunt, & *homo* sunt recta Philosophica, *albedo* verò est purè grammaticale rectū, quia non ponitur penes copulam principalem, ut illa duo. Sed iterum, quomodo in speciem est rectum, si verè & non in speciem est casus nominativus? cur albedo in præmissa propositione non sit penes copulam principalem? cùm revera illius interveniente relativo conjunctæ propositionis sit subjectum, ita quidem, ut si hæc non esset, ablata sola albedine vel unione, tota illa propositio evaderet simpliciter falsa. Obliqui Philosophici ut

sic

ſic nullam definitionem apud Connotatiſtas reperio.

49. Præmitto *3tiò* per caſus vocales rectos & obliquos ejusdem vocabuli declinabilis, rem omnino eandem ſignificari. neq; enim *imò* cùm dicitur in nominativo vg DEUS, & deinde in obliquo DEI, DEO, DEUM, per nominativum quidem Deus, per obliquos verò aliud, quod non eſt Deus, vel alter & alter Deus ſignificatur. *2dò* quia ſi obliquum & rectum ejusdem vocabuli diverſa ſignificant, ſyllogiſmus ille Ariſtotelicus, pro idea ſyllogiſmi ex obliquis ab illo propoſitus: *Nulli aſtro fixo contingit eclipſis. Sed Bootes eſt aſtrum fixum Ergo Booti non contingit eclipſis*, non concludet, conſtabit enim quatuor terminis, dato, quòd rectus & obliquus caſus diverſa ſignificent. Itaq; differunt illi caſus, non ex parte rei ſignificatæ, ſed præcisè ex modo idem ſignificandi diverſo. De recto & obliquo mentali idem dicendum eſt: vocibus quippe per Inſtitutores linguæ ſignificatio, & modus ſignificandi diverſus inditus eſt per ordinem ad ſignificandum non tantùm objectum conceptuum internorum, ſed etiam modum illorum, quo diverſimodè tendunt in idem objectum.

50. Præmitto *4tò*: Rectum aut obliquum formale eſſe actum mentalem, aut vocalē, certo & diverſo modo ſui objecti ſignificativum. Ad hunc modum explicandum adverto, rectum à rectitudine, & per quandā analogiam vg. ad lineā aut viā rectā, nuncupari, ſicut & obliquū ab obli-

quita-

quitate, & ex quadam analogia ad lineam, aut viam obliquam. Quo supposito rectum formale est actus seu mentalis seu vocalis, quo rectâ tenditur in, & versùs objectum, quasi è diametro oppositū, viâ quadam brevissimâ, ita ut ex vi talis tendentiæ, statim primò occurrat seu cogitanti, seu audienti. Obliquum formale est actus, quo obliquè & quasi per lineam obliquiorem ac indirectè tenditur in objectum, ita, ut ab objecto per rectum significato fiat quædam ad illud diversio. Clariùs fortè & breviùs dices, rectum formale esse rectum, quo per modum in se consistentis aut ad aliud se habentis significatur; obliquum autem formale est, quo instar termini, ad quem se aliquid aliquomodo habet, significatur.

51 Præmitto 5.ò Rectum formale grammaticale esse vocabulum declinabile, quod in casu grammaticaliter recto, hoc est in structura syllabarum & terminationum vocabuli regulis grammaticis conformi ponitur, diciturq; casus nominativus, eò, quòd illo uti soleamus ad aliquam rem nominandam, quoties de ea directè loquimur, vel vocativus, quo utimur, cùm aliquem cui loquimur, compellamus. Idem proportionatè dicendum de obliquo grammaticali. Rectum Philosophicum est, prout illud explicuimus, quod ex certo illo significandi vel repræsentandi modo tale dicitur. Verbo: rectum vel obliquum grammaticale tale dicitur per respectum conformitatis ad regulas grammaticæ illius indicativas; Philosophicum autem secundùm modum significandi,

di, quem habet. Istud latiùs patet, quàm illud, quia Philosophicum convenit recto intellectuali & vocali, grammaticale soli vocali. Adverto etiam in terminis denominativis obliquum aliud esse *principale*, ut in denominativis vox obliqua, significativa formæ & unionis; aliud *secundarium* & *minùs principale*, quod est obliquum significativũ puri termini relationis, qui nec partialiter est forma, ut in denominationibus relativis transcendentalibus, & in plerisq; etiam prædicamentalibus.

52. Præmitto deniq; rem termino significatam quoad illius esse & modum essendi explicari posse, vel per rectum, vel per obliquum, salvo eodem sensu, ac identitate rei significatæ, quamvis immutato significandi modo. Nam *imò* ut paulò antè præmissum, eadem omnino res significatur per rectum & obliquum ejusdem vocabuli. *2dò* idem constat ex æquipollentiis grammaticis, secundùm quas locutio activa & passiva, finiti & infiniti modi, & passim aliæ, quamvis diversam recti in obliqua, & obliquorum in recta commutationem habeant, sibi tamen quoad sensum æquivalent. *3tiò* constat ex similibus æquivalentiis Logicis, ut cùm propositiones ex obliquis & verbo impersonali, vg. *pænitet me peccati*, ut categorico discursui inserviant, mutari solent in propositiones verbo personali & rectis constantes, ut item cùm ex regula de syllogismis obliquis, ab ipso Aristotele 1. Priorum 37. tradita præscribitur, ut propositiones obliqua continentes commutentur in propositiones ex rectis, quæ

tamen

tamen eundem ſenſum retineant &c. His præmiſſis

53. Dico 1*mò* termini denominativi, adeoq; concreti habita ratione & rei ſignificatæ, & ſimul modi illam ſignificandi, debent in legitima explicatione imprimere illud in recto Philoſophico vel obliquo, quod importari hoc vel illo modo exigit uniuscujusq; illorum definitio data num: 28. cum enim denominativa ſecundùm modum ſignificandi differant, niſi explicatio etiam modo ſignificandi ſe accommodet, terminum unũ cum alterius ſpeciei termino confundet, non evolvet. Deinde quia termini explicatio legitima à termino explicato nihilo differre debet, niſi penes explicitum & implicitum, majorem vel minorem claritatem. Ergo quod terminus explicandus, & quo implicitè modo attingit, explicativus id tantùm explicitè, & eodem explicito modo exponere debet. Solùm inter Authores dubium eſt, de aliquibus, atq; præcipuè de concretis ſubſtantialibus ſubſtantivis materialiter denominativè ſumptis, quidnam importare debeant in recto, naturam, an ſuppoſitum? Reſpondeo, &

54. Dico 2*dò* Termini ſubſtantiales, & ſubſtantivi denominativi, atq; hoc ipſo concreti, ex vi ſuæ inſtitutionis, & habita ratione tam rei ſignificatæ, quàm modi ſignificandi, probabiliùs important in recto ſuppoſitum, ſeu ſubſtantiam ſubſiſtentem, naturam autem in obliquo. Ita D. Thomas par. 1. quæſt. 39. art. 4. & 5. & alibi ſæpe. Soarez Tom. 1. in 3tiam part. ad quæſt. 16.

Man-

Mantilius, Gabriel, Ariminensis & plures. Ratio est, quia ex una parte nihil obest, si generaliter tales termini, eo modo importent suppositum & naturam, cùm nulla propositio fide Divina vel Theologicè, vel Philosophicè vera & certa ostendibilis sit, cujus subjectum, vel prædicatum substantiale substantivum & denominativum in recto positum, salva veritate & certitudine, in eum modum explicari non possit; ex altera parte ipsa uniformitas explicandi ejusmodi terminos, reddit talem sententiam verisimiliorem, & magis doctrinalem, adeoq; oppositæ præferibilem. Ergo probabiliùs &c. Firmatur *mò*: Propositiones: *Petrus est homo*, *Deus est homo*, prolatæ audientis intellectui eundem sensum ingerunt. Sed hæc: *Deus est homo*, hunc ingerit sensum: *suppositum Naturæ Divinæ, est suppositum naturæ humanæ*, aliàs si vel tam ly *Deus* quàm ly *homo* importaret naturam, illud Divinam, istud humanam, vel illud in recto suppositum, istud humanam naturam, propositio esset falsa, cùm neq; Divina natura, neq; Persona Divina sit natura humana. Ergo & hæc: *Petrus est homo* importat in recto, tam subjecti, quàm prædicati suppositum, seu substantiam subsistentem, ita, ut sensus sit: *suppositum habens Petreitatem, est suppositum habens humanitatem*. Firmatur *2dò* ex doctrina P. Vasquez Tom. 1. part. 2. Disp. 155. cap. 1. num: 4 Nomina concreta, seu denominativa substantiva, non aliud aut aliter significant post revelationem Mysterii Incarnationis,

onis,

onis, quàm ante revelationem illius. neq; ullo fundamento conjectabile est ejusmodi significationem cum Mysterio Incarnationis de novo esse institutam, aut mutatam. Ergo sicut post revelationem, & ipsam Incarnationem, hæc propositio: *Deus est homo* facit hunc sensum, quem explicui, ita habuit eundem ab originaria institutione ante Incarnationem Verbi. Firmatur 3tiò quia nisi eodem sumatur sensu ly *homo* in propositione: *Deus est homo*, & in hac alia vg. *omnis homo est animal*, tunc iste syllogismus: *omnis homo est animal Sed Deus est homo. Ergo Deus est animal*, non concluderet, nam in Majori medius terminus aliud significaret, & aliud in Minori, in Majori enim naturam in recto, in Minori suppositum importaret in recto.

55. Ad defensionem immediatè suprà assertorum superaddo sequentia, & adverto *imò*. Substantia subsistens cùm dicitur vg. de Petro & de DEO, non alio sensu dicitur de hoc, & alio de illo, siquidem & substantia dicta de DEO, & substantia dicta de Petro in ratione substantiæ subsistentis ut sic conveniunt univocè, ac ex parte actus nullam habent disconvenientiam, eodemq; perfectè sensu & Persona Divina est substantia subsistens, & natura Petri pariter eodem perfectè sensu est substantia subsistens. Adverto 2dò. Arriaga in Divinis ultra substantiam absolutam admittit tres substantias relativas, hoc tamen non obstante adhuc est unus Deus, quia in Divinis juxta fidem una est, imò ut ita dicã, unicissima est substantia absoluta, scilicet Deitas in tribus subsistens. Sed quidquid sit de eo, an ibi dentur vel non dentur tres substantiæ, cum hoc semper

per addito: *relativæ*; certè præter quòd verum ſit quamlibet Perſonam Divinam in ſe ipſa, ſuaq; entitate ſubſtantiali relativa ſubſiſtere, verum etiam eſt illic ſubſtantiam abſolutam, nempe Deitatem, eſſe in tribus Perſonis ſubſiſtentem. Cum dicitur unus Deus, verificatur propoſitio per ſubſtantiam abſolutam in tribus Perſonis ſuppoſitam. Quòd ad multiplicationem Perſonarum non multiplicentur Dii, provenit exinde, quòd ut concreta ſubſtantialia ſubſtantivè ſignificata dicantur plura, multiplicari oportet non tantùm Perſonas, ſed etiam naturas, ut colligitur ex ipſo Myſterio Trinitatis, & revelatis de illo. Mitto alia, de quibus videri poteſt Auguſt. Laurent. tract. in Log. 1mo Diſp. 6. ſect. 9. & 10. tum Theologi tract. de Incarnatione.

56. Dico 3*tiò*: Probabiliùs terminus denominativus quidditativè collectivè acceptꝰ ex ſuo ſignificandi modo partes in recto philoſophico non importat, ſed ſolùm ex partibus compoſitum, partes verò diſtributivè ſumptas in obliquo philoſophicè tali. Ratio: 1*mò* quia nullum fundamentum & nulla neceſſitas in concreto quidditativè accepto importandi omnia denominativa in recto, ſicut Connotatiſtæ in tali concreto (quod illis unicè concretum eſt) quamvis ſubjectum & formam debere in recto importari affirment, unionem tamen nec volunt, nec ſentiunt importandam. 2*dò* quia ſive cùm apprehenditur, ſive cùm ſignificatur tale concretum per aliquem terminum, rectà à cognoſcente tenditur in compoſitum ex ſubjecto & forma, atq; quaſi pro priori iſtud attingitur,

gitur, tum deinde ex obliquo & indirecto partes, ex quibus componitur, attinguntur. *3tiò* quia per partes collectivè ſumptas non poteſt meliùs, imò & convenienter intelligi quidquam, quam collectio partium, per partes collectivè ſumptas non aliud intelligendo, quàm ipſammet collectionem ex illis, ut vg. cùm dicitur à noſtris: *partes collectivè ſumptæ non diſtinguuntur à toto, diſtributivè ſumptæ diſtinguuntur à toto*, niſi per collectivè ſũptas collectionem intelligas, veri nihil dices, nam quod aliqui dicunt per partes collectivè intelligi partes omnes in recto, non ſatisfaciunt, quia & omnes diſtributivè ſumptæ importantur in recto, quamvis loquaris de unitis, nam quælibet pars totius etiam unita alteri comparti adhuc realiter diſtinguitur à toto, neq; totum eſt ſua quælibet pars, aut ſua omnis pars. Certè niſi hic modus loquendi in ſua proprietate probetur, res compoſita explicari phyſicè quidditativè non poterit, dicere enim vg. *homo eſt conſtitutum ex materia,, anima ſenſitiva rationali*, (adde etiam, unionem & ſubſiſtentiam) non eſt rectè hominem etiam quoad eſſentiam ſuam phyſicam explicare, nam etiam binarius ex homine & Angelo, eſt conſtitutum ex materia, anima rationali, unione & ſubſiſtentia hominis, nec tamen ille binarius eſt homo, homo enim eſt unum per ſe ſubſtantiale, binarius ille eſt unum per accidens.

57. Dico *4tò*: Termini denominativi materialiter denominativè concreti, habita præciſè ratione rei ſignificatæ, ſalvo eodem ſenſu, &

eadem realitate ejusdem rei ſignificatæ, poſſunt explicari ita, ut quod ex ſuo ſignificandi modo important in recto, poſſit per terminos explicativos importari in obliquo, & quod in obliquo, poſſit importari in recto. Idem dicendum de terminis formaliter denominativè, imò & quidditativè concretis. Sequitur tum ex præmiſſis num. 50. 51. & 52. tum ex inductione. Terminus denominativus materialiter denominativè concretus vg. *Petrus albus*, poteſt *imò* explicari ſic, ut ſubjectum veniat in recto, albedo & informatio in obliquo: *Petrus informatus albedine. 2dò* ut tam ſubjectum, quàm forma veniat in recto: *Petrus, quem informat, cui informativè ineſt albedo; Petrus, albedo & unio. 3tiò* ut utrumq; veniat in obliquo: cùm ſcilicet ipſe terminus denominativus ponitur in obliquo, vg. *Petrum album eſſe, eſt in ipſo ſubjectum albedinis, & albedinem, ac unionem informativam eſſe. 4tò*, ut ſubjectum in obliquo, forma veniat in recto, vg. *Petro informativè ineſt albedo.* Certè res per tales terminos ſignificata eſt omnino eadem, nihil enim plus, nihil minus, nec quidquam aliud per unam, quàm alteram explicationem ac ipſum terminum explicatum attingitur; per quamlibet etiam ejusmodi explicationem exprimitur eſſe denominativum albi. Dicunt ad hæc Connotatiſtæ, quòd in hac explicatione: *Petro informativè ineſt albedo*, ſicut & in hac: *à Petro habetur albedo*, ly *albedo* ſit rectum tantummodo grammaticale, & ad ſpeciem. Contra eſt ex dictis ad finem numeri 48. Addunt iidem, quòd idem ly *albedo*:

ſit

ſit æquivalenter obliquum. Contra eſt. Ergo & obliquum in hoc termino: *Petrus habens albedinem* eſt æquivalenter rectum. Tum quia æquivalentia eſſentialiter eſt mutua. Tum quia non eſt major ratio, ob quam rectum ſatiùs æquivaleat obliquo, quàm obliquum recto.

58. Objic: *imò*. Juxta dicta ſuperiùs, terminus denominativus materialiter denominativè concretus debet importare in recto ſubjectum. Ergo & omnis explicatio illius legitima, debet importare ſubjectum in recto. Reſpondeo. Diſtinguo *imò* Antecedens. Terminus &c ipſemet in recto poſitus, concedo; ipſemet in obliquo poſitus,nego. Diſtinguo *2dò* etiam Conſequens. Omnis illius explicatio explicans illum tam quoad rem ſignificatam, quàm quoad modum ſignificandi, concedo; explicans præciſè quoad rem ſignificatam, nego.

59. Objic: *2dò* Quæ quoad rem ſignificatam ſunt idem, ſunt de ſe affirmabilia. Sed per explicationes Concluſione 3tia propoſitas, inter alia, *Petrus albus* quoad rem ſignificatam, eſt idem, ac albedo ineſſens Petro. Ergo de Petro albo affirmabilis eſſet albedo ineſſens Petrò, quod eſt manifeſtè falſum. Confirmatur *imò*. De omni objecto legitimè explicato poteſt affirmari objectum actus explicativi ipſius, ut objectum definitionis de objecto definiti formalis. Sed Petrus albus eſt objectum explicatum, ut ponit inductio facta in probatione Concluſionis; & albedo informans Petrum, eſt objectum actus expli-

cativi. Ergo albedo informans Petrum eſt affirmabilis de Petro albo. Confirmatur *2dò*. Per omne objectum actus explicativi rei rectè reſpondetur ad interrogationem: quid ſit in re objectum. quod explicatur? Ergo ſi albedo ineſſens Petro eſt objectum actus explicativi evolventis ſignificatum, ſeu objectum termini: *Petrus albus*, rectè ad interrogationem: quid ſit in re Petrus albus? reſpondebitur, quòd ſit albedo ineſſens Petro. Reſpondeo nego Majorem, nam vox: *enſis*, & vox: *gladius*, quoad rem ſignificatam ſunt idem, terminos enim quoad rem ſignificatam eſſe idem, nihil eſt aliud, quàm idem eſſe unius termini ſignificatum, ſeu objectum, quod eſt alterius; neq; tamen ideo de voce: *enſis*, affirmabilis eſt vox: *gladius*. Sic neq; de termino: *Petrus albus*, affirmabilis erit terminus: *albedo ineſſens Petro*. *Confirmationi 1mæ*. Nego ſuppoſitum Majoris, quòd hoc loco agatur de explicatione objecti & naturæ ipſius; agitur de explicatione terminorum quoad rem ſignificatam, per quam præciſè intenditur, quòd unum idemq; objectum poſſit per terminos in modo ſignificandi per rectum, aut obliquum diſcrepantes attingi, & eadem denominatio explicari, adeoq; ad ſummum de objecto ſignificato per unum terminum, affirmari ſignificatum alterius termini, quod eſt veriſſimum. *Confirmationi 2dæ*. Nego itidem ſuppoſitum antecedentis, quod idem eſt cum ſuppoſito Majoris pro prima Confirmatione aſſumptæ. Per definitionem intenditur directè non tã explicatio definiti formalis, quàm potiùs rei, &

natu-

naturæ rei per illam ſignificatæ; hìc interim iſtud non intenditur, ac iſtius rei explicationi erit alius locus.

60. Objic: 3*tiò* & præcipuè contra Concluſionem 3tiam. In termino denominativo quidditativè concreto omnes partes debent venire in recto. *imò* quia verum eſt dicere: *Omnes partes collectivè non diſtinguuntur à toto*; ubi clarum eſt, omnes partes venire in recto. 2*dò* quia hæc propoſitio eſt vera: *duo Angeli ſunt binarius*, ubi, ut vides, Angeli importantur in rectò. 3*tiò* ex communi Dialecticorum doctrina, termini numerales ſupponunt collectivè, & tamen prædicantur & ipſi in recto, & ſubjecta illorum, ut cùm dicitur: *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, reſolvitur enim propoſitio in hanc: *Et Petrus, & Andreas &c, ſunt duodecim*, doceturq; à Dialecticis in tali expoſitione diſtribui quidem ſubjecti terminos, non tamen propoſitiones, ut contrarium fit, cùm ly *omnes*, ſupponit diſtributivè. 4*tò* quia ſi nihil compoſiti adfertur in recto per terminum in recto: *collectio, compoſitum*, neq; compoſitum adferetur in recto. Sed ſi partes compoſiti non adferuntur in recto termini: *compoſitũ*, nihil compoſiti adfertur in recto. Ergo &c. 5*tò* recta eſt iſta illatio: *partes totius diſtributivè ſumptæ poſſunt adferri in recto. Ergo & partes collectivè ſumptæ poſſunt adferri in recto*; valet enim à ſenſu diſtributivo ad collectivum in caſibus non exceptis. Atqui caſus, in quo ſumus, non eſt exceptus. Ergo &c.

61. Reſp: nego aſſumptũ. 1*ma ratio* ejus pro-

bat omnes collectivè partes venire in recto, ut patet refléctenti ad terminos propositionis allegatæ, id quod nostra asserit conclusio, ac proinde probat, quòd ipsamet collectio ex partibus distributivè sumptis sit rectum, sine dubio Philosophicum; quia partes collectivè sumptæ, ex parte rei significatæ, & ex parte modi significandi, significant idē omnino, quod collectio ex partibus cōposita. Atqui nō cōposita ex partibus collectivè sumptis, aliàs collectio esset compositum ex se ipsa, compositum ex composito, totum coalitum ex toto, quod est falsissimum. Ergo ex illis distributivè acceptis; ut sensus sit: collectio ex parte A, ex parte B. & parte C. composita &c.

62. *Ad 2dum.* In propositione: *duo Angeli sunt binarius*, ly *duo Angeli* sumitur collectivè, ita ut sensus sit: *collectio ex duobus Angelis, est binarius.* Alio quovis sensu esset falsa.

63. *Ad 3tium.* Termini numerales ex parte subjecti possunt supponere & distributivè & collectivè, ut cùm dico: *Omnes duodecim Apostoli sunt electi à Christo*, vel *uno excepto Sancti*, suppositio certè est distributiva, & propositio sic exponibilis: *& Petrus est electus à Christo, & Andreas est electus à Christo &c.* Similiter: *& ille est sanctus, & alter est sanctus, & tertius &c*, alioqui non esset terminus capax particulæ exceptivæ. Item cùm dico: *Petrus & Paulus sunt duo columina Ecclesiæ*, sensus est: *& Petrus est unum columen Ecclesiæ, & Paulus est alterum columen &c.* Sic etiam cùm dico: *binarius componitur ex duabus*

bus

bus unitatibus, *duodenarius ex duodecim*, unitates utrobiq; veniunt distributivè, aliàs propositio verissima esset falsa. Alia doctrina Dialectica de terminis numeralibus debet intelligi secundùm id, quod secundùm apparentiam videtur fieri, reipsa autem non fit, ut mox. Sic etiam in propositione: *& Petrus & Andreas &c, sunt duodecim*, ly *et* neq; propositiones distribuit, neq; terminos, sed sensus est: *& Petrus & Andreas &c. collectivè sunt duodecim*, ly *duodecim* pariter intelligendo collectivè. Sic etiam in hac: *omnes Apostoli sunt duodecim*, ly *omnes Apostoli* supponit collectivè in sensu jam explicato; potest etiam supponere distributivè, quia exponibilis est etiam per hanc: *& Petrus est Apostolus, & Andreas est Apostolus, &c. & nullus alius ultra istos est Apostolus*. Quod itaq; communiter dicitur, in propositione collectiva distribui terminos, non propositiones, est intelligendum de distributione ad speciem, ratione particulæ: *et* præferentis modū significandi distributivum, cùm revera non sit semper particula distribuens, sed interdum colligens, seu collectiva.

64. *Ad 4tum.* Nego Minorem, ipsum enim compositum sine dubio est aliquid compositi, ipsamet res, & tota illius essentia. *Ad 5tum.* transeat totum cum sua ratione, quia illatio, quæ valere asseritur, non infert quidquam nostræ conclusioni oppositum, ut patet. Antecedens quoq; illationis, si supponit omnes partes distributivè sumptas adferri in recto compositi, falsum est, adeoq; progressui ad faciendam illationem locum non relinquit.

65. Quæ-

65. Quæritur 2dò an rectum, & obliquum, idq; propriè tale, detur non tantùm in denominatione formali, sed etiam ipsamet objectivâ secundùm se, ita, ut rectum objectivum necessariò sit subjectum, & forma obliquum objectivum? Etiam ad hoc noviores Connotatistæ respondent affirmativè, saltem communiùs. Decisioni Præmitto *imò*. Rectum & obliquum objectum potest sumi imprimis pro recto & obliquo in actu 2do. Illud est objectum, quod actu attingitur per formale rectum; istud quod per formale obliquum &c. Potest deinde sumi pro recto & obliquo in actu 1mo, estq; objectum exprimibile, illud per rectum formale, hoc per obliquum formale. Istud aliud est in actu primo cum indifferentia, quod potest attingi per rectum, potest & per obliquum; aliud in actu primo cum determinatione, atq hoc sensu rectum in actu primo, erit objectum exprimibile, & necessariò exprimendum per rectum formale. Sic & obliquum. Istud rursus exprimendum necessariò in recto, nec aliter; diciturq; purè rectum; vel necessariò exprimendum in obliquo, nec aliter; diciturq; purè obliquum. Jam non erit purè rectũ, si necessariò quidem sit exprimendum in recto, sed possit exprimi etiam in obliquo; non etiam purè obliquum erit, si necessariò exprimendum sit in obliquo, quamvis in ejusdem rei conceptu possit etiam exprimi in recto.

66. Præmitto 2dò. Quæstionem inter Connotatistas, & nostros non esse de recto & obli-

quo

quo in actu 2do; extra dubium enim est dari objecta, quæ actualiter exprimuntur per rectum, & quæ per obliquum, ac quibus taliter exprimi est denominatio purè extrinseca; neq; de recto & obliquo in actu primo quasi præcisivè, cùm etiã certum sit dari objecta exprimibilia per rectum, & exprimibilia per obliquum; neq; de recto in actu 1mo cum indifferentia; sed de recto & obliquo in actu 1mo cum determinatione, idq; per respectum ad ejusdem rei conceptum simplicem vel istius explicativum. His præmissis

67 Dico. Non datur rectum objectivum ullius denominationis objectivæ necessariò exprimendum in recto, & pariter obliquum objectivum in conceptu ejusdem rei necessariò exprimendum in obliquo. *1mò* quia nullum est fundamentum, talem & taliter determinatam exigentiam attribuendi ulli objecto, ut omnino & in omni conceptu simplici, vel explicativo denominationis, quoad rem & suum esse sumptæ ad feratur in rectò &c. *2dò*. cùm clariùs res procedat in vocalibus terminis, nullum est objectum, quod in quolibet conceptu rei seu simplici, seu explicativo, exigat omnino importari in recto: non enim id exigit pro priori ad institutionem idiomatis, cùm liberum fuerit Institutoribus velle illud significari per casum nominativum, vel per quemcunq; obliquum; non etiam supposita institutione idiomatis, atq; in hoc rectorum & obliquorum constitutione, cùm etiam hac stante nulla res exigat significari omnino in recto, & nõ in obli-

obliquo, ac è contra, ſiquidem poteſt illâ ſuppoſitâ ſignificari indifferenter per rectum & obliquum. Tum quia objecti natura non alia eſt poſt inſtitutionem, quàm fuerit ante illam; ſi itaq; ante illam erat ex parte ſua indifferens, ad ſignificari hôc aut illo modo, etiam poſt illam manet æquè indifferens. Tum quia etiam admiſſa tali inſtitutione primæva, poteſt illi deinde præſcribi, aut communi & ſtabili uſu loquentium, aut ex particulari intentione & accommodatione loquentis in particulari caſu, quâ quisq; prudenter uti poteſt, cùm aliam rationem adeo expeditam cõceptus ſuos, aut rem ipſam explicandi non invenit, aut judicat expeditiorem futuram, quamvis inſtitutioni contrariam. Ergo nullum datur objectum ex natura ſua determinatum ad vg. per rectum ſignificari, aut per illud explicari. Huc faciunt dicta num 57. quæ omnia tantò magis de mentali conceptu procedunt, quantò minus intellectus, & voluntas ipſius directiva in ſuis intelligendi modis, legibus inſtitutæ vocum ſignificationis, adſtringuntur.

68. Dices, rectum objectivum eſſe id, quod eſt affirmabile de re *Contra eſt*. Vel per affirmabile de re intelligis affirmabile, & neceſſariò affirmandum per rectum formale; & omnia ſuperiùs dicta in contra ſunt, nam potuit per Authores linguæ inſtitui, ut affirmatio fieret per obliquum, non rectum, vel ut fieret æquè bene per rectum, aut obliquum, prout defacto fit tum in lingua Latina, juxta quam idem eſt dicere vg.

opus

opus est est mihi liber, & *opus est mihi libro*; tum in Patrio nostro idiomate, in quo perinde omnino est dicere: *Piotr iest człowiek*, & *Piotr iest człowiekiem*. Vel intelligis affirmabile de re, seu per rectũ seu per obliquum formale; & sic non potiùs dicendum erit rectum, quàm obliquum objectivum; utrumq; cum indifferentia. Dices, in Polonico idiomate prædicatum hujus propositionis: *Piotr iest człowiekiem*, esse obliquum tantummodo grammaticale, æquivalet enim recto huic: *człowiek*. Respondeo. Nego, quòd sit purè grammaticale obliquũ, cùm habeat modum significandi proprium etiam obliqui Philosophici; exprimitur enim suum significatum instar termini, ad quem certam quandam habitudinem, scilicet identitatis, habet Petrus. Deinde ad æquivalentiam recurrere nihil juvat, quo enim jure tu dixeris ly *człowiekiem* esse obliquum, quia æquivalet recto *człowiek*, eodem jure dicam ly *człowiek* esse rectum purè grammaticale, quia æquivalet obliquo isti: *człowiekiem*, æquivalentia enim essentialiter est mutua; ac proinde sicut ex vi responsionis obliquum, propter æquivalentiam ad rectum, est satiùs rectum, quàm obliquum, ita rectum propter æquivalentiam ad obliquum, erit satiùs obliquum, quàm rectum, ut jam superiùs dictum.

69. Objic. *imò*. Datur nemine cogitante res in conceptu simplici & explicativo exprimibilis nonnisi per rectum, & aliqua res, nonnisi per obliquum, vg. *Creatura connexa cum DEO ut talis*, nec concipi, nec explicari potest, nisi adferatur

feratur creatura in recto, Deus in obliquo. Ergo datur rectum & obliquum objectivum cum determinatione. Respondeo, distinguendo Antecedens. Datur res ex natura sua nonnisi &c. Nego. Datur res ex Institutione significationis vocum (quàm natura objecti ex se non exigit) nonnisi &c. transeat; potest enim etiam id negari, nam cōceptus ille simplex potest quoq; sic explicari: *Creatura ex natara sua non potens esse, quin sit Deus.* Vel *creatura ens, quod si est, Deus est*, vel *Creatura naturâ suâ requirens essentialiter, ut sit Deus*, vel *Creaturam esse, est consequenter Deum esse, &c.* per quos conceptus sufficienter explicatur connexio creaturæ cum Deo, quamvis in aliquo illorum creatura & Deus ponantur ambo in recto, ambo in obliquo, & DEUS in uno indirectè, directè in altero.

70. Objic: *2dò.* Ad veritatem propositionis affirmativæ requiritur identitas recti prædicati cum recto subjecti. Atqui non identitas recti formalis; aliàs suppposita indivisibilitate propositionis mentalis, hæc: *Petrus est lapis* esset vera, quia rectum illius formale identificaretur adæquatè realîter illius prædicato formali, & supposita illius divisibilitate, falsa esset ista: *Petrus est homo*, quia rectum formale subjecti non identificaretur realiter adæquatè recto formali prædicati. Ergo identitas adæquata inter rectum subjecti, & rectum prædicati objectivum. Ergo datur rectum & obliquum objectivum. Respondeo. Transeat totus syllogismus. Distinguo consequens subil-

latum

latum. Ergo datur rectum objectivum naturâ suâ determinatè tale, nego; tale in actu 2do per accidens, vel in actu 1mo indifferenter ex parte sua, concedo.

71. Objic. 3*tio*. *Si* rectum & obliquum darentur tantummodo quoad vocem, istæ denominationes: *Petrus habens equum*, & *equus habitus à Petro* non differrent, nisi vocibus, ut ensis & gladius. Sed hoc non; aliàs de Petro habente equũ posset verè affirmari, equus habitus à Petro, & quidquid verè affirmabile esset de uno ex illis, esset & de altero. Ergo &c. Respondeo *imò*. Nego suppositum majoris, quòd negatis rectis & obliquis objectivis in sensu Connotatistico, recta & obliqua darentur tantùm quoad vocem, hoc enim supponit recta & obliqua objectiva nihil esse præter vocem. Esto darentur illa, & consisterent tantùm in voce, vel etiam in conceptibus, non ideo darentur tantùm quoad vocem, dari enim quoad vocem est re ipsa non dari; & vocem vel conceptum, aut nullius objecti significativum, sed tantùm fictivum esse, aut esse objecti omnino chimerici. Recta formalia dantur etiam in vocibus, nec interim dici potest illa tantummodo quoad vocẽ dari; dantur enim verè realiter, & verè sunt recta & obliqua, tantò verò magìs, si præter recta & obliqua in conceptibus & vocibus consistentia admittimus dari recta & obliqua objectiva, quamvis non in sensu Connotatistico. 2*do*. Nego sequelam quoad istam partem, quòd non different, nisi vocibus, nam si res est de denominationibus

forma

formalibus, differunt etiam modis tendendi, quos habent, in eadem quidem objecta, tamen diversos re, vel ratione; si verò agitur de denominationibus objectivis materialiter sumptis, differunt realiter, quia denominata *Petrus* & *equus* specie differunt. Quodsi res est de denominationibus objectivis formaliter sumptis, differunt, non quidem re, sed ratione ratiocinata, quia eadem quidem realiter forma, & per eandem realiter habitudinem, denominat Petrum, ac equum, aliter tamen Petrũ, aliter equum. Deniq; si agitur de denominationibus concretè quidditativè sumptis, differunt; concretum enim Petri habentis equum, constituitur Petro, & activa habentia equi, nõ item equo, qui est purus terminus: concretum autem equi habiti à Petro, constituitur equo, & habitione illius passiva, non tamen Petro. Ad extremum si de denominationibus concretè denominativè, vel (ut Connotatistæ) materialiter denominativè sumptis res est, differunt realiter, quia differunt subjectis, quamvis non formâ, & denominatione in ratione denominationis. Nego ulterius sequelam Majoris quoad illam comparationem: *ut ensis & gladius*. Voces enim: *ensis* & *gladius* prorsus Synonymæ sunt, atq; idem re, & ratione objectum, eodemq; prorsus modo significant; secus voces istæ complexæ; *Petrus habens equum*, & *equus habitus à Petro*. Minorem quoq; absolutè nego, quia ut unum non affirmetur de altero, satis est, quòd materiali significato distinguantur realiter, quamvis formali & quoad denominationem non distinguantur.

72. Ob-

72. Objic. 4*tò*: Quamvis terminus objectivus, non ſit terminus Logicus formalis ſimpliciter, eſt tamen adhuc propriè terminus. Sic extrema pars lineæ, quamvis non ſit terminus formalis Logicus, eſt tamen terminus realis propriè. Ergo etiam rectum objectivum, quamvis non ſit propriè rectum formale Logicum, eſt tamen adhuc rectum reale propriè. Reſpondeo *imò*. Non eſſe laborandum de proprietate recti objectivi, cùm illud dari in ſenſu, de quo quæſtio, probatum non ſit. 2*dò*. Quamvis illud daretur, non eſſet propriè rectum, ut quamvis detur definitio objectiva, propoſitio objectiva, ſyllogiſmus objectivus, tamen iſta non ſunt propriè definitio, propriè ſyllogiſmus. Ad ſummum poſſet dici rectum in actu *imo*, cognoſcibile vel cognoſcendum omnino in caſu nominativo, ut volunt. 3*tiò*. Nego Antecedens, quòd ſcilicet terminus objectivus ſit ſimpliciter terminus. Antecedens negatum una inſtantia non evincit, cùm ſint in contra innumeræ. Sic in ipſa linea, quotquot partes intermediæ ſunt, tot ſunt termini objectivi, unusquisq; comporatè ad terminum formalem, cujus eſt objectum, neq; tamen ulla pars intermedia eſt propriè terminus lineæ, &c. Eſſe propriè rectum objectivum, non infert eſſe propriè rectum, ſicut eſſe propriè pictum hominem, non infert eſſe propriè hominem, quia ly *propriè*, poteſt ipſam improprietatem afficere, & quidquid improprium eſt, poteſt eſſe propriè, non fictè, ſcilicet improprium. 4*tò*. tranſeat totum, quamvis enim rectum objectivum

ctivum esset propriè rectum, si daretur, inde non sequitur, quòd detur, vel dari possit in sensu, de quo quæstio.

73. Objic. 5tò. Si rectum objectivum non daretur, esset ex placito proferentis in aliqua denominatione quodcunq; in recto vel obliquo importare. Sed hoc non; quia non est ex placito nostro, ut res hæc vel illa in denominatione sit affirmabilis vel exprimibilis per casum rectũ; aliàs esset ex placito nostro, ut res identificetur, vel non identificetur rei, vel denominationi. Ergo &c. Confirmatur 1mò. Non est per Anticonnotatistas in arbitrio cujusq; ut hæc vg. denominatio: *paries albus* nunc parietem, nunc albedinem importet in recto; potiùs enim per illos semper paries debet importari in recto, albedo in obliquo, ideoq; docent hanc prædicationem: *saccarum album est dulce* esse veram, quia etsi obliqua à se distinguantur, recta tamen subjecti & prædicati identificantur. Item in casu materiæ ejusdem per formam simul hirci & cervi informatæ, quamvis verum sit dicere: *materia hirci est materia cervi*, non tamen est verum dicere: *hircus est cervus*. Confirmatur 2dò. Non est in arbitrio nostro, ut compositum substantiale unionem modò in recto, modò in obliquo importet, semper enim importare debet in obliquo, ut materiam & formam in recto; quia unio semper est requisitum ut quo, materia autem & forma, sunt requisita ut quod.

74. Respondeo 1mò. Nego sequelam, quamvis enim non esset in placito proferentis in aliqua

aliqua denominatione quodlibet importare in recto, vel in obliquo, sufficit, quòd id ipsum esset in placito & arbitrio Institutorum idiomatis; item in arbitrio volentis rem concipere modo proprio recti vel obliqui. Deinde posset proferens aliunde esse determinatus ad ponendum hoc in recto, illud in obliquo, neq; tamen objectũ ex parte sua determinatum ad illud nonnisi in recto, istud ad nonnisi in obliquo importari.

75. Respondeo *2dò.* Nego minorem. Probationi minoris nego consequentiam. Sicut enim quamvis non sit in arbitrio voluntatis, ut DEUS sit, vel non sit amabilis, tamen in arbitrio illius est, ut illum amet, vel non amet, ita quamvis non esset in arbitrio volentis exprimere aliquod requisitum denominationis, ut illud sit, vel non sit exprimibile in obliquo, tamen est in arbitrio illius, ut exprimat rem in recto, vel in obliquo. Identitas verò unius cum alio, dato, quòd inferat affirmabilitatem unius de alio, de quo tamen Disp. 2. sed non infert affirmabilitatem determinatè & nonnisi per rectum, hoc enim dependet à placito pro vocali affirmatione Institutorum linguæ, vel illi præscribentium, vel particulari accommodatione; pro mentali verò ab arbitrio voluntatis determinantis intellectum ad hunc vel illum modum affirmandi. vg. *Petrus est homo*, vel *Petrus adæquatè identificatur homini &c.*

76. *Confirmationi 1mæ* transeat iterum, quòd non esset in arbitrio cujusq; in denominatione: *paries albus* nunc parietem importare in re-

cto, nunc albedinem; sufficit quòd esset in arbitrio cujuscunq; alterius, ac imprimis Institutorum idiomatis, qui certè poterant constituere, ut idem & eodem modo significaretur per rectum, quod per obliquum. Nego, quòd Anticonnotatistæ istã prædicationem: *saccarum album est dulce*, ideo dicunt esse veram, quòd recta sibi identificentur, quamvis obliqua distinguantur, non est enim illis hæc adæquata causalis, alioqui & ista per illos esset prædicatio vera: *saccarum album est amarum*, quia recta sibi identificantur, quamvis distinguãtur obliqua. Non ideo certè saccarum album est dulce, quòd saccarum sibi identificetur, hoc enim illi est essentiale & necessarium, esse autem albũ, & cùm sit album, esse etiam dulce, est illi omnino accidentarium &c. Unde non ideo saccarum est album, quòd sit saccarum atq; etiam dulce &c. sed album est, quia constituit unum concretum accidentale cum albedine illud informante. Similiter & dulce &c dato, quòd essent, qui hac causali contenti viderentur. Unde non sequitur, quòd in hac denominatione objectiva: *paries albus* debeat paries importari, ut rectum albedinis, quod supponit objectio; hæc enim denominatio parietis est denominatio non *de inesse*, sed per *appositionem*, adeoq; sensus illius est: *parieti adhæret calx alba*. Adde non obstante identitate saccari secum, & distinctione albedinis à dulcedine, & è contra, possent albedo, & dulcedo importari in recto, sic vg. *saccarum*, *quod informat albedo*, *est saccarum quod informat dulcedo*. Idem dicendum de ultima illa propositio-

sitione: *materia cervi est materia hirci.* Quòd falsum sit dicere: *hircus est cervus*, in præmisso casu provenit quidem ex defectu adæquatæ identitatis inter compositum vel suppositum, quod est hircus, cum composito vel supposito, quod est cervus, non tamen ullo modo per importantiam utriusq; in recto, quia posita alia institutione idiomatis, potuisset esse falsa, quamvis unum ex illis in recto, alterum importaretur in obliquo, ut est falsa etiam hæc: *hircus est idem adæquatè cum cervo*, vel *datur identitas adæquata inter hircum, & cervum.*

77. *Confirmationi 2dæ* nego assumptum & suam rationem. Hujus probationi nego unionem esse requisitum *ut quo* respectu compositi, requiritur enim ad illud, *ut quod*, eadem omnino ratione, atq; subjectum vel forma. Respectu partiũ, nõ cõpositi habet se *ut quo*, quatenꝰ est id, medio quo illæ secum, & cum ipsa uniuntur. Dato verò nõ concesso, quòd tam respectu compositi, quàm respectu partium esset *ut quo*, nihilominùs significabilis est in recto, & *ut quod*, est enim subjicibilis directè prædicatis suis essentialibus & accidentalibus, atq; etiam similiter affirmabilis, ut cùm dicis: *Unio est nexus duorum*, & è contra denominatio hæc: *corpus unitum*, concretè sumpta per Adversarios debet importare in recto & subjectum & formam denominationis. Sed forma denominationis illius non est alia quàm unio. Ergo & unionem &c.

78. Infertur. *imò* denominationes re-

cti & obliqui in actu 2do esse extrinsecas objectis significatis, objecta enim denominantur recta vel obliqua à conceptibus vel signis vocalibus, tali vel tali modo, directè scilicet vel indirectè significativis objecti. *2dò* denominationes recti & obliqui in actu 1mo remoto esse intrinsecas objecto, quoties denominatio exprimibilis venit ab intrinseca capacitate ipsius objecti; extrinsecas, quoties venit à potentia potente importare objectum in recto, vel obliquo. *3tiò* denominationes recti vel obliqui in actu 1mo proximo esse ut plurimùm semi extrinsecas objecto, nam ut plurimùm consistunt in intrinseca objecto exprimibilitate illius per rectum vel obliquum, & proxima dispositione potentiæ ad illud, hoc vel illo modo exprimendum, quæ illi accidentaria est.

QUÆSTIO QUARTA
De Suppositione, Appellatione, Reduplicatione termini Denominativi formalis.

79. NOn agitur de suppositione termini denominativi vocalis pro conceptu interno, sed pro re significata; neq; de suppositionibus termini denominativi, seu mentalis, seu vocalis, quæ sunt illi communes cum aliis terminis, verùm agitur de suppositionibus propriis termini denominativi &c. Hoc supposito.

80. Di-

80. Dico: Suppositionem termini denominativi esse substitutionem illius pro aliquo uno, vel pluribus ex requisitis essentialiter, & peculiariter ad denominationem objectivam. Suppositio hæc alia est *totalis*, quæ scilicet supponit terminum pro omnibus prorsus requisitis, scilicet subjecto, forma, & applicatione; alia *partialis*, quæ eundem terminum substituit præcisè pro uno vel pluribus, non tamen omnibus illis requisitis. Suppositio totalis alia est *distributiva*, quæ supponit distributivè pro omnibus denominativis, alia *collectiva*, quæ supponit pro toto complexo ex iisdem requisitis.

81. Totalis distributiva alia est *simpliciter talis*, quæ pro omnibus distributivè supponit terminum, per ordinem ad idem prædicatum de singulis affirmandum vel negandum, ut terminus: *album, existens*, supponit enim omnia, & singula existere; alia distributiva *accommoda*, quæ unicuiq; ex distributis suum proprium prædicatum assignat, ut cùm dico: *album partim est substantia partim accidens, partim ratum, partim ens modale.*

82. Suppositio partialis alia est *materialis*, quæ supponit terminum pro re aliqua tenente se ex parte subjecti denominati ut talis; alia *formalis*, quæ supponit pro re tenente se ex parte formæ denominantis ut talis. Utraq; alia est *materialis ut quod, seu purè materialis*, quæ est substitutio termini prò ipsa secundùm se entitate subjecti, ut in hac: *album est substantia*; alia *materia-*

lis ut quo, quæ eſt ſubſtitutio termini pro entitate, in qua conſiſtit applicatio formæ denominantis, *ut album eſt participatio quædam albedinis*; alia *formalis ut quod*, & ſupponit pro entitate formæ ipſius, ut cæteris contradiſtincta, ut in hac: *album immediatè disgregat viſum*, iſtud enim convenit immediatè albedini; alia *formalis ut quo*, & ſupponit terminum pro applicatione formæ ad ſubjectum, ut ſi dicas: *album eſt communicatio quædam, per quam ſe albedo ſubjecto communicat*. Rurſus ex his utraq; vel eſt purè & inconcretè, vel non purè, ſed concretè materialis, aut formalis. Materialis vel formalis purè inconcretè talis, ſubſtituit terminum pro ſola entitate ſubjecti, vel entitate formæ &c. Materialis concretè talis, ſubſtituit terminū denominativū pro ſubjecto ſumpto cum applicatione ſua ad formam. Formalis concretè talis, ſupponit terminum pro forma, cum applicatione illius ad ſubjectum. Cùm ergo terminus denominativus, ut per te colligis, multiplicem ſuppoſitionem habere poſſit,

83. Quæres: ex quibus indiciis colligendum, quòd terminus denominativus ſupponatur potiùs pro uno, quàm pro alio, uno modo, quàm alio in propoſitione, quam ingreditur, idq; præcipuè ex parte ſubjecti propoſitionis? Reſpondeo *imò*. Colligendum eſſe ex regula illa Dialectica ab antiquis tradita, & Recentioribus probata: *talia ſunt ſubjecta, qualia eſſe permittuntur à prædicatis*; cujus ſenſus eſt iſte: cùm fieri ſine inconvenienti poteſt, ſubjecta propoſitionum taliter,

& pro

& pro eo esse sumenda, seu supponenda, secundùm quod illa sumi, & pro quo supponere oportet, ut propositio sit satiùs vera quàm falsa, ut enim alia, ita & propositiones in dubio sensu in meliorem partem sunt interpretandæ, & quia meliùs est propositionem veram esse, quàm falsam, potiùs in eo sensu accipi debet, in quo est vera, quàm in quo falsa.

84. Respondeo *2dò*, id ipsum colligendum esse ex Dialecticis regulis appellationis. Appellatio autem est, ut bene Fonseca, unius termini per alterum denominatio, quæ potest in propositione interdum ex parte subjecti esse, interdum ex parte prædicati. Differt à suppositione, quòd hæc possit esse in uno simplici termino, illa duos ad minimum requirat, quorum unus appellat, alter per illum appellatur. Dividi potest eo omni modo, quo superiùs divisa est suppositio. Regulæ illius, missis, quæ minùs probabiles, & communiùs rejiciendæ Authoribus videntur, sunt sequentes. *1ma* in prædicatione essentiali necessaria prædicatum appellat tam materiale, quàm formale subjecti significatum; ut si dicas: *homo est substantia*, quia tam materiale termini: *homo*, quàm formale est substantia. *2da*. Terminus denominativus accidentalis dictus de substantiali sive substantivè, sive adiectivè expresso, cadit supra illius materiale & formale significatum. vg. *homo est Sanctus*, quamvis sanctitas soli immediatè insit naturæ, tamen non tantùm illam, sed etiam suppositum

ſitum illius denominat, nam ſicut actiones, ita alia prædicata, ac denominationes quoq; ſunt ſuppoſitorum. Deinde, quod denominativè ineſt parti, plerumq; denominativè ſolet ineſſe etiam toti, ut liquet in denominatione hominis corporei, naturaliter defectibilis &c. *3tia.* Cùm terminus denominativus accidentalis dicitur de alio accidentali, ſi idem ſubjectum utramq; formam habeat, prædicatum appellat materiale, non formale ſubjecti; ut in hac: *album eſt dulce, &c.* *4ta.* Si in eodem propoſitionis extremo vg. in ſubjecto, aut prædicato vox adjectiva addatur alteri ſubſtantivæ vel adjectivæ, vox adjectiva appellat alterius ſignificatum formale, ut in hac: *Petrus eſt optimus Orator, magnus Sanctus* &c. ly *magnus*, ly *optimus*, non appellat ſupra materiale Sancti vel Oratoris, ſed ſupra formale ut ſenſus ſit: Petrus habet peritiam artis Oratoriæ optimam, habet Sanctitatem magnam, *5ta.* Voces quæ ſignificant actionem intellectûs, vel appetitus, appellant in ſuo termino formale ſignificatum, ut in hac: *amo dulce*, ſignificat amari dulcedinem, &c. *6ta.* Prædicata numeralia in adjectivis ſive ſubſtantialibus, ſive accidentalibus appellant ſupra materialia, ut cùm dico: *alba ſunt tria*, tria cadunt ſupra ſubjecta albedinis, cùm iſta dicantur multiplicare concreta, quamvis in ratione denominatorum, non denominationum &c; in ſubſtantivis ſubſtantialibus ſupra materiale & formale &c.

85. Reſpondeo *3tiò.* Ad id ipſum adhibe-

hiberi solet ab Authoribus reduplicatio per particulas ipsius proprias, quæ sunt: *quatenus*, *quà*, *ut*, *inquantùm*, *secundùm quod*, *quoad*, & similes. Reduplicatio autem rectè ab Antiquioribus, quanquam & à Recentioribus multis, dividitur in *causalem*, & *specificativam*. *Causalis* est, quæ rem termino reduplicato significatam designat esse rationē, propter quam convenit subjecto suum prædicatum. *Specificativa* autem præcisè designat subjectum per ordinem ad verificandum prædicatum, supponere prò hoc, aut illo significato termini positi in subjecto propositionis, cujus proinde ea virtus est, ut quod reduplicat, illud æquivalenter prædicato subjiciat, aliorum verò, quæ per terminum in subjecto positum significantur, per ordinem ad prædicatum nulla ratio habeatur, si fortè prædicatum sit, quod non possit omni significato subjecti convenire. Multiplex autem dicitur juxta multiplicitatem suppositionis divisæ num. 80. & seq. Notandum nihilominus ex particulis reduplicativis in materia præsenti consultiùs abstinendum esse à particulis: *ut*, *quà*, *inquantùm*, utendumq; satiùs particulis: *secundùm quod*, *quoad*, addendo terminum significativum illius rei, pro qua velis supponere terminum denominativum; priores enim particulæ sensum relinquunt perplexum, magnumq; aperiunt campū Adversariorum æquivocationibus, quem evitamus per alias particulas prædicto modo adhibitas.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA
Quomodo se habeat terminus denominativus in propositione?

86. TErminus denominativus in propositione, vel subjicibilis est, vel prædicabilis. Subjici autem potest, vel termino non denominativo, ut in hac: *Petrus albus est aliqua entitas*; vel denominativo idq; essentiali, ut in hac: *album est coloratum*, albo enim essentiale est esse coloratum, sicut albedini esse colorem; vel denominativo accidentaliter conjuncto, ut: *saccarum album est dulce*, vel *Petrus albus est doctus*, accidens enim est albo esse dulce, vel doctum; vel deniq; repugnanti, ut in hac: *Æthyops niger est albus*. Sic etiam prædicabilis est vel de subjecto non denominativo, vel de denominativo essentiali, vel accidentali &c. Quærere itaq; quomodo se habeat terminus denominativus in propositione est quærere, quomodo se habeat, cùm esset vel subjectum, vel prædicatum propositionis? idq; sive affirmativæ, sive negativæ. Multa sunt, quæ in particulari inquiri possunt; atq; ita

87. Quæritur 1*mò*. Terminus denominativus adjectivus (de substantivo non dubitatur) an sit se solo subjicibilis in propositione, vel se solo affirmabilis? Respondeo se solo subjicibilem non esse; affirmabilem esse. *Ratio 1mi*, quia terminus adjectivus se solo positus pro subjecto, nul-

lo sci-

lo ſcilicet ſubſtantivò tam appoſito, quàm ſubintellecto, non facit cum verbo ſeu perſonali, ſeu imperſonali orationem perfectam, & quæ ſit vera, vel falſa. *imò* quia eſt iſta termini adjectivi ut talis eſſentia ex dictis num: 24. *2dò* quia cùm dico vg. *albus currit*, adjectivum *albus*, nullo modo determinat intellectum, cuinam applicetur, conſequenter tota orationis ſignificatione perſpecta intellectus non aſſequitur, de quonam dicatur prædicatum, cùm nec aſſequatur, quinam ſit albus, ac proinde conformiter, an difformiter de illo affirmetur, quòd ſit albus. *3tiò*: quia adjectivo ſolitariè poſito pro ſubjecto verbi, non eſt vis orationem perfecti ſensûs conſtituendi cum verbo ſive jure inſtitutionis primævæ, ſive præſcriptionis, ſive quocunq; alio. Dices vox: *albus* ſignificat indeterminatè ſubjectum, quaſi *aliquis albus*. Contra eſt, quia nec ipſum additum: *aliquis*, cùm ſit adjectivum, quidquam ſignificat, quod diſjunctim vel disjunctivè ſaltem notificet, tantò magis determinatè. Non disjunctim; quia in prædicta propoſitione: *albus currit*, prædicatum non eſt affirmabile de ſubjecto disjunctè ſupponente. Non disjunctivè; quæ enim ſubjecta disjungeret? determinatum deinde verificativum habere deberet, quod verò illud?

88. *Ratio 2di* quia in his: *Petrus eſt doctus, albus, Sanctus*, eſto ex parte prædicati nullum explicitè vel implicitè ſuperadderetur ſubſtantivum, reddit ſenſum orationis perfectæ quodlibet ex dictis adjectivum, ut per ſe patet, non fa

cta

cta etiam ulla subjecti propositionis, scilicet Petri, ex parte prædicati replicatione. *1mò*: quia neutrius ulla est necessitas *2dò* quia aliàs propositio haberet vitium Tautologiæ. *3tiò* quia propositio hæc vg. *tantùm homo est Sanctus*, utiq; falsa, esset vera, quia æquivaleret huic: *tantùm homo est homo Sanctus*. *4tò* quia alioqui nullus terminus adjectivus posset de quoquam, nisi in termino complexo affirmari, quod ad minimum purè arbitrariè requireretur.

89. Quæritur *2dò*. An obliqua substantiva se solis prædicari vel subjici possunt? Respondeo. Obliqua termini substantivi se solis verbo *est*, aut alteri personali subjici non possunt; possunt se solis prædicari etiam per verbum *est*; cum verbo verò impersonali possunt se solis & subjici & prædicari; habentq; vim termini denominativi. *Ratio 1mi*. Tum quia obliquum se solo verbo: *est*, vel alteri personali antepositum, non facit orationem perfectam, quia taliter constructũ, neq; ex primæva institutione, neq; ex præscriptione Philosophica, vel alia quacunq;, conficit orationem perfectam, ut patet in his: *Petri currit*. *Petri est homo*. Tum quia obliquum ut tale est institutum ad significandam aliquam alterius habitudinem ad illud, non verò ad significandam ipsius habitudinem ad aliquid; jam in propositione per ejusmodi verba constituta, significatur habitudo subjecti ad prædicatum, non è contra seclusa modificatione.

90. *Ratio 2di* quia propositio vg. hæc:

liber

liber hic est Aristotelis, stylus iste est Ciceronis, est oratio habens sensum perfectum & quæ possit esse vera aut falsa, atq; illius sensus est, qui istius: *hic liber est Aristotelicus; hic stylus est Ciceronianus.* Dices subintelligi debere ex parte prædicati substantivum saltem generale vg. *hic liber est res Aristotelis, hic stylus est stylus imitativus Ciceroniani.* Contra est, quia nulla est necessitas istius substitutionis, constat enim ex grammatica verbum: *sum*, posse construi cum genitivo. Jam si subintelligi deberet aliquod substantivum nomen, non esset ista constructio verbi, sed substantivi nominis subintellecti per regulam nostri Emanuelis; *Quotiescunq; &c.* Sic etiam prædicari possunt nomina, quæ rectis carent, ut: *hæc res est nihili, flocci, frugi*; item cum præpositione ut *mens, ratio, consilium est in senibus; Petrus est in loco, in tempore. &c.*

91. *Ratio 3tii* quia hæc vg. oratio: *Petrum pænituit sui peccati; miseret me tui*, habet sensum perfectum, quamvis constet solis obliquis. Confirmatur ex Aristot. lib. 1. Perih. 2. ubi de obliquis inquit: *non sunt nomina, sed casus nominis, quia cum est, vel fuit, vel erit*, (seu cum præfatis verbis) *neq; verum neq; falsum est, ut Philonis est vel non est; nomen verò* (loquitur de nomine in casu recto) *quoties ponitur cum illis verbis, semper verum vel falsum est.* Loquitur itaq; *imò* de obliquo anteposito, non postposito verbo: *sum.* *2dò* in comparatione cum recto addit isti: *semper*, super quo additamento cum D. Thoma, & aliis

com-

communiter Interpretibus Toletus in expositione textûs ʃ ultimo. *Nota*, inquit, *Aristotelem non dixisse: obliquum cum verbo non facit enuntiationem, sed: semper; nam aliquando facit, ut: placet Petro, tædet me, sed id non semper. At nomen semper id habet.* Ex mente igitur Aristotelis, quamvis obliquum antepositum verbo: *est*, *fuit*, *erit*, non possit facere orationem sensûs perfecti semper, quæ possit esse vera vel falsa, non tamen id negat de obliquo iisdem verbis vel aliis personalibus postposito, aut verbis impersonalibus sive postposito, sive anteposito. Porro in propositione vg: *Petrum pœnituit peccati*, *Petrus* est subjectum, jam verò ly: *pœnituit peccati* est prædicatum.

92. Objic: *imò*. Nisi obliquo substituatur ex parte prædicati aliud substantivum in recto, propositio affirmativa esse non poterit vera, quia hæc ad veritatem requirit identitatem recti subjecti cum recto prædicati. Respondeo *imò*. Non esse de ratione propositionis, etiam affirmativæ, ut sit vera, sed ut sit perfecta oratio verè vel falsò enuntiativa alicujus de aliquo. *2dò*. Transeat, ad veritatem affirmativæ requiri identitatem recti subjecti cum recto prædicati, quoties præter rectum subjecti, aliud vel idem repetitum adest ex parte prædicati, secus cùm non adest ex parte prædicati. *3tiò*. Cùm solum obliquum pro prædicato ponitur, rectum subjecti idem est rectum prædicati, non tamen de necessitate replicandum ex parte prædicati.

93. Objic. *2dò*. Inter adjectiva & obli-

qua

qua disparitatem esse, quia adjectiva important formale significatum, quod subjecto inest, ac proinde possunt verè affirmari inesse recto subjecti, ut cùm dicitur: *hic liber vel stylus est Ciceronianus*, significatur vel possessio libri, vel imitatio Ciceronis in arte Oratoria, aut aliquid simile inesse libro, vel stylo. Cùm verò casus obliqui habeant suum significatum & materiale & formale idem, quod illorum recti, sequitur, quòd qui diceret: *hic liber est Ciceronis*, diceret inesse libro Ciceroneitatem, unde esset propositio falsa. Respondeo nullam esse disparitatem, supplet enim hoc totum, verbum positum cum obliquo, quod modificatum per obliquum dicit, scilicet librum vel stylum habere aliquam habitudinem ad Ciceronem, quamvîs istam habitudinem verbum *est* non exprimat categorematicè, sed tantùm syncategorematicè.

94. Quæritur 3*tiò*. Terminus denominativus quomodo supponere possit ex parte subjecti vel prædicati? Respondeo omni ferè illo suppositionis modo, de quo suprà num. 80. & sequ. juxta naturam prædicati vel appellationis, usum communem vel in particularibus circumstantiis etiam particularem Philosophorum &c.

95. Quæritur 4*tò*. Terminus denominativus, imprimis autem accidentalis an sit prædicabilis in *quid*, vel in *quale*, vel in *quid quale*? Non dubitatur de terminis denominativis essentialibus & substantivis, quod possint prædicari in *quid*, quia per illa potest aptè responderi ad

inter-

interrogationem *quid sit res?* atq; certum est, quòd sint de quidditate rei, de qua verè affirmantur. Non dubitatur etiam, quòd termini denominativi sive accidentales, sive essentiales possint prædicari in *quale*. Nec dubium est, quòd insuper termini denominativi subjecto denominationis essentiales possint prædicari in *quid quale*; certum enim est illos posse sic prædicari, ut cùm dico: *coloratum albedine est quoddam album*; sed dubium est, an termini denominativi accidentales, possint de subjectis prædicari in *quid*? Si poterunt, poterunt consequenter prædicari in *quid quale*.

96. Respondeo quæstionem esse de voce. Si per prædicari in *quid* intelligis quidditativè prædicari, non poterunt termini accidentales prædicari in *quid*. Quodsi per prædicari in *quid* intelligas, prædicari id, per quod aptè potest responderi ad interrogationem: *quid est res?* Respondeo omnem terminum denominativum, qui substantivus est, quamvis subjecto accidentalis sit, esse prædicabilem in *quid* Nam si quæras de Filio DEI Incarnato: *quid est?* rectè respondebis, non tantùm, quòd sit DEUS, sed etiam quòd sit homo, quamvis esse hominem sit illi accidentale. Sic quoq; si de obvio homine quæras: *quid iste homo est?* rectè respondebitur esse Regem, esse artificem, esse Proconsulem, &c. quamvis ista sint homini accidentalia. Firmatur. Prædicatio in *quale* alia est essentialis, ut in hac: *homo est rationalis*; alia accidentalis ut in hac: *homo est albus*. Ergo etiam prædicatio in *quid* potest esse alia essentialis,

alia

alia accidentalis in sensu, de quo in præsenti. Unde sequitur posse terminum denominativum prædicari in *quid quale*; ut si dicas: *hic homo est Rex victoriosus, est pictor insignis, est Orator disertissimus &c.*

97 Quæritur 5tò An cùm terminus denominativus affirmatur de subjecto, affirmetur & subjectum denominationis & forma? vel cùm subjicitur, subjiciatur non tantùm subjectum, sed & forma? Quæstio procedit de subjectione & affirmatione, cùm nulla ex parte subjecti & prædicati intervenit reduplicatio, hac enim interveniente certum est posse subjici formam & affirmari: sed de terminis propositionis, in sensu connaturali, & quasi sibi relictis. Non etiam procedit quæstio de termino denominativo Metaphysico, sed physico, & potissimùm accidentali.

98. Prænoto *1mò*. Recentioribus affirmabile, est affirmabile *ut quod*, vel *ut quo*. Affirmabile *ut quod*, ajunt esse, quod affirmatur in recto; *ut quo*, quod in obliquo formali, seu principali. Prænoto *2dò*: quòd per ipsum Aristotelem aliud sit affirmabile de subjecto, aliud in subjecto, quod clarè insinuat tum lib. 1. Categor. cap. 2. tum 1. Perih. 3. in definitione verbi, ubi inquit de illo: *semper eorum, quæ de altero dicuntur nota est, ut eorum, quæ de subjecto vel in sujecto sunt*. Ergo per illum aliqua dicuntur seu affirmantur de subjecto, alia in subjecto. Ubi Interpretes Aristotelis dicunt primô modô affirmari de subjecto, quæ sunt de illius essentia, alio modo ea, quæ insunt

ſubjecto, ut ſubſtantiæ inſunt accidentia. His prænotatis

99. Reſpondeo. Terminus denominativ9 rectus concretè materialiter denominativè, vel ſi malis, materialiter denominativè ſumptus, ſubjectum & importat, & ſubjicit *ut quod*, formam importat *ut quo*, non tamen ſubjicit, etiam *ut quo* ſaltem generaliter, ſecluſa reduplicatione vel formali ſuppoſitione ex parte prædicati, ut communiter ſupponitur, importat & affirmat ſubjectum denominationis *ut quod*, formam *ut quo*. Sic cùm dicitur: *ſaccarum album eſt dulce*, ex parte ſubjecti albedo neq; *ut quod*, neq; *ut quo* ſubjicitur prædicato propoſitionis; nam neq; ſubjicitur ſubjecto hujus denominationis: *dulce*, neq; ipſi dulcedini, cùm verò dicis: *Petrus eſt albus*, dicis Petrum eſſe ſubjectum albedine informatum, adeoq; affirmas de Petro *ut quod* ſubjectum albedinis, albedinem verò affirmas *ut quo*, vel in ſubjecto, ita ut re ipſa dicas, Petrum quidem ſubjectum eſſe, albedinem verò in ſubjecto eſſe, ſeu ſubjecto ineſſe. Ubi

100. Adverte hunc modum affirmationis ſcilicet *ut quod* ſimul & *ut quo*, non habere locum, cùm terminus adjectivus ſe ſolo, nullo ex parte prædicati addito vel ſubintellecto novo, vel repetito ſubjecto affirmatur, ſed tantùm, cùm ſaltem generale aliquod ex parte prædicati ſubjectum ſupponitur adjectivo, vel ſaltem idem, quod eſt ex parte ſubjecti, tacitè vel expreſsè repetitur ex parte

parte prædicati. Id verò cùm semper subsistere velint Connotatistæ, quatenus volunt, ut aliquod rectum substantivum ex parte prædicati vel ponatur, vel subintelligatur, insistendo huic illorum suppositioni; quælibet propositio, in qua terminus denominativus materialiter denominativè sumptꝯ affirmatur de subjecto, erit exponibilis ita, ut dicere: *Petrus est albus*, idem futurum sit, acsi diceres: *Petrus est aliquid*, vel *Petrus est id quod est*, *& albedo ipsi inest*, vel illorum phrasi: *& albedo cum unione ab illo connotatur*. Unde Petrum esse album, erit revera Petrum esse, albedinem esse, ac unionem informativam inter Petrum & albedinem esse, cùm natura denominationis exigat existentiam & Petri, & albedinis, & unionis, sicut rursus hæc: *Petrus est cognitus*, cùm natura denominationis non exigat subjectum esse seu existere, imò neq; possibile esse, sed ad summum quidditativè Petrum esse, exponibilis erit per has: *Petrus est quod est*, *& cognitio Petri est*, *ac relatio cognitionis ad Petrum est*, & sic de aliis, quia iterum Petrum cognitum esse formaliter, non aliud est, quàm Petrum cognosci, quod est cognitionem illius existere, atq; hanc ipsam transcendentaliter referri ad id, quod est Petrus. Atq; ita habes veram & genuinam expositionem sensumq; propositionum, in quibus terminus denominativus accidentalis, vel materialiter concretè denominativè sumptus, affirmatur de subjecto secundùm se. Hinc verò habes in parte resolutum, quod

101. Quæritur 6tò: quomodo propo-

ſitiones, in quibus affirmatur terminus denominativus de aliquo ſubjecto, ac imprimis accidentalis, exponi debeat in eadem Connotatiſtarum, & ferè communi ſuppoſitione, de qua ſupra. Prænoto: terminum denominativum dici poſſe *1mò* de aliqua re præcisè ſecundùm ſe ex parte ſubjecti poſita, ut in hac: *Petrus eſt albus.* *2dò* de ſubjecto, eadem, quam continet prædicatum, denominatione affecto, ut in hac: *Petrus albus eſt albus.* *3tiò* de ſubjecto alia & diverſa denominatione affecto, ut in hac: *ſaccarum album eſt dulce.* Quantùm ad primi generis propoſitiones

102. Dico: exponi illas ex parte rei ſignificatæ poſſe multipliciter, & ſemper convenienter. Sic vg. propoſitio *Petrus eſt albus*, exponi poteſt *1mò*: *Petrus informatur albedine.* *2dò*: *Petrus conſtituit ſubjectivè cum albedine & unione concretum ex Petro albedine & unione.* *3tiò*: *Petrus eſt, & illi albedo informativè ineſt*, vel *& illum informat albedo.* *4tò* Singulis denominativis ſuum munus attribuendo, ſeu diſtributivè accommodè ſic: *& Petrus actu recipit albedinem, & albedo informat, & unio utrumq; nectit.* *5tò*: *Et Petrus exiſtit, & albedo exiſtit, & unio informativa Petri exiſtit.* Ratio eſt, quia ex una parte nihil prohibet prædictis modis exponi propoſitionem præfatam; ex altera parte in eundem omnino ſenſum omnes reincidunt, ſine ullo ullius ſententiæ præjudicio, nec aliud re ipſa pronuntiant, quàm quod ſummariè & compendiariè dicitur per propoſitionem: *Petrus eſt albus.*

103. Quod attinet propositiones 2di generis. Prænotandum 1mò: dubitari inter Authores, an ejus generis propositiones sint in materia necessaria? Prænotandum 2dò, ad hujus ipsius rei decisionem in propositione: *Petrus albus est albus*, complexionem fieri posse vel in sensu hypothetico ita, ut æquivaleat huic: *Petrus si est albus, est albus*; vel in assertivo per interpositionem relativi, quod vocant *implicationis*, ita, ut propositio dicta æquivaleat huic: *Petrus qui est albus, est albus*; vel in restrictivo, etiam per relativum, quod vocant *restrictionis*, cujus non est capax dicta propositio: *Petrus est albus*, quia est de subjecto individualiter restricto seu singulari ampliùs non restringibili; capax verò est, vg. hæc: *homo albus est albus*, quæ proinde æquivalet huic: *homo, qui albus est, est albus*. His prænotatis

104. Dico 1mò, propositionem: *Petrus albus est albus*, in primo sensu subjecti esse in materia necessaria, est enim hypothetica de hypothesi essentialiter, imò identicè connexa cum prædicato, absolvitq; ab omni tempore, cùm nihil ponat absolutè & in re, juxta illud: *conditio nihil ponit in re*, atq; exponendam esse eâdem proportionatè formâ, quâ hæc ut supra: *Petrus est albus*, sic vg. *Petrus si informatur albedine, si constituit cum illa &c. si Petrus, albedo & unio existunt, Petrus informatur albedine, constituit cum illa concretum, Petrus, albedo & unio existunt.*

105. Dico 2dò: eandem propositionem in sensu assertivo non esse absolutè in materia necessaria

 ces-

cessaria, quia potest esse de non supponente subjecto, ideoq; propositio implicata potest esse falsa. Ad summum igitur esset necessaria secundùm quid, subjecto scilicet bene & verè supponente. Idem dicendum de propositione: *homo albus est albus*, sive in assertivo, sive simul in restrictivo sensu procedat subjectum, quia iterum propositio implicata vel restricta potest esse falsa, quia potést fieri, ut nullus homo sit albus, adeoq; esse de subjecto falsò supponente, ut vg. hæc: *chimera alba est alba*, *corvus albus est albus*, *cygnus niger est niger*. Exponi verò potest, & debet proportionatè ad jam dicta.

106. Quantùm ad propositiones 3tii generis, adhuc prænotandum diversas ex parte subjecti & prædicati denominationes, de eodem subjecto affirmatas posse esse diversas specie vel genere, ut: *corpus quantum est coloratum*, vel tantùm individualiter, ut in hac: *Petrus albus per albedinem A. est albus etiam per albedinem B.* Item posse esse subordinatas, quatenus una denominatio est species alterius, ut in hac: *Petrus albus est coloratus*, vel non subordinatas, sed potiùs disparatas, ut in hac: *Petrus doctus est Sanctus*; compossibiles vel etiam repugnantes, ut: *hoc corpus in summo calidum est in summo frigidum &c.* Unde consequens est alias futuras in materia necessaria, alias in contingenti, alias in impossibili. Hoc prænotato Dico *3tiò*: omnes has propositiones eodem modo exponi posse & debere proportionatè ad dicta in assertis superioribus.

107. Dices contra præmissa. Ergo

imò

imò etiam cùm dicitur: *creatura est actu connexa cum DEO*, poterit exponi: *creatura est, & DEUS est*. Si enim Petrum album esse, est & Petrum & albedinem & unionem esse, etiam creaturam connexam cum DEO esse, erit creaturam & DEUM esse. *2dò*. In omni evolutione propositionis debet idem attingi, & eodem modo per exponentes, quod & quomodo attingitur per exponibilem, aliàs expositio erit illegitima. Atqui in prædictis expositionibus istud non servatur, nam vg. in hac: *Petrus est albus*, adfertur albedo in obliquo, in exponentibus verò adfertur in recto. *3tiò* propositio: *Petrus est albus*. est simplex, esset verò complexa, si exponeretur per copulativam.

108. Respondeo. *Ad 1mum*, nego sequelam, quia vg. Angelum esse & lapidem esse, non est lapidem cum Angelo connexum esse, vel è contra. Ergo pariter &c. Quodsi addideris: *creaturam esse, & connexionem illius cum DEO esse, & DEUM esse*, redundabit expositio, quia denominationis istius: *creatura connexa cum DEO*, non est ullum denominativum DEUS, sed purus terminus, quia neq; est subjectum, neq; forma denominationis, neq; applicatio formæ; ac proinde non pertinet ad expositionem denominationis, cujus particularia requisita sunt præcisè subjectum, forma & applicatio. *Ad 2dum* distinguo Majorem. In omni evolutione propositionis debet idem attingi, & eodem formaliter modo, nego; & eodem formaliter vel æquivalenter modo, concedo, aliàs quod tantùm implicitè aut simplici termino

attin-

attingitur in exponibili, pariter tantùm implicitè vel simplici termino attingi deberet in expositione, quod apertè est falsum, quia quod vg. definitum formale attingit implicitè & simplici termino, definitio attingit explicitè, & termino complexo, ut patet in his: *homo* et *animal rationale*; quod idem constat de expositione propositionum, nam propositio universalis simplex & categorica exponitur per copulativam, particularis per disjunctivam. *Ad 3tium* dico, propositionem formaliter simplicem posse esse æquivalenter ex pluribus complexam, ut hæc: *omnis homo est animal*, formaliter simplex, æquivalenter est complexa, inquantum per copulativam exponitur.

109. Infertur dictarum propositionum contradictorias contradictorio modo exponendas, ut quia hæc: *Petrus est albus*, exponitur copulativè, contradictoria exponi debet disjunctivè: *vel Petrus non est vel albedo non est, vel informatio Petri per albedinem non est.*

110. Quæritur *7mò*: quidnam requiratur ad veritatem propositionis, in qua affirmatur de aliquo subjecto terminus denominativus? Prænoto *1mò*: copulam propositionis esse nexum intentionalem, quo illa exercitè nectit subjectum propositionis cum prædicato ejusdem; exercitè inquam, quatenus munus istud uniendi exercet per semetipsam subjecto & prædicato interpositam. Optimè advertit P. Ayleworth Connotatista tract. 2. Metap. Disp. 6. num. 16. quòd copula interdum sit nexus identicus, seu identitas quædam intentionalis

onalis, significatum subjecti identificans intentionaliter cum significato prædicati, interdum verò sit nexus purè unitivus, seu unio quædam intentionalis inter objectum subjecti & objectum prædicati. *Nectit*, inquit ille, *identicè rectum prædicati cum recto subjecti; obliquum verò prædicati formale cum eodem subjecti recto nectit præcisè unitivè, ut proinde illi, quatenus est nexus identicus, respondere debeat ex parte objecti identitas adæquata recti subjecti cum recto prædicati: quatenus verò præcisè est unio intentionalis, debeat illi in propositione vera respondere unio physica, sive moralis, vel Logica recti subjecti cum obliquo prædicati.* Cæterum hac in re non assentior subtilissimo Authori, nam & recta subjecti & prædicati posse per copulam tantùm unitivè connecti, constabit ex dicendis Disp. seq. & obliquum quoq; prædicati posse identicè cum recto subjecti copulari, patet in hac: *anima hominis est rationalis*, ubi rationalitas veniens in obliquo identicè nectitur cum recto subjecti, & in hac patrii nostri idiomatis: *Piotr iest człowiekiem*, obliquum cum recto connectitur per copulam nexu identico.

III. Præmitto 2dò dubium esse inter Authores, an copula sit præcisè exercitè nexus intentionalis subjecti cum prædicato? an verò etiam signatè? Esset purè exercitè, si esset nexus intentionalis, non tamen ex parte sua significaret, & haberet pro suo objecto nexum ipsi objecto inexistentem; esset etiam signatè, si ex parte sua illum pro objecto haberet, scilicet objectivam iden-

tita-

titatem, vel ſaltem unionem phyſicam vel moralem, inter objectivum ſubjectum & prædicatum. Probabiliùs videntur loqui qui, affirmant copulam etiam ſignatè eſſe nexum ſubjecti cum prædicato, quia *imò* cognita quomodocunq; copula, in ſuo actuali exercitio, facit ſtatim cognoſcentem venire in cognitionem habitudinis ſubjecti ad prædicatum, non aliter ac cognitum propoſitionis alicujus ſubjectum vel prædicatum facit ſtatim venire in cognitionem rei de qua, & rei, quæ dicitur; quid autem eſt ſignificare, ſi hoc non eſt? 2*dò* quia dantur modificationes copulæ, ut *adæquatè*, *inadæquatè*, *contingenter*, *neceſſariò*, quæ certè non modificant copulam, ſecundùm quod illa eſt exercitè nexus, hæc enim ſemper adæquatè nectit exercitè, ſemper eſſentialiter & neceſſariò eſt nexus, ſed ſecundùm quod ſignificat identitatem adæquatam vel inadæquatam ſubjecti cum prædicato, neceſſariam vel contingentem ſubjecti ad prædicatum habitudinem. Adde, quòd modificationes iſtæ ſignificent modum habitudinis ſubjecti ad prædicatum, ut quòd adæquatè vel inadæquatè identificetur ſubjecto, neceſſariò illi vel contingenter prædicatum conveniat. Ergo & ipſa copula ſignificare debet habitudinem, nec enim perceptibile eſt, ſignificari in oratione perfecta modum habitudinis ſine ipſa habitudine. Ergo iſta habitudo debet eſſe objectum alicujus termini (ſtrictè vel latiùs ſumpti) in propoſitione. Atqui non ſubjecti, non prædicati. Ergo copulæ. 3*tiò* quòd copula nunc ſit nexus identicus, nunc uniti-

unitivus ſubjecti cum prædicato, aliunde decerni non poteſt, quàm ex eo, quòd nunc identitatem ſubjecti cum prædicato, nunc meram unionem phyſicam vel moralem ſignificet. 4*tò* ex Ariſtotele: qui *l*. Perih. 3. *Si eſt*, inquit, *vel non eſt* (intellige: ſolitariè, & ſine nomine ponas) *nondum ſignificat, ſignificat autem* (intellige: ſi cum nomine ponatur) *compoſitionem quandam, quam ſine compoſitis non eſt intelligere*. Ergo per Ariſtotelem cùm copula: *eſt* vel *non eſt* ponitur ſine ſubjecto, & prædicato, nihil ſignificat; ſubjecto autem & prædicato appoſitis, conſignificat compoſitionem, ſcilicet convenientiam ſubjecti cum prædicato. Ergo non ſolū exercitè eſt compoſitio, ſed eam quoq; ſyncategorematicè ſignificat. 5*tò* probatur idem ex propoſitionum veritate, in quibus quaſi de copulæ unius ſignificato enuntiatur copulæ alterius ſignificatum, ut cùm dicitur: *Petrum eſſe hominem, eſt Petrum eſſe animal rationale*, ubi per ly *eſſe* idem omnino, quamvis jam alio modo ſignificatur, quod per ly *eſt* ſignificatur in iſtis propoſitionibus: *Petrus eſt homo, Petrus eſt animal rationale.*

112. Prænoto 3*tiò* ex P. Ayleworth, tract. Metaph. 2. Diſp. 5. num. 110. controverti inter Authores, utrum in omni propoſitione, copula aliquid prædicati cum ſubjecto identificare debeat, an quandoq; duntaxat uniat? Affirmat, *inquit*, primum Franciſcus Alphonſus, Antonius Perez negat, ille enim in omni propoſitione rectum tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte prædicati contendit adferri, quod ſemper per copulam

lam identificari necesse sit; hic autem ex parte prædicati rectum quandoq; nullum, sed duntaxat obliquum, *ait*, reperiri, hoc verò cum recto subjecti per copulam uniri sufficit. Hinc ille hanc propositionem: *Petrus est albus*, hunc sensum reddere asserit: *Petrus est ens albedinem habens*; hic verò hunc: *Petrus est albedini unitus*, nullo recto ex parte prædicati allato. Author citatus de controversiuncula ista, ut ait, nihil determinat: ego subscribo sententiæ P. Antonii Perez, consequenter ad dicta num. 86. & sequ. Confirmatur idem ex grammatica hujus verbi *est* constructione, constat enim istud verbum non tantùm nominativum post se posse admittere, verùm & genitivum, ut *hic liber est Aristotelis*, & dativum: *liber est mihi*, & ablativum, ut *Petrus est bono animo*. Admittit etiam cum præpositione & accusativum, ut: *ens relativum est ad aliud*, & ablativum, ut: *ens creatum est ab alio*, quæ cùm etiam non intellecto ullo ex parte prædicati ultra rectum subjecti recto, sint orationes, quæ sensum perfectum conficiunt, atq; verum vel falsum dicunt, enuntientq; aliquid de aliquo, habent veram rationem propositionis, copulâ interim præcisè significante, non identitatem, sed aliquã unionem moralem, seu habitudinem ad istud. Quod de copula vocali hic asseritur, asserendum & de copula mentali est; cùm enim vocabula instituta sint ad significandos conceptus, & copula quoq; ad significandam mentalem, debet significare copulam quoad modum tendendi in suum

obje-

objectum proportionatam suo modo significandi, suum quoq; significatum, ut jam aliàs dictum.

113. Dico *imò*. Propositio affirmans de subjecto terminum denominativum; cujus significatum formale est de essentia subjecti, ad suam veritatem, requirit identitatem, & recti subjecti cum recto prædicati, & cùm istud adest, cum obliquo formali. Quia copula nectens tale prædicatum cum subjecto, ut veram reddat propositionem, debet nectere identicè cum recto subjecti & rectum prædicati & obliquum, cùm & rectum & obliquum non possit aliter convenire subjecto, nisi per prædictam identitatem, utpotè utrumq; essentiale subjecto.

114. Dico *2dò*. Propositio affirmans de subjecto terminum denominativum, cujus significatum vel materiale, vel formale, vel utrũq; non est de essentia subjecti, non requirit quantùm de se & universaliter ad suam veritatem, identitatem recti subjecti cum recto prædicati, aut cum obliquo formali. *imò* ex dicendis Disp. sequ. Quæst. 3tia. *2dò* quia quamvis per possibile vel impossibile identitas recti cum recto vel obliquo non daretur, dummodo daretur ex parte objecti talis subjecti habitudo ad denominationem positam ex parte prædicati, qualem natura denominationis ex parte sua requirit, & qualem propositio ex parte sua repræsentat, propositio esset vera, quia præcisa identitate, adhuc formaliter ità se haberet objectum propositionis, ut se illud habere propositio ex parte sua pronuntiat,

vg.

vg. ista propositio: *Petrus est cognitus*, esto Petrus non identificaretur sibi ipsi, dummodo cognitio aliqua terminaretur ad illum, propositio affirmans esse cognitum, esset vera. Dices: utiq; Petrum esse Petrum cognitum, est Petrum esse Petrum, & cognitionem terminari ad illum. Respondeo aliud esse, quòd prædicta propositio possit taliter explicari, atq; veritas propositionis & denominationis istud ex parte sua permittat fieri; aliud est, quòd ejusdem propositionis & denominationis verificatio istud requirat. Imum quantum ad istam propositionem & denominationem permittit conclusio, negat alterum. Certè aliquæ propositiones, sic exponi non possunt, ut vg. hæ: *Dii sunt Dii falsi*, *aurichalcum est aurum falsum*, *hæc imago est homo pictus*, nam istæ possunt esse veræ, expositio autem esset falsa, si hoc modo exponerentur: *Dii sunt Dii*, *& datur falsitas Deitatis illorum*; *aurichalcum est aurum*, *& datur falsitas aureitatis illius*; *imago hominis est homo*, *& est pictura hominis*, nam primæ exponentes omnes sunt falsæ. Plura objici possent, sed alteri loco reservantur.

115. Dico *3tiò*. Cùm veritas propositionis denominativæ requirit identitatem recti subjecti cum recto prædicati, licèt eadem omnia videntur esse significata subjecti, quæ sunt prædicati, non eo ipso verum erit de quocunq; ex significatis importato in recto, aliud affirmare etiã importatum in recto, quia quamvis subjecti & prædicati significata forent eadem, tamen in tali casu

casu ex parte copulæ, illius significatum intervenire potest, quod propositionem reddit falsam, neq; fuit ullum ex significatis per terminos exponentes. Patet in his: *Petrus habens equum est equus habitus à Petro, Petrus habens albedinem, est albedo habita à Petro*, in quibus cùm eadem sint significata ex parte subjecti & prædicati, per copulam tamen importatur identitas inter Petrum & equum, ac inter Petrum & albedinem quæ & non subsistit, utpote impossibilis, adeoquè propositionem reddit falsam, & per nullam exponentium significatur, sive ex parte subjecti, sive ex parte copulæ; Petrum enim habere suum equū est quidem idem quoad rem significatam, atq; equū haberi à Petro, non tamen idem est ac Petrum habentem equum quoad rem esse equum habitum à Petro; primum enim significat existere Petrum, possessionem equi & equum, idem esse ac existere equum, Petrum, & possessionem passivam equi, atquè ad summum unumquodquè ex illis identificari sibi ipsi adæquatè, scilicet Petrum Petro, equum equo, & utrumquè inadæquatè identificari eidem concreto, non tamen est Petrum identificari equo & è contra. Et quamvis verum esset (quod tamen falsum esse constabit ex dicendis infra, & jam suprà insinuatis) quòd utriusquè denominationis eadem essent constitutiva, quia tamen importantur alia in recto, alia in obliquo ex parte subjecti, & rursus ex parte prædicati modo inverso, scilicet quæ illic in recto, hìc in obliquo, & è contra, propositio vi identicæ copulæ

pulæ esse vera non potest, quia quamvis eadem sint utriusq; constitutiva, non tamen sequitur quodlibet constitutivum unius esse idem cum constitutivo alterius. Nec quia aliquod totum est idem secum, ac quælibet pars etiam idem secum ipsa, sequitur quamcunq; partem esse idem cum quacunq; parte, adeoq; unam quamq; ex illis importatam in recto posse affirmari identicè de alia parte constituti importata in recto. Veritas quippe propositionis non tantùm consistit in identitate significatorum subjecti cum significatis prædicati, sed etiam in modo significationis, debita & congrua importatione, hujus quidem significati in recto, alterius in obliquo, cùm per istum modum significandi copula determinetur in tali propositione ad significandam identitatem recti cum recto &c.

116. Dico. *4tò.* Propositionis denominativæ veritas requirit ex parte objecti præcisè illa dari & esse modo denominationi proportionato, quæ requiruntur constitutivè ad denominationem objectivam, ita, ut si hæc in quacunq; suppositione possibili vel impossibili subsistant, quamvis cætera etiam essentialiter requisita deficerent, subsistat & veritas propositionis, quia positis omnibus rei constitutivis, ponitur tota rei, seu in præsenti denominationis essentia. Ergo illis ex parte objecti subsistentibus, subsistit denominatio. Ergo propositio illam affirmans subsistere seu dari, necessariò est vera. Sed de his plura in ipso tractu controversiæ principalis.

Coro-

COROLLARIUM
totius Disputationis.

117. PRæmittenda fuit præsens disputatio ad plura in consequenti facilitanda, ac (quod proximum & præcipuum) ad constituendum fixo quodam modo subjectum Controversiæ principalis inter noviores Connotatistas & illis Oppositos, ex cujus incerta consistentia magna hìc inde terminorum & argumentorum perplexitas. Nostri com̃uniter videntur pro subjecto Quæstionis ponere denominationem concretam ex subjecto & forma &c. denominationis. Jam Connotatistæ noviores de hac nullam volunt fieri quæstionem, saltem quoad subjectum & formam denominationis; concedunt enim ultro denominationem concretè sumptam constitui subjecto & forma unitis, adeoq; ad summum in unione quæstioni locum relinqui, quam plures ex illis volunt esse denominationis etiam concretæ merum connotatum, nec tamen omnes Connotatistæ controversiæ subjectum volunt esse denominationem materialiter, & pleriq; clarè addunt, non concretè sumptam, seu materialiter denominativè non concretè acceptam, seu puram nõ concretam. Jam nostri reclamant, atq; ajunt se etiam ultro concedere, quòd denominatio materialiter, & simul inconcretè sumpta constituatur sola entitate subjecti denominati, neq; de hoc

controversiam esse posse, ut proinde tota disputationis moles videatur in merum de mera voce litigium desinere, his & illis propugnantibus, quod ab oppositis non impugnatur; impugnantibus, quod non propugnatur. Unde iterum argumentorum insignis confusio, & quò tendant, aut tendere debeant, incertum. Ut itaq; firmû aliquid de subjecto controversiæ istius statuatur.

118. Censeo *1mò.* Quæstionem de rerum constitutivis vel connotatis in sua universalitate acceptam esse propriam considerationis metaphysicæ, versatur enim tota circa essentiam rei, & essentialiter atq; peculiariter ad illam requisitis in sensu, de quo supra.

119. Censeo *2dò* Controversiam hanc esse debere, si non unicè, saltem principaliter de denominatione objectiva, seu de illo esse in unum ab alio formaliter derivato specialiter & essentialiter requirente subjectum, formam, & applicationem conformiter ad dicta num. 8. & 11. atq; non de denominatione objectiva relatè ad denominationem formalem, séu ut, & inquantum substat actibus formaliter denominativis, seu ut connotat prædictos actus, cùm quæstio sit prorsus metaphysica, de rebus, non ut subsunt nostris conceptibus, aut vocibus, sed secundùm se & in se spectatis, quonam in re constituantur, & quo nõ? quod à conceptibus vel vocibus nostris nullo modo dependet, nec ista ad esse illorû in se, adeoq; constitutionẽ vel cõnotationẽ illorum, sunt quomodolibet requisita. Quæritur vg. quid sit in re, &

reipsa

reipsa Petrum esse album, unum esse relatum ad aliud, quod utiq; esse datur sine ulla relatione, saltem independenter ab illa, ad actuales conceptus aut voces, consequenter istius quæstionis subjectum, non dependet ab eo, quòd aliquid denominationis per terminum denominantem vel cõceptum rei explicativum adferatur, vel quòd hoc aut illo modo concipiatur vel significetur, in recto scilicet, aut obliquo &c, ita, ut meritò protulerit P. Ulloa in Log: Minore Disp. 1. num. 191. *quò! qui obliquum cum connotato, rectum cum constitutivo confundunt, perperam faciant, & detorqueant quæstiones de re ad quæstiones de voce.*

120. Censeo *3tiò.* Non esse quæstionem de denominatione objectiva purè materialiter sumpta, seu, inquantum sumitur pro entitate subjecti denominationis secundùm se præcisè, ut cæteris ad denominationem peculiariter requisitis contradistincta, atq; ab ipsa ratione subjecti denominationis absoluta, quia entitas subjecti secũdùm se præcisè sumpta, adæquatè constituitur sua ipsius entitate, atq; istius constitutivis, neq; est simpliciter denominatio, sed aliquid ab illa prorsus præcisum, atq; ita non quæritur, quidnam sit in re vg. Petrum album esse Petrum, seu quid Petrus sit in esse Petri (sic ille sumptus neq; constituitur albedine, neq; illam connotat) sed quid Petrum album in esse albi sit quoad rem ipsam? Non etiam de denominatione purè formaliter, sive *ut quod*, sive *ut quo* sumpta, seu pro entitate formæ præcisè secundùm se sumpta, & præci-

ſa ab actuali exercitio, & hac ipſa denominatione formæ actu denominantis, vg. de albedine in eſſe albedinis, vel etiam de ipſius applicatione ſimiliter accepta, quia hæc pariter tali modo ſumpta habet in ſua ipſius entitate omnia conſtitutiva independenter ab actuali exercitio formæ. Neq; de denominatione complexè, ſeu ut noſtri, concretè quidditativè, aut ut Connotatiſtæ ſimpliciter concretè ſumpta, pro compoſito minimùm ex ſubjecto & forma denominationis, quia utriq; parti indubitatum eſt, quòd taliter ſumpta conſtituatur tam entitate ſubjecti, quàm entitate formæ.

121. Cenſeo 4tò. Quæſtionem procedere de denominatione materialiter denominativè ſumpta, & ut noſtri dicunt, ſumpta concretè denominativè, hoc eſt, de ſubjecto denominationis, ut eſt actu ſubjectum, & actu denominatum, concretumq; formæ actu, ſeu in actu 2do illud denominanti, ſeu de ipſo eſſe denominativo, & prædicato illo à forma in ſubjectum derivato objectivè ſumpto, vel etiam de forma denominativè ſumpta, ſeu ut in actu 2do denominante ſubjectum, & illi concreta, ſeu ut ineſſente, atq; in idem ſubjectum aliquod eſſe vel modum eſſendi formaliter derivante; præſcindendo interim adeoq; neq; apponendo iſtum terminum: *concretè* in ſenſu Connotatiſtico, ſeu pro complexo & compoſito accipiendo, ut addere noſtri plerumq; ſolent: neq; etiam excludendo, ut facere ſolent noviores Connotatiſtæ, præferentes ſe loqui,

qui, & quærere vg. de Petro albo denominativè non concretè accepto, ſed id ipſum, *concretè* ſcilicet *non concretè* in præmiſſo ſenſu, remittendo ad prædicatum quæſtionis, ſaltem quodammodo mediatum. Si enim ex deciſione quæſtionis conſtiterit Petrum in eſſe albi, ſeu denominativè acceptum conſtitui non tantùm entitate Petri, ſed etiam formæ, tum demum inferetur, Petrum in eſſe albi, ſeu denominativè acceptum eſſe in re concretum ex Petro & ſua albedine. Si verò conſtiterit non conſtitui & ſubjecto & forma in eſſe albi, ſed conſtitui ſubjecto, & formam ſeu albedinem tantùm ab illo connotari, tum demum inferetur, Petrum etiam denominativè album, ſeu in eſſe albi, non eſſe concretum ex entitate Petri, & albedinis compoſitum: alioqui tam qui addunt ly *concretè*, quàm qui ly *non concretè*, rem primò decidendam in ipſa quæſtione præoccupant. Idem proportionatè dicendum de forma denominativè accepta &c.

122. Dices: Denominatio objectiva in ſemetipſa, & ut eſt à parte rei omnino eſt vel concreta, vel non concreta. Ergo ſi de objectiva procedit quæſtio, debet procedere de denominatione concreta vel non concreta. Reſpondeo retorqueo argumentum. Denominatio objectiva, cùm certò requirat eſſentialiter & ſubjectum & formam, ut eſt à parte rei, omnino debet eſſe vel conſtituta per formam, vel connotans formam. Ergo ſi de objectiva denominatione eſt quæſtio, debet eſſe de conſtituta per formam, vel illam connotan-

notante. Ergo cùm quæritur: an illa constituatur vel connotet formam, quæritur an denominatio objectiva connotans formam sit connotans formam, an verò per illam constituta sit per illam constituta? vel an denominatio constituta per formam, sit verè connotans formam, vel connotans formam sit constituta per illam? Sed quærinè prudenter & rationabiliter, atq; etiam tantis impendiis disputari potest & debet: an connotans sit connotans? an constituta sit constituta? an constituta sit connotans antonomasticè, vel è contra? ineptiendo, non philosophando. Directè, verum equidem est, quod cujuscunq; tandem quæstionis controversæ objectum quoad se, & ut in se, uno ex oppositis modo determinatè se habeat, sed quia, quonam modo determinatè se habeat? istud determinatè, an aliud illi nemine cogitante conveniat? ante dubii & quæstionis decisionem nescitur, atq; ideo ut determinatè sciatur, nosq; non lateat, quid tandem ex duobus oppositis illi conveniat? in quæstionem adducitur, in ipsa quæstione nihil determinatur, donec de illa decernatur. Atq; hoc tandem est genuinum subjectum controversiæ principalis sine omni perplexitate terminorum, sine præjudicio hujus, ac illius sententiæ, sine ulla ipsius præoccupatione propositum, quod & qualiter propositum utriq; omnino Parti probandum esse non dubito.

DISPU-



DISPUTATIO II.

De Natura, Multiplicitate, ac indiciis Connotati & Constitutivi.

1. Ut præmissæ Disputationis præcipuum intentum fuit, certa subjecti Quæstionis determinatio, ita præsentis scopus est certa designatio, & simul explicatio prædicati ejusdem controversiæ, quæ methodo Philosophica non meliùs obtineri potest, quàm per definitam illius quidditatem, divisam deinde in suas species, & tandem per suam proprietatem, quæ omni & soli, vel saltem illi soli conveniat. Porrò istud prædicatum, ut in quæstione disputatoria solet, est quodammodo disjunctivum, quæritur scilicet de denominationibus objectivis, ac particulariùs & immediatiùs de ipsiusmet particulariter & immediatè ad illam requisitis, & de quolibet illorum, sitnè denominationis, ad quam præfato modo requiritur, constitutivum, an verò connotatum? atq; ideo, ut non tantùm sciatur, de quo, sed etiam quid quæratur? explicandum est, quid sit constitutivum? quid con-

notatum? & quale, & quotuplex in ſpecie? & quam illam, tam hoc, quàm illud proprietatem habet, ex qua unum ab altero ita dignoſci à nobis debeat, ut ex illius applicatione conſtare poſſit, iſtud quidem eſſe, illud non eſſe conſtitutivum. Jam verò, quia in rerum iſtarum explicatione interveniunt particulæ, ſuppoſitiones, propoſitiones excluſivæ, conſultum duxi, ut quæ illarum expoſitionem attinent, unâ quaſi præludiali controverſia comprehendantur. Sit igitur

CONTROVERSIA DIALECTICA

Qua ratione exponi legitimè debeant Propoſitiones excluſivæ?

2. Cùm noviores Connotatiſtæ, modis undequaq; petitis, ſua vel ſtabilire, vel tueri quærunt, expoſitionem, terminorum, ſuppoſitionum ac imprimis propoſitionum excluſivarũ, incertã adeo reddiderunt, ut nihil planè in hac re ſtabile & fixũ reliquerint. Conveniebat hactenus inter omnes, propoſitionẽ excluſivam, quæ talis eſſet ſeu ratione ſubjecti, ſeu ratione copulæ, particulâ excluſivâ affectæ (de prædicato non inſinuo, cùm de illo nõ fuerit illis hactenus anſa aliquid immutandi) ita exponi debere, ut de re quidem per ſubjectum expreſſa affirma-

firmaretur prædicatum propositionis: de omnibus verò minimùm adæquatè distinctis idem negaretur per copulativam constantem duplici exponente, quarum prior affirmativa, altera esset negativa.

3. Jam Nostri Connotatistæ hac quidem vice, etiam inadæquatè distincta, contendunt à consortio prædicati excludi debere: contendunt præterea, neq; omnia adæquatè distincta excludenda, imprimis autem ea, cum quibus significatum termini particulâ exclusivâ affecti connectitur, deinde etiam ad illud pertinentia, quamvis nullam terminent connexionem. Ajunt excludenda etiam inadæquatè distincta. Tũ quia ipsa particularum exclusivarum notio vulgaris removet distincta, quæcunq; demum; nec satiùs adæquatè, quàm inadæquatè distincta. Tũ quia si tantummodò adæquatè distincta excluderentur, propositio exclusiva aliàs falsa æquivaleret expositivæ veræ, ut si oculo Petri utroq; vidente diceres: *solus dexter Petri oculus videt*; vera enim esset exponens: *oculus dexter Petri videt, & nullus alius adæquatè distinctus ab illo videt*: quamvis enim sinister videat, ille non est adæquatè distinctus, ob eandem animam utriq; communem. Item si utramq; manum Petrus ad orandum levaret, & tu interim diceres: *Petrus solam dexteram levat*. Item uno corpore per animam Petri & Pauli informato, quamvis & Petrus & Paulus ambo essent docti, vera tamen esset propositio, quæ solum Petrum doctum esse pronuntiaret. I-

stud

ſtud illis neceſſarium fuit ad ſuſtinendas retorſiones, quas faciunt contra argumenta ex principio: *quo ſolo ablato &c.* contra poſſibilitatem Connotatorum adferri ſolita.

4. Mox deinde poſſe & debere, *inquiunt*, non excludi etiam adæquatè à ſubjecto, de quo affirmandum eſt prædicatum, diſtincta, ſi ſint connexa, imò ſi tantùm pertinentia. Ita cùm dicitur: *ſolus Palatinus fuit in templo*, non excluduntur, cum quibus connectitur, DEUS, actio conſervativa, ubicationes, ſitus, imò neq; pertinentia ut veſtes, famuli, Sacerdotes, altaria, ſcamna &c. Eo ſcilicet illis opus erat ad probandum, quòd ſolo connotato ablato, debeat interire denominatio, ſubjecto quidem ſuo adæquatè identificata, à connotato autem adæquatè diſtincta, quamvis ſubinde ſubjectum non ſit etiam cũ connotato connexum, ſufficit, quòd connotatum ad illud pertineat, inquantum ad denominationem ſubjecto identificandam eſt eſſentialiter requiſitum, vel ab illo reſpicitur.

5. Hinc deinde variæ illis excluſivarum expoſitiones. Propoſitionem ajunt iſtam: *ſolum hoc ens perit*, ita explicandam: *ens iſtud perit, & nihil aliud plus perit.* Item: *hoc ens perit & nihil aliud perit, quòd non includatur in illo.* Non enim inquiunt, ita: *& nihil aliud adæquatè diſtinctum perit*, fortaſſis, quia alioqui malè ageretur cum connotatis; nec ita: *& nil tam adæquatè, quàm inadæquatè diſtinctum perit*, quia ſolo toto totaliter ablato, etiam quælibet illius

pars

pars perit, quamvis ab illo quælibet tantùm inadæquatè ſit diſtincta. Iſtam: *ſolum connotatum perit*, in hunc ſenſum eſſe exponendam: *connotatum perit ratione ſui, & nihil aliud perit ratione ſui*; quamvis enim denominatio ab illo adæquatè diſtincta intereat, interit tamen non ratione ſui, ſed ratione connotati. Illam: *ſola pars perit* ſic interpretandam: *pars ratione ſui perit, totum non perit ratione ſui, ſed ratione partis*, vel: *pars totaliter perit, totum non totaliter, ſed inadæquatè perit.* Illam: *ſolus terminus connexionis perit* vg. *Solus DEUS, terminans connexionem Angeli perit*, ita: *DEUS perit formaliter & immediatè ratione ſui, & Angelus quoq; immediatè & formaliter perit, & adæquatè diſtincta à DEO & Angelo non pereunt immediatè & formaliter.* Aliqui in denominatis non connexis, vg. *ſolum connotatum perit*, volunt eſſe hunc ſenſum: *Connotatum perit, & quod denominabatur, non denominatur, quamvis nõ pereat*, &c. &c. quis enim omnia recenſeat?

6. His non obſtantibus eſt ex illis, qui ait, dictionem excluſivam, non pro placito proferentis, neq; pro exigentia materiæ, exponendam eſſe, ita, ut modò adæquatè, modò inadæquatè diſtincta excludat. *Ratio 1mi*: nam non eſt pro placito proferentis, ut aliquis terminus nunc iſtam, nunc aliam ſignificationem habeat, vel ut aliqua expoſitio dialectica fiat pro placito proferentis. *Ratio 2di eſt*: quia pro una materia non eſt ratio potior, quàm pro alia: ſicut & particulæ: *et*, pro varia ratione materiæ, ſenſus & expoſitio varianda non eſt.

7. Po-

7. Potiùs ergo dictio exclusiva, significat expressè distincta realiter ut talia quæ sint quid plus, insuper, & ultra rem non exclusam. Hæc tandem illis Regula generalis. Sic *inquiunt*, solo toto pereunte, perit nihilominus etiam pars aliqua illius, hæc enim non est quid plus, quàm totum, non est ultra totum, cùm includatur in illo. Adverti autem diligenter volunt, quòd istæ particulæ: *plus*, *ultra*, possint sumi dupliciter. *1mò* Constitutivè, cùm plures entitates veniunt in recto, & sic plus est constitutivè binarius, quàm unitas. *2dò* connotativè, quando eadem quidem & unica entitas venit in recto, sed plus dicit in obliquo, vg. paries habens albedinem est quid plus connotativè, quàm sumptus præcisè secundùm se. His ita ex Connotatistarum doctrina expositis.

8. Dico *1mò*. Quantùm ad subjecta, quæ removenda sunt à communione prædicati uni cuipiam soli attributi. *1mò*: possunt per particulam exclusivam à consortio prædicati excludi, etiam inadæquatè realiter distincta, ut si dicas: *ex constitutivis hominis, sola anima est substantia purè spiritualis*, non tantùm excluditur à prædicato materia prima, unio, sed etiam ipsemet homo adæquatum suimet ipsius constitutivum, cùm sit substantia partim spiritualis, partim materialis, adeoq; non purè Spiritualis, qui tamen homo tantùm inadæquatè distinguitur ab anima. Item si dicas: *ex requisitis essentialibus ad esse hominis, solus homo est animal rationale*, excludi debent singula imprimis constitutiva inadæquatè distincta ab homine,

præ-

præterea etiam adæquatè distincta, ut DEUS, actiones hominis productivæ, & si quod est aliud requisitum hominis essentiale. *2dò* possunt excludi tum realiter, tum sola ratione distincta, ut cùm dico: *in tota Trinitate Divina physicè sumpta, solus Pater generat*, excluduntur tum Filius, tum Spiritus Sanctus, tum ipsa Trinitas Personarum, quæ omnia realiter distinguuntur à Patre, tum etiam essentia Divina, spiratio activa, quæ, ut ex Concilio Florentino suppono. sola ratione sunt à Patris Persona distincta. *3tiò* possunt excludi, etiam sola illa, quæ sunt tantummodo ratione ratiocinata distincta, ut si dicam: *ex prædicatis Metaphysicis hominis, sola duo: animal & rationale esse primò essentialia illius prædicata*; vel *solum animal est genus proximum, solum rationale est ultima ejusdem differentia.* *4tò* possunt per eandem particulam excludi, ut pleriq; volunt, tantùm per suppositionem impossibilem distincta realiter, ut si dicam: *si per impossibile in Divinis prædicata essentiæ, & omnibus personis communia distinguerentur realiter ab omnibus aliis non communibus, sola illa essent Deitas, essent constitutiva essentiæ Divinæ Theologicè sumptæ; si per impossibile disidentificarentur realiter prædicata metaphysica hominis vg. rationale, à cæteris omnibus, solùm rationale esset objectum istius actus nostri: rationale &c.*

9. Dico *2dò*: per particulam exclusivam posse non excludi imprimis inadæquatè realiter distincta, ut cùm dico: *sola pars totius aufertur*, non excluditur ablatio totius realiter inadæqua-

dæquatè à parte diſtincti. Poſſunt deinde non excludi etiam adæquatè diſtincta, connexionem rei non excluſæ terminantia, etiam pertinentia tantùm, quamvis non terminantia connexionem; imò etiam impertinentia, ut cùm dico: *ſolus hodie Palatinus fuit in templo*, non excludo ea, cum quibus ille connectitur, & illius eſſe in templo, DEUM actionem Palatini conſervativam, ubicationes illius, iſtarum productiones &c; non excludo ad illum pertinentia, ut accidentia illi intrinſeca, ornatum illius, veſtem, pileum, famulos &c; non excludo etiam aliqua ad illum impertinentia, ut Sacerdotes, famulos Eccleſiæ, altaria, ornamenta illorum non excludo ad ipſam quoq; Eccleſiã impertinentia, ut paſſeres, columbas, mures, canes &c. Poſſunt nihilominus etiã hæc excludi, ſi ſubjecta, inter quæ & attribuitur uni prædicatum, & ab aliis excluditur intra certos terminos coarctaveris, ut ſi dicas: *ex omnibꝰ tã pertinentibꝰ, quàm impertinentibꝰ ad Palatinum, requiſitis & non requiſitis, ſolꝰ Palatinꝰ cum ſua ubicatione fuit in templo*, excluduntur omnia alia adæquatè diſtincta à Palatino & ipſius ubicatione in templo.

10. Dico *3tiò*: debet in Dialectica dari regula & ratio generalis exponendi propoſitiones excluſivas: quia alioqui per Dialecticam illiusque regulas & præcepta, non eſſet ſufficienter proviſum ſcientiis, quia nullus erit modus ſtabilis & ſubſiſtens diſcurrendi & decernendi de differentialibus, de proprietatibꝰ, convertibilibꝰ: nulla etiam ratio arguendi in forma ſyllogiſtica ex propo-

ſitio-

sitionibus exclusivis: propositionibus quoq; exclusivis, quæ alioqui sunt de fide, ut quòd *sola Persona verbi est Incarnata*, *solus DEUS est Beatitudo objectiva creaturæ rationalis*, non suberit sensus omnino certus. Confirmatur. Habet in Dialectica quælibet alia exponibilis suam regulam generalem, juxta quam exponi debet uniformiter in omni materia, qua igitur ratione ex exponibilibus sola exclusiva deberet ab omni forma certa & fixa suæ expositionis excludi? Huc faciunt allegata per Connotatistas hic supra num 6.

11. Dico 4.tò, Regula à Connotatistis assignata per ly *plus*, *ultra*, *insuper*, si & inquantum ista significant, ut iidem volunt, quòd per particulam exclusivam excludantur nonnisi illa, quæ in subjecto particulâ exclusivâ affecto non includuntur, (quasi inclusa in illo, à consortio prædicati excludi non possent) est insubsistens, nam, ut jam supra, eo sensu homo est animal rationale, ut à consortio istius prædicati etiam partes in se inclusas removeat; ablata sola parte totum tollitur, & hoc ipso tollitur aliquid plus, & ultra partem, quodvè in illa non includitur: ablato solo connotato tollitur connotans, ut volunt Connotatistæ, quod tamen si non constitutivè saltem connotativè est quid plus ultra connotatum, & quod in connotato non includitur: ac quantùm ad hoc nullum discrimen adfert, plus esse constitutivè, vel plus esse connotativè, ut proinde parum conferat advertere ad illud plus constitutivè, & ad aliud, quod est plus connotativè.

12. Di-

12. Dico 5tò. Quoties in propositione exclusiva vel explicitè, vel saltem implicitè designantur termini, intra quos continere se debeant tam subjectum, cui attribuitur prædicatum, quàm subjecta, à quibus est excludendum idem prædicatum, exponentes propositionem exclusivam debent ultra terminos designatos non excurrere, & relicto unicè eo, cui prædicatum attribuitur, debent sine exceptione excludere omnia ea, quibus convenit ratio designata, sub ea formalitate, sub qua designantur vg. si dicas: *ex partibus hominis sola anima est substantia purè Spiritualis; ex partibus hominis sola unio est entitas modalis; ex partibus hominis sola unio tollitur; ex omnibus adæquatè realiter inter se distinctis solus DEUS tollitur; ex omnibus realiter adæquatè distinctis sola pars interit;* expositio priorum trium debet inter solas partes versari, adeoq; per illam debet de anima affirmari, quòd sit substantia purè Spiritualis, de aliis autem quibuslibet partibus negari, non autem extendi ad quidquam aliud, quod non sit pars hominis, sive illud realiter adæquatè ab illis sit distinctum, sive tantùm inadæquatè, ut ipsum totum, quod est homo. Sic item in duabus reliquis expositio versari debet inter adæquatè distincta, nullum ex illis excipiendo, & exclusionem ad inadæquatè distincta non extendendo, ob paritatem cum prioribus, cùm propositio exclusiva, solas illic partes hominis, hìc adæquatè distincta designet, si enim expositio ab aliis extra positis excludat, non habebit eundem sensum cum exponi-

nibili, quia habebit aliud objectum, quod nullo modo attingit exclusiva, aut illud contrario modo attinget expositio, quàm attingat exponibilis, quo fieri poterit ut interdum exponentis veræ expositio sit falsa, & falsæ sit interdum vera, contra expositionis rectæ naturam, & leges. Confirmatur ratione 4ta conclusionis mox secuturæ.

13. Dixi: *quoties explicitè vel implicitè designantur termini.* Explicitè designantur, si ista designatio, ita clarè & expressivè fiat, ut neminem latere possit, vg. si dicas: *ex omnibus Angelis, ex omnibus creaturis, ex omnibus adæquatè distinctis.* Implicitè designantur, cùm non exprimuntur clarè in ipsis propositionis terminis, cæterum rationabiliter subintelliguntur vel ex usu propositionum in similibus occurrentiis vulgari, aut etiam Philosophico, vel ex intentione proferentis & circumstantiis, in quibus profertur, ac etiam ex propositionis motivo prudenter conjectabili, ex natura prædicati, juxta illam regulam: *talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis,* ex subjecta materia, de qua sermo &c.

14. Dico *6tò*: Propositio exclusiva, de subjectis realiter distinctis, tam explicitè quàm implicitè illimitata, excludit omnia realiter, tum adæquatè, tum inadæquatè distincta ab objecto subjecti, cui attribuitur prædicatum cum exclusione cæterorum à consortio prædicati. Probatur *imò*: ab universali inductione, vulgari usu, qui est in vocum & vocalium propositionum sensu optimus interpres primævæ institutionis.

15. Probatur 2dò: quia certum eſt ex dictis 1ma Concluſione poſſe & adæquatè & inadæquatè diſtincta excludi. Ergo illa etiam excludit particula excluſiva, quoties illimitatè procedit; alioqui hoc ipſo, eſſet ſaltem implicitè limitata. Illimitatio rei vel ſenſûs eſt extenſio illius ad omnia, ad quæ capax eſt extendi.

16. Probatur 3tiò. Primum in unoquoq; genere eſt menſura cæterorum, ut Philoſophus, & cum illo ſæpe Doctor Angelicus. Porro in propoſitionibus maximè Philoſophicis, ea quæ pro principiis habentur, meritò prima ſunt. Atqui in iis, quæ pro principiis habentur, iſte eſt, quem intendimus, excluſivarum ſenſus. Ergo & in aliis ſimilib9. Minor probatur ex principiis Dialecticis: *Definitio ſoli convenit definito; convertibilia ſunt, quæ omni & ſoli conveniunt; vera rei proprietas ſoli convenit, cujus eſt proprietas*; in quibus particula excluſiva illum habet ſenſum, ut per illam & adæquatè & inadæquatè diſtincta excludantur; omnia ſcilicet quæ non ſunt definita: omnia, quæ non ſunt id, cujus hæc vel illa proprietas eſt: omnia à convertibilibus quomodolibet realiter diſtincta, ſive adæquatè ſive inadæquatè tantùm diſtinguantur. Definitio vg. ita ſoli convenit, ut & nulli realiter adæquatè diſtincto, & nulli hominis parti, non corpori, non animæ, non unioni illius (quia nihil horum eſt animal rationale) conveniat, & ſic de aliis. Ergo &c.

17. Probatur 4tò: quia niſi propoſitio excluſiva illimitatè accepta excludat à prin-

cipali

cipali ſubjecto omnia realiter, ſeu adæquatè, ſeu inadæquatè diſtincta, tunc propoſitionum contrariè, vel contradictoriè oppoſitarum, utraq; poſſet ſimul eſſe vera, ſiquidem vg. deficiente ſolo DEO, ex una parte vera eſſet hæc propoſitio: *ſolus DEUS aufertur*, ut patet ex hypotheſi; ex altera parte, ſi prædicta propoſitio excluſiva illimitatè prolata non excluderet à principali ſubjecto omnia realiter ſive adæquatè, ſive inadæquatè diſtincta, ſeu in re, ſi dificiente DEO ſolo, præter iſtum perirent etiam creaturæ, ut volunt Connotatiſtæ, tunc hæc quoq; vera eſſet propoſitio: *non ſolus DEUS aufertur*, ſicut cùm defacto præter hominem etiam bruta ſunt animal, tunc vera eſt hæc propoſitio: *non ſolus homo eſt animal* &c. Ergo ſimul vera eſſet propoſitio contrariè vel contradictoriè oppoſita priori, hæc enim propoſitio: *non ſolus DEUS aufertur*, facit ſenſum aut hunc: *DEUS aufertur & creaturæ auferuntur*, aut certè iſtũ: *vel DEUS non aufertur, vel creaturæ auferuntur* Si 1mum. Ergo illa propoſitio eſt contraria huic: *ſolus DEUS aufertur*. Si 2dum. Ergo eadem illa propoſitio eſt contradictoria huic: *ſolus DEUS aufertur*. Unde etiam ſequitur, quòd & ſolus & non ſolus DEUS auferretur &c.

18. Probatur 5*tò*, quia juxta Dialecticam à propoſitione illimitatè excluſiva enuntiante aliquod prædicatum de ſubjecto, rectè arguitur ad negandum idem prædicatum de aliis realiter, ſeu adæquatè, ſeu inadæquatè diſtinctis ab eodem ſubjecto, vg. *ſolus homo eſt animal rationale. Er-*

go nec bos, nec equus, nec Angelus, nec DEUS &c. nec ulla pars hominis est animal rationale Ulterius per consequens secundùm eandem Dialecticam ex propositione illimitatè exclusiva posita pro Majori, & ex altera de quocunq; alio subjecto negante id, cui attribuitur prædicatum, legitimè infertur negatio ejus prædicati de aliis subjectis, quod principali subjecto erat attributum vg. *solus homo est animal rationale. Sed bos, equus, &c, non est homo. Ergo bos, equus, &c. non est animal rationale.*

19. Probatur *6tò* eâ argumentandi formâ, quâ utuntur Connotatistæ, & putant se perimere adversam sententiam. Solo & unico ablato DEO, vel unicum ens aufertur vel plura. Si unicum, quomodo plura? vg. DEUS & Angelus. Si plura? quomodo unicus aufertur DEUS?

20. Dico *7mò*. Propositionis exclusivæ prædicatum quo sensu acceptum attribuitur alicui subjecto per exponentes, eodem sensu de distinctis à subjecto negandum est. Ita omnes Dialectici, & meritò, alioqui enim propositio non esset verè exclusiva, si alio sensu affirmaretur de uno prædicatum, & alio sensu de aliis negaretur, atq; propositiones exclusivæ evidenter falsæ vg. *solus DEUS est ens reale; solus DEUS existit; solus homo est animal*; exponerentur in hunc modum: *DEUS est ens reale, & Creaturæ non sunt entia realia à se; DEUS existit ratione sui, & suæ sibi sufficientiæ, Creaturæ existunt ratione alterius, à quo existentiam habent; homo est animal, & nullum aliud ab homine est animal rationale*, & sic de aliis &c.

Non

Non etiam valeret forma ab exclusivis arguendi; non principia illa, de quibus immediatè supra.

21. Objicitur *imò*: & contra 3tium assertum probatur, debere etiam inadæquatè distincta per quamcunq; exclusivam excludi, alioqui propositio exclusiva vg. hæc: *solus dexter Petri oculus videt*, falsa utroq; vidente, esset vera, ut supra num. 3. Respondeo. Si illimitatè profertur dicta propositio exclusiva, est falsa. Si limitatè, limitatione consistente inter adæquatè distincta, potest esse vera, quamvis utroque oculo Petrus videat, & nullus alius oculus ab illo adæquatè distinctus videat. Si verò limitatio consistat inter inadæquatè distincta, nequit esse vera. Quanquam in sententia Connotatistarum oculus & dexter, & sinister deberet in recto dicere solam materiã oculorum, animã in obliquo, nam oculi animati hoc modo materiam, animamq; important. Ergo oculus dexter à sinistro esset adæquatè distinctus, ut materia oculi dextri distinguitur à materia oculi sinistri. Sinistro quoq; non vidente, per illorum ratiocinationem esset iterum falsa, quamvis in argumento veram futuram videantur supponere, quia etiam inadæquatè distinctum ab oculo dextro deberet non videre. Porro falsum id est, quia anima ab oculo dextro tantùm inadæquatè distincta videret per eandem ipsorum ratiocinationem.

22. Objic. *2dò* contra 4tum assertum. Ex connexis uno solo ablato perit & alterum, quia ad ablationem termini connexionis etiam solius

tollitur connexum. Ergo excludi non poteſt, quamvis ſit adæquatè diſtinctum. Pertinentia quoq; ad rem non excluſam excludi non debent, ut patet ex altera Connotatiſtarum inſtantia num. 4. allegata. Reſpondeo. Nego 1mum aſſumptum cum ſua ratione; atq; ſi ſubſiſtit doctrina ejusmodi, fiet ut propoſitio: *ſola creatura exiſtit*, ſit vera, quamvis Atheiſtica videatur; quia creatura exiſtens connectitur cum exiſtentia DEI, adeoq; DEUS non excluditur per illam excluſivam. Ergo & eſt falſa, & nihilominus vera. Alteri quoq; inſtantiæ nego ſuum aſſumptum, aliud enim eſt poſſe non excludi, aliud debere non excludi. Si pertinentia debent non excludi, vera erit propoſitio: *ſolus DEUS exiſtit*, neq; enim minùs pertinet ad DEUM creatura, quàm ad Palatinum ſui famuli. Sequitur deinde etiam impertinentia debere non excludi, quia ex eadem Connotatiſtarum inſtantia patet poſſe non excludi ex dictis Aſſertione 2da. Illæ itaq; propoſitiones implicitè ſunt limitatæ illo ſenſu, in quo ſolent vulgò uſurpari. Illa propoſitio: *ſolus Palatinus fuit in templo*, facit hunc ſenſum: *ex ejusdem cum Palatino conditionis hominibus, ſolus fuit in templo Palatinus.*

23. Objic. *3tiò* contra idem aſſertum. Per hanc à Chriſto prolatam, & ad Patrem directam propoſitionem: *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum verum DEUM*, non excluduntur Filius & Spiritus S. Item per verba illa Eccleſiæ, ad Chriſtum directa: *Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus*, non excluduntur alii, utiq; verè

San-

Sancti, verè Domini. Respondeo priorem esse limitatam implicitè per subintellectum ly: *ex Diis*, ita, ut sensus sit: *Te solum ex Diis verum DEUM.* Illud Ecclesiæ communiter explicatur, ut sensum faciat: *Tu solus per essentiam Sanctus, Tu solus per essentiam Dominus.* Excluduntur itaq; alii non per essentiam Sancti; non excluditur Persona Patris, aut Spiritûs S. cùm expressè addatur: *cum Sancto Spiritu in gloria DEI Patris*, quasi diceretur: *in pari excellentia DEI Patris.*

24. Objici potest 4tò. Si per exclusivā illimitatam debent excludi etiam inadæquatè distincta, hæc propositio: *ablata sola parte totum tollitur*, erit falsa, nam totum est à parte inadæquatè distinctum. Ergo illâ solâ ablatâ deberet totum non tolli. Rursus hæc etiam exclusiva: *potest DEUS tantùm unam creaturam ex universo tollere*, est illimitata; est deinde vera; at falsa esset, quia vel unicâ creaturâ ablatâ tolluntur innumeri binarii, ternarii, quotquot scilicet ex illa & alio quovis ente vel entibus constituuntur. Hæc deniq; est illimitata & vera: *potest DEUS tantùm duo entia creare*, & tamen esset falsa, quia creatis duobus, necessariò creatur & tertium ab illis inadæquatè distinctum, scilicet binarius ex utroq;. Respondeo istas propositiones, cùm communiter supponantur esse veræ, esse implicitè limitatas, ut consistant inter sola adæquatè à se distincta. Jam ex adæquatè inter se distinctis sola parte sublata tollitur totum, & DEUS duas tantùm creaturas producere potest, & unam solùm ex creatis tolle-

re.

re. Quodſi illimitatè procederent, eſſent omnes falſæ. Dices: quid ſi aliquis reſtringeret dictas propoſitiones ad inadæquatè inter ſe diſtincta? Reſpondeo: omnes eſſent falſæ, atq; ſe etiam formaliter tollentes. 1ma, quia poneret partem totius tolli, & totum non tolli, cùm tamen totum non tolli, ſit formaliſſimè omnes totius partes non tolli, ſeu nullam tolli. 2da etiam poneret duas creaturas produci, & binarium non produci, quæ formaliter ſe tollunt, cùm omnia binarii conſtitutiva produci, & binarium non produci, ſint formaliter & immediatè pugnantia.

25 Objici poteſt 5tò. Si excluſiva illimitatè prolata excluderet realiter, ſeu adæquatè, ſeu inadæquatè diſtincta, etiam excluderet diſtincta ſola ratione, cùm etiam capax ſit taliter diſtincta excludere, ut dictum hic num. 8. Reſpondeo. Nego ſequelam, quia per rationem diſtincta, non ſunt verè & propriè diſtincta, ſed tantùm habent apparentiam diſtinctorum, taliter verò diſtincta non veniunt in univerſalitatem diſtincti ſimpliciter, ſicut ſub univerſalitate hominis, non venit pictus homo; ſub univerſalitate entis realis ens rationis, & ſic de aliis. Si contingat in aliquo caſu extenſionem fieri etiam ad intentionaliter diſtincta, eadem regula ſervanda eſt intra ſtatum ejusdem diſtinctionis.

26. Infertur *1mò*. Connotatiſtas à communi particulæ excluſivæ intellectu & expoſitione, ſine ſolido fundamento recedere. *2dò* quod dictum eſt de particulæ excluſivæ exponibilita-

litate, cùm illa ſubjectum afficit, accommodatè dicendum de ejusdem exponibilitate, cùm afficit prædicatum. Notandum tamen, quòd particula nominalis: *ſolus*, afficiens prædicatum, perinde propoſitionem exponendam efficit, acſi ſubjectum afficeret, ut: *Petrus eſt ſolus doctus; homo eſt ſolus animal rationale; DEUS eſt ſolus DEUS.* Alius eſt ſenſus particularum non nominalium, ut ſi dicas: *Petrus eſt ſolùm doctus. Homo eſt tantùm animal rationale.* 3tiò contradictorias excluſivarum eſſe contradictorio ad exponentes modo exponendas. De contrariis, ſubcontrariis, ſubalternis vide Fonſecam lib. 3. Cap. 26.

QUÆSTIO PRIMA

Quid & quotuplex Connotatum?

27. COnnotatum, quantùm ad vocem, dictum ab eo eſt, quòd in explicatione rei, cum aliis ipſius prædicatis ſimul notetur, & quaſi conſignificetur. Suum, quod Connotatiſtæ aſſerunt, connotatum paſſim vocant antonomaſticè tale, non quòd etiam alterius ſpeciei connotata, non ſint revera propriè connotata, ſed quòd connotatum per illos aſſertum, ſit per quandam excellentiam connotatum. Iſtud Majores illorum ajebant definitivè eſſe id, quod eſt extrinſecum rei, ad illam tamen intrinſecè requiſitum. Noviores ab iſta definitione abſtinent: vitium intcrea

rea nullum ipſius inſinuant, præterquam, quòd unus ex ipſis aſſerat, hac ratione connotatum riſui magis Adverſariorum exponi, quàm ritè explicari, fortè ideo, quòd videatur quaſi clarè in terminis pugnare, & ſe ſimul intra, ſimul extra eandem rem ponere. Procedit etiam per terminos ad naturam connotati non congruè explicabiles, nam ly *extrinſecum* videtur negare intrinſecitatem, non modò metaphyſicam ſeu identicam, ſed etiam phyſicam, cùm tamen conſtet, per noſtros Connotatiſtas aliqua eſſe intrinſecè phyſicè rei unita, nihilominus connotata. Ly etiam: *intrinſecè requiſitum* dici poteſt de iis, quæ ab intrinſeco requiruntur, qualia ſunt, quæ requiruntur phyſicè & naturaliter, quamvis non requirantur eſſentialiter, cùm connotatum determinatè eſſe debeat omnino eſſentialiter requiſitum. Ut itaq; ſuam & meliorem adſtruant connotati definitionem

28. Ponunt *1mò*. Requiſitum eſſe, ſine quo res eſſe non poteſt. *2dò*. Requiſitum aliud eſſe eſſentialiter tale, aliud non eſſentialiter tale. Illud eſt, ſine quo res etiam divinitus eſſe non poteſt; iſtud ſine quo res phyſicè vel moraliter eſſe non poteſt, quamvis divinitus poſſit. Unde iſtud illis aliud eſt phyſicum, aliud morale. *3tiò* ex requiſitis eſſentialibus aliud eſſe, quo ſolo ablato res tollitur, aliud quo ſolo ablato res non tollitur. *4tò*. Tandem iſtud ipſum aliud eſſe non purum, ſeu quod ſimul eſt conſtitutivum; aliud purum requiſitum, quo ablato ſolo res tollitur,

&

& tamen non est constitutivum rei, adeoq; connotatum per illos est requisitum essentiale ad esse rei, quo solo ablato res tollitur, illud tamen non est ipsius constitutivum.

29. Non probatur *imò* præfata definitio requisiti, quia non omne illud sine quo res esse non potest, est requisitum ad esse rei, nam duplici modo res una non potest esse sine alia. *imò*: ex natura ipsius rei, quæ non potest esse sine alia, ut quia illa hanc essentialiter exigit, vel ab hac essentialiter dependet, vel illi ab intrinseco concomitanter annexa est. *2dò* præcisè ex eo, quòd altera illa res aliunde indefectibilis sit. Unde quamvis ex parte sua illam nec exigat, nec ab illa dependeat, nec naturâ suâ illam concomitari debeat, sine illa tamen esse non potest. Sic absq; veritatibus necessariis objectivis de quocunq; demum objecto, sive illæ habeant esse intrinsecum quidditativum, sive aliud quocunq; tandem modo diminutum, nulla res esse etiam divinitus potest, vg. lapis esse non potest sive existentialiter, sive quidditativè id, quod est, quin Angelus sit substantia creata, completa, immaterialis &c. vel homo sit animal rationale &c. & tamen lapis ad esse suum, sive existentiale, sive quidditativum, Angeli vel hominis esse non requirit. Sic & in physico requisito, pro præsenti rerum statu nulla res esse naturaliter potest, quin Angeli sint, cùm naturaliter indestruibiles sint, neq; tamen ideo dices vg. lapidem ad suum existere requirere physicè existentiam Angeli. Solis quoq; cursus in cælo

con-

continuus, aliquid necessarium est, ita, ut pro miraculo habendum sit, si fortè sol in cursu subsisteret, vel si retrocederet, nec tamen Petrus vg. stans in angulo, requirit de necessitate solem currere in cælo &c. Requisitum igitur non est, sine quo res esse non potest; sed sine quo ex natura sua, & prædicato sibi intrinseco res esse non potest.

30. Non probatur 2dò quia non omni connotato convenit esse requisitum sine quo &c. Nam quælibet res potest esse absolutè sine eo, quod contingenter connotat, vg. Petrus sine albedine, quam subinde connotat. Dantur deinde connotata, sine quibus res non tantùm esse potest, sed cum quibus etiam esse non potest, idq; interdum etiam divinitus, qualia sunt connotata cujuscunq; essentialiter oppositi & incompossibilis cum altero, nam unum oppositum alteri, ut tale, connotat immediatè alterum oppositum, cum quo simul esse non potest, alioqui non esset illi oppositum, maximè essentialiter.

31. Non probatur 3tiò: quia cùm commodè in distinctione alicujus rei differentia dari potest, quæ speciem definitam discriminet à specie correlativa, seu ejusdem proximi generis divisiva, ineptè in definitione ponitur negatio speciei oppositæ, vg. cùm *homo* & *brutum* sint species correlativæ, divisivæ generis proximi, scilicet *animalis*; non igitur rectè definires brutum: *est animal, quod non est homo*. Cùm itaq; connotatum, & constitutivum sint species correlativæ, divisivæ generis proximi, scilicet requisiti essentialis, quo

solo

ſolo ablato res tollitur, non exactè certè, nec Logicè in definitione ponitur remotio conſtitutivi pro differentia, ſeu ly: *non eſt conſtitutivum*: ad ſummum poni debuiſſet prædicatum aliquod remotivum differentiæ conſtitutivi, ut in definitione bruti, ponitur ly: *irrationale.*

32. Non probatur *4tò*: particulariter contra Connotatiſtas, qui negant conſtitutivum eſſe poſſe adæquatum, ſequitur enim ex definitione contra omnium etiã Connotatiſtarum ſenſum quòd cujuslibet rei eſſentia adæquata, eſſet illius connotatum ſtrictè tale, quia eſt requiſitum, & illud eſſentiale ad eſſe rei, & quo ſolo ablato res tollitur, & inſuper non conſtitutivum ejusdem rei, aliàs eſſe deberet adæquatum conſtitutivum.

33. Non probatur *5tò*: quia in definitione conſequenter ad doctrinam & argumenta Connotatiſtarum, ly *quo ſolo ablato res tollitur*, eſt prorſus ſuperfluum, hoc enim ipſo, quòd aliquid ſit requiſitum eſſentiale ad eſſe rei, per illorum argumenta illo ſolo ablato res tollitur; id, quod ſalſè contra illos opponitur, qui in definitione connotati, ultra, quòd dicant illud eſſe requiſitũ eſſentiale, ſuperaddunt illud: *quo ſolo &c.* ut addunt plures.

34. Non probatur *6tò*: quia definitio eſt præjudicioſa ſententiæ oppoſitæ, ſaltem probabili, quæ docet omne requiſitum eſſentiale ad eſſe rei, quo ſolo ablato res tollitur, eſſe conſtitutivum &c.

35. Non probatur *7mò*: quia ly: *ſolo ablato* eſt terminus valde obſcurus & ambiguus, ade-

adeoq; & tota definitio obscura, cùm apud Connotatistas particula: *solo* vix possit invenire sensum determinatum & fixum, neq; per illos universaliter probetur modus illam explicandi, quo eandem particulam nostri assolent explicare. Cùm autem spectet ad rationem proximè genericam constitutivi & connotati, deberet eandem univocè significationem habere in definitione connotati, quam habet in definitione constitutivi, apud illos, qui ly: *quo solo &c.* ponunt in eadem definitione, aliàs si in explicatione & sensu illius differunt, superfluum erit in definitione connotati addere ly: *& non est constitutivum.* In ly enim *solo*, & alia ipsius pro constitutivo, alia pro connotato acceptione jam erit sufficiens differentia unius ab altero. Quamvis verò connotatistica sui connotati definitio tot vitiis scateat, à nobis nihilominus emendari non debet, tum propter authoritatem definientium, & sua, quàm nos possimus, feliciùs intelligentium, tum ne deinde impugnaturi connotatum videamur impugnare, quale nos fingimus, & ipsi non somniant. Jam ad divisionem pergamus.

36. Connotatum præfato modo definitum Connotatistæ dividunt, *imò*: in connotatum *purè extrinsecum*, quod scilicet à connotante est realiter adæquatè distinctum; & *semiextrinsecum* quod à connotante tantùm inadæquatè distinguitur, quale est vg. totum respectu partis actualis, totum enim *inquiunt* est requisitum essentiale ad esse partis actualis, neq; tamen est illius consititu-

ſtitutivum; eſt itaq; connotatum aliqua ſui parte parti actuali intrinſecum, aliqua extrinſecum. Sic etiam in caſu ejusdem corporis animâ Petri, & ſimul animâ Pauli informati, Petrus adhuc erit ſimilis in natura Paulo, iſte proinde erit illius connotatum, neq; tamen purè extrinſecum, ob materiam, imò fortaſſis & formas partiales utriq; communes. 2dò: aliud, *inquiunt*, eſt connotatum, *quod ſimul eſt terminus connexionis eſſentialis in connotante*, quale eſt DEUS reſpectu creaturæ; aliud, *quod non eſt talis terminus*, quale eſt connotatum cujusq; rei cum illo non connexæ. 3tiò: aliud eſt *mediatum*, ſine quo res eſſe etiam divinitus nequit, ſine illo tamen concipi poteſt, ut eſt DEUS, vg. reſpectu hominis, in cujus conceptu quidditativo, ne quidem implicitè cognoſcitur; aliud *immediatum*, ſine quo res neq; eſſe, neq; concipi poteſt, ut eſt vg. unio reſpectu hominis, animæ cum corpore unitiva. Unde (pergit quidam ex Connotatiſtis) ſi per impoſſibile auferretur DEUS, nonniſi mediatè & conſequenter & arguitivè periret creatura, è contra ablata vg. unione immediatè & formaliſſimè tollitur, ſeu non manet homo, quamvis unio ſit extra conſtitutionem illius, quia homo in re eſt corpus & anima habentia unionem. 4tò: connotatum aliud eſt *Logicum*, ſine quo res concipi non poteſt, quamvis eſſe poſſit, ut ſunt ratiocinationes reſpectu hominis, ſine quibus eſſe poteſt, (ut patet in infante) concipi non poteſt; aliud *phyſicum*, ſine quo res eſſe in ſe non poteſt.

37. Con-

37. Contra 1*mam divisionem* est, quia connotatum semiextrinsecum non habet veram rationem connotati, (consequenter non potest esse species & ratio divisiva connotati ut sic) siquidem prædictum connotatum non est purum requisitum ad esse rei, ut probo. Quod est saltem aliqua sui parte identicè intrinsecum & constitutivum rei, non est purum requisitum ad esse rei. Sed connotatum semiextrinsecum rei, est aliqua saltem sui parte identicè intrinsecum & constitutivum rei. Ergo &c. Confirmatur *imò*: quod est tota essentia rei, non est propriè connotatum rei. Ergo & quod includit totam essentiam rei, non est connotatum propriè ejusdem rei. 2*dò*. Non est propriè constitutivum rei, quod est semiextrinsecum rei. Ergo neq; est propriè connotatum, quod est semiintrinsecum rei. Sed connotatum semiextrinsecum rei est semiintrinsecum rei. Ergo &c. 3*tiò*: quia pari ratione posset admitti connotatum ex parte sua adæquatè intrinsecum rei, imò & deberet, ut esset pars respectu sui totius, juxta colligenda Disp. 3. adeoq; hæc species connotati in illius divisione debuisset non intermitti. Pluribus idem confirmabitur hìc num. 131. & Disp. 3. num. 72.

38. Contra 2*dam divisionem* est, quia rursus omne connotatum deberet esse terminus connexionis essentialis, ut probo. Quod est distinctum realiter à connotante & insuper ab illo ex natura, quia ex prædicato illi adæquatè identificato, ita requiritur, ut etiam divinitus esse non possit sine illo, illud est terminus connexionis essentialis

ſentialis ineſſentis connotanti. Sed omne connotatum eſt realiter diſtinctum à connotante, & inſuper ex natura prædicati ſibi realiter adæquatè identificati (ſcilicet ex natura ipſius iſtius prædicati, quòd ſit connotans, quod utiq; adæquatè identificaretur connotanti per ipſos Connotatiſtas, cùm connotans ſit adæquatum rectum connotantis) requiritur ita, ad eſſe connotantis, ut hoc ſine illo nec divinitus eſſe poſſit. Ergo omne connotatum eſt terminus connexionis eſſentialis ineſſentis connotanti. Minor id aſſerit, quod docent etiam Connotatiſtæ. Major eſt definitio connexi eſſentialiter, quâ melior nulla; nec eſt infringibilis per ullam in contra inſtantiam, & patet ex paritate creaturæ eſſentialiter connexæ cum DEO &c. Confirmatur. Valet iſta, & in ſententia Connotatiſtarum certa, & evidens eſt illatio: *connotatum non datur. Ergo & connotans non datur.* Ergo antecedens objectivum illationis connectitur eſſentialiter certò & evidenter cum objectivo conſequente. Atqui non connexione Metaphyſica, ſeu Logica, ſeu in re, connexione identitatis adæquatæ; non etiam connexione includentis cum incluſo, ſeu conſtituti cum conſtitutivo. Ergo connexione reali eſſentiali phyſica. Infero. Ergo & objectum contradictorii conſequentis, ſcilicet hoc: *datur connotans*, connectitur eſſentialiter cum contradictorio objectivo antecedentis, ſcilicet cum hoc: *Ergo connotatum datur*. Ergo etiam connotans coñectitur eſſentialiter cum coñotato. Atqui nõ cõnexione identitatis adæquatæ, ſeu Metaphyſica; neq;

connexione totius cum parte. Ergo physica reali essentiali.

39. Dicent valere utramq; consequentiam ratione connotationis. *Contra est*. Probatum argumento est connotationem esse connexionem. Ergo si ratione connotationis, ratione connexionis. Deinde somniâruntne alicubi Dialectici, vel Logici de connotatione fundativa illationis, quæ non esset simul connexio vel metaphysica vel physica? Ex regulis certè illationum, quas illi ponunt, nullam repereris, quæ non infundetur principiis connexionis alterutrius ex insinuatis.

40. Dicent valere utramq; consequentiam titulo requisiti essentialis. *Contra imò*. Etiamne de hac aliquando Dialectici, vel ulla regula illationum? *Contra 2dò*. Requisitio essentialis alicujus realiter dictincti infundata prædicato adæquatè identificato rei requirenti, ipsamet est formalis connexio; connexio enim essentialis definitivè est impotentia essentialis infundata prædicato adæquatè identificato rei, ad esse sine alio realiter distincto.

41. Dicent: ad relationem connexionis essentialis requiri, ut ad ablationem termini connexionem terminantis res non pereat ratione alterius, sed ratione sui. *Contra est imò*. Ad rationem connexionis essentialis physicæ requiritur, ut ad ablationem termini connexionem terminantis pereat res, physicè essentialiter connexa, ratione alterius ablati, quia requiritur, ut pereat ratione termini ab illa realiter distincti, quod est

alte-

alterum realiter à re connexa, alioqui non distingueretur prorsus à connexione essentiali metaphysica. *Contra 2dò*. Semper objectivum antecedens est ratio objectivi consequentis, omne enim enthymema resolvitur in propositionem causalem, in qua pro ratione & causa adfertur objectum antecedentis.

42. Dicent: ad ablationem termini connexionis debet res connexa perire ratione sui, hoc est in sua ipsius entitate. Ita est: si ad ablationem connotati perit connotans, in sua certè entitate perire debet; alioqui si entitas illius manet, illud certè non perit. Sed de hoc latiùs infra.

43. Contra *3tiam divisionem* est, quia *1mò*: quodcunq; demum connotatum deberet esse immediatum requisitum ad esse rei, nam quodlibet essentiale est requisitum, quolibet solo ablato tollitur res connotans. Ergo quodlibet connotatum esse deberet requisitum & ad esse rei, & ad conceptum rei, ita, ut sicut sine illo res esse non potest, ita sine illo nec concipi possit, quin illud saltè implicitè & indirectè concipiatur. *2dò*. Quodlibet connotatum rei est tale, ut ad ablationem illius nulla alia re, & ablatione illius rei mediante connotans auferatur. Ergo si ad ablationem alicujus connotati res immediatè & formaliter tollitur, tollitur pari modo ad ablationem cujuscunq;. Ergo si ex ea ratione, quòd res ad ablationem alicujus connotati tollatur formaliter immediatè, res sine tali aliquo connotato nec esse, nec concipi potest, non poterit esse & concipi sine quocunq;

tandem verè & propriè connotato. *3tiò.* Sine connotato, quod illi *Logicum* vocant, non potest res concipi. Ergo à potiori sine physico connotato: si enim res non potest concipi sine illo, sine quo potest esse, tantò minùs concipi poterit sine illo, sine quo esse non potest, istud siquidem plus pertinentiæ habet ad connotari in conceptu rei, quàm primum. *4tò.* Per Connotatistas ita requiritur unio ad esse hominis, ut sine illa nec esse nec concipi possit. Ergo & DEUS Creator, ita requiritur ad esse creaturæ, ut sine illo creatura nec esse nec concipi possit. Dato enim quòd & unio hominis ad esse illius, & DEUS ad esse creaturæ sit requisitum, certè DEUS erit saltem pariter requisitum ad esse creaturæ, ut unio ad esse hominis. Ergo si sine unione nec esse nec concipi potest homo, etiam sine DEO nec esse, nec concipi poterit creatura. Mirum deinde est, qua ratione ad ablationem unionis, (quam Connotatistæ nostri volunt esse merum hominis connotatum illi adæquatè extrinsecum) homo immediatè atq; etiam formaliter pereat, cùm ex illorum sensu, quoties contra nos iisdem terminis utuntur, immediatè & formaliter ad ablationem alicujus perire, sit ex vi identitatis cum illo perire. Item quomodo homo ad ablationem unionis immediatè & formaliter perit, cùm nonnisi pereat ratione alterius à se adæquatè distincti? in entitate autem nihil entitatis, quæ homo est, pereat. Quomodo tandem periret ablato constitutivo, materiâ scilicet vel animâ? an fortè immediato & formali interi-

tu

tu dabitur immediatior? cogitari vix poteſt.

44. Deniq; contra *4tam diviſionem*, eſt, quia connotatum Logicum non participat verè & propriè rationem connotati ut ſic definitivam, non eſt enim requiſitum ad eſſe rei, multominus eſſentiale, & multominus, quo ſolo ablato res tollatur, ſed requiritur tantùm ad cognitionem rei. Scio equidem, quòd quidam ex Connotatiſtis velit iſtud connotatum dici latiſſimè; ſed *imò* cùm illud dicat latiſſimè ſumptum, illud tamen comprehendat ſub univerſaliſſimè ſumpto, non aſſequor imprimis, quî fieri poſſit, ut connotatum latiſſimè ſumptum, ſit ſpecies univerſaliſſimè ſumpti? an fortè univerſaliſſimo latius dari poterit, aut latiſſimo univerſalius? 2*dò* cùm univerſaliſſimè ſumptum ab eodem in Logica dicatur eſſe purum requiſitum ad eſſe alicujus rei, quomodo ſub illo reponi poterit illud latiſſimè ſumptum, quod non requiritur ad eſſe rei? Adde quomodo etiam phyſicum connotatum reponitur ut ſpecies ſub connotato ut ſic, cùm definitio illius nec aliud, nec plus, nec quidquam minus referat ultra & præter id ipſum, quod adfert definitio connotati ut ſic?

45. Infertur connotatum antonomaſticè tale à novioribus Connotatiſtis nec rectè definiri, nec rectè dividi; interim quod nobis obtruditur, haud repellimus: exactiora ſubſtituere rei noſtræ non intereſt, ſed neq; expedit ob inſinuata num. 34.

QUÆSTIO SECUNDA
Quid Constitutivum & quotuplex?

46. Constitutivum ex vi vocabuli dictum ab eo esse, quòd cum alio statuat rem in esse suo, & Connotatistæ affirmant, & nos permittimus. Undeunde dicatur, quærimus quid sit definitivè? Antiquiores in hac Provincia Connotatistæ dicebant constitutivum rei definitivè esse, quod in conceptu illius quidditativo adfertur in recto. Non probatur *imò*: quia res ex sua formalitate nullum dicens respectum ad conceptus vel voces, ineptè definitur per ordinem ad conceptus vel voces. Sed constitutivum in sua formalitate nullum dicit respectum ad conceptus vel voces, ab hoc enim respectu prorsus absolvitur, utpote ratio purè metaphysica. Ergo &c. Majoris ratio est, quia in talibus dici (sic concipi, significari, in recto adferri, affirmari) sequitur ad esse, non verò est illud ipsorum esse. *2dò*: per conceptum quidditativum rei quid isti intelligunt? aliud non possunt, quàm conceptum, in quo explicantur constitutiva rei physica vel metaphysica. Ergo ponitur in definitione constitutivi id ipsum, quod rursus constitutivi definitionem exigit, scilicet conceptus quidditativos. *3tiò* quærere restat: quænam illa prædicata sint, & quomodo definienda, quæ in conceptu quidditativo adferri debent in recto? *4tò*.

In

In hac ipsa definitione constitutivi nihil adfertur in recto, quod discernat constitutivum à non constitutivo, adfertur enim tantummodo *id quod*; istud autem est quid purè genericum & supertranscendentalissimum. 5tò in definitione vg. hominis ly *animal rationale* non adfert in recto, nisi id, quod iterum generalissimum est, scilicet ly *habens*, animal enim rationale est formalissimè habens animalitatem & rationalitatem. 6tò: deniq; ex quæstione sequenti intelliges, ne quidem pro indicio constitutivi rectè & congruè adferri importabilitatem in recto; multò igitur minùs pro essentia, eaq; prima constitutivi, erit habenda.

47. Ex Recentioribus ac imprimis Connotatistis dicunt aliqui constitutivum rei esse definitivè *essentiam rei saltem inadæquatam*. Equidem verum est quod constitutivum sit essentia rei saltem inadæquata; sed quæritur definitio doctrinalis, quæ possit usui esse, quid sit vel non sit de essentia rei, & quæstiones in quibus quæri solet: quænam sint constitutiva essentiæ alicujus rei, reinciderent in quæstionem, quænam sit essentia essentiæ rei? Ad hæc constitutivum est species aliqua generis, sub quo & illud, & connotatum antonomasticè tale continetur: deberet itaq; genus illius explicitè adferri in definitione, conveniens constitutivo & connotato; jam esse essentiam rei non est quid commune connotato & constitutivo. Tandem, si quis quærat: quænam sint metaphysica constitutivi constitutiva sub hac ipsa formalitate? tu autem respondeas esse illa, quæ sunt

sal-

ſaltem indæquata eſſentia conſtitutivi, nihil novi, nec idem clariùs dices. Reſtabit quærere quænam illa ſunt, quæ ſunt inadæquatæ eſſentiæ conſtitutivi?

48. In idem ferè reincidit, quod alii, etiam Connotatiſtæ dicunt: *conſtitutivum definitivè eſt id, quod res eſt*; habet enim eadem vitia, quæ ſuperior, & inſuper cùm ly *res* intelligi debeat de re, de cujus conſtitutivis inquiritur, non quodlibet conſtitutivum eſt id, quod res eſt, vg. non quodlibet conſtitutivum hominis eſt id, quod homo: pars eſt conſtitutivum totius compoſiti, nec tamen iſtud eſt ſua pars, vel id quod pars. In Divinis verum eſt dicere: *Paternitas eſt id, quod Filiatio*, neq; tamen Filiatio eſt conſtitutivum Paternitatis &c.

49. Definiunt alii conſtitutivum dicendo, quòd *ſit pars rei*; affine eſt, quod alii: *eſt id*, (vel juxta aliquos: *prærequiſitum eſſentiale*) *quod ſe dat in entitatem alterius*. Iſtæ definitiones præjudicant ſententiæ, quæ jam percrebreſcit, & videtur eſſe probabilis, affirmantium, non eſſe contra rationem conſtitutivi eſſe adæquatum, quod certè neq; eſt pars, neq; ſe dat in entitatem alterius, ſed in ſuam ipſius, neq; eſt prærequiſitum, aliàs prærequireretur ad ſe ipſum. Adde in myſterio Divinæ Triadis admitti paſſim & ſine ſcrupulo conſtitutiva, multis cum P. Ruiz non audentibus ullam illic partem admittere, quòd iſtud vocabulum videatur aliquam incompletionem adferre. Iſtud etiam: *dare ſe in entitatem alterius*, *eſſe prærequiſitum &c.* non omnino conformiter

modis

modis loquendi Theologicis & Sanctorum Patrum attribui potest Personæ Spiritûs S. cui tamen ratio constitutivi respectu Sanctissimæ Trinitatis non negatur, significaret enim Personam Spiritus Sancti esse vel causam intrinsecam, vel saltem principium intrinsecum Sanctissimæ Trinitatis, quod ipsum significaret aliquam prioritatem respectu Sanctissimæ Trinitatis, quam verò illam? non temporis: absit vel cogitare; non naturæ: hæc in Divinis, etiam principiis productivis negatur; non originis: à Persona enim Spiritus Sancti nihil in Divinis originatur; non ordinis: quia Spiritus S. tertia est Persona, nulla illam consequente; non Logicam consistentē in non mutuò subsistente consequentia: mutuò enim Personæ Divinæ se esse inferunt ob identitatem communem in essentia & relationis unius cum altera essentialem connexionem; quantùm verò ad unam Personam esse aliam nulla illic consequentia etiam non mutua.

50. Alii in definitionem constitutivi adæquatam vel inadæquatam trahunt illud: *quo solo ablato res tollitur.* Sed non rectè. *1mò.* quia saltem in definitione constitutivi deberent non adeo apertè præjudicare sententiæ Connotatistarum, saltem ab extrinseco probabili, & sin minùs efficaci argumentorum multitudine suffultæ. *2dò* quia non per primò essentialia constitutivum definiunt, constitutivi enim primarius effectus vel quasi effectus esse debet, rem per suum esse ponere seu statuere in suo esse, quàm per sui ablationem tollere &c.

51. Constitutivum inquiunt alii definitivè *est requisitum essentiale ad esse rei in omni suppositione etiam impossibili non tollente seipsam*. Non rectè: *imò* quia ipsamet suppositio tollens seipsam est illa, in qua supponitur res id non esse, quod per essentiam est, vel id esse, quod per essentiam non est, aut physicè non constitui per illud, per quod certò & evidenter constituitur, aut constitui per id, quod suum constitutum immediatè, & formaliter excludit à constitutione. Pro priori itaq; ad intellectum suppositionis se tollentis, oportet intelligere: quænam, & consequenter quidnam sint constitutiva rei, vel suæ essentiæ? alioqui manebit semper ratio constitutivi inexplicata, & tantùm obscurè nota per terminos, quorum notionem ipsamet ratio connstitutivi ingreditur. *2dò*. Saltem cùm res commodè explicari potest, quamvis etiam non omni definito sine recursu ad suppositionem impossibilem applicari posset, explicanda est satiùs citra suppositionem impossibilem, quàm cum illa. Atqui ratio constitutivi potest sic explicari ex mox dicendis. Ergo ita est explicanda.

52. Dicunt alii constitutivum definitivè esse *requisitum essentiale ad esse rei, se toto identicum rei*. Non dum omnino exactè. *imò*, quia binarius vg. ex DEO & creatura est requisitum essentiale ad esse creaturæ, hæc enim ex natura sua non potest per ullam potentiam esse sine isto binario; deinde iste binarius est quid creaturæ identicum, quia illi identificatur inadæquatè. Infero:

Erog

Ergo ſe toto eſt quid illi identicum. Si enim non ſe toto. Ergo vel ſecundùm entitatem DEI: & hoc eſt falſum, ſecundùm hanc enim entitatem à creatura adæquatè diſtinguitur; vel ſecundùm entitatem creaturæ: & ſecundùm hanc identificatur quidem creaturæ, ſed adæquatè, non inadæquatè. Ergo non reſtat, niſi ut binarius ille inadæquatè identicus creaturæ, ſit illi ſe toto identicus. Ergo eſt & requiſitum eſſentiale ad eſſe creaturæ, & ſe toto illi identicum, neq; tamen illius conſtitutivum. Ergo definitio data non convenit ſoli conſtitutivo. 2dò. In Divinis Paternitas imprimis eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe Filiationis, hæc enim eſſentialiter eſt connexa cum illa; deinde in ſententia probabiliore & communiore Paternitas non diſtinguitur realiter adæquatè à Filiatione ob eſſentiam Divinam, & ſpirationem activam utriq; communem identicè; identificatur ergo illi inadæquatè; identificatur nihilominus ſe tota realiter, eſt enim entitas indiviſibilis & ſimpliciſſima non continens in ſe partem & partem, rem & rem, aliam & aliam, neq; tamen Paternitas eſt conſtitutivum Filiationis, ut ferè omnes. Quare hanc ipſam definitionem unico termino compleo, &

53. Dico: Conſtitutivum definitivè eſt *requiſitum eſſentiale ad eſſe rei ſe toto & totaliter ex parte ſua identicum rei.* Terminus: *requiſitum eſſentiale ad eſſe rei*, ſignificat id, ſine quo res ex ſua ipſius natura vel ex natura prædicati in illa identicè contenti non poteſt eſſe per ullam omnino potentiam. Terminus: *totaliter*, ſignificat identita-

titatem requisiti, secundùm illud totum, & quodlibet, quod in se per identitatem continet. Terminus: *ex parte sua*, significat non requiri universaliter ad rationem constitutivi, ut identificetur constituto totaliter tam ex parte sua, quàm ex parte constituti; sufficit, quòd ex parte sua nihil identicè contineat, quod non identificetur constituto, quamvis constitutum non identificet illi, quidquid identicè continet. Ita binarius ille, de quo supra, quamvis sit requisitum essentiale ad esse creaturæ se toto identicum creaturæ, non tamen constituit creaturam, quia illi non identificatur totaliter ex parte sua, seu non quidquid in se per identitatem continet, illi identificat, continet enim per identitatem etiam entitatem DEI, quàm creaturæ non identificat. Ita rursus Paternitas in Divinis non constituit Filiationem, quamvis enim identificet illi essentiam & Spirationem activam, non tamem identificat generationem activam, quam in se identitatem continet.

54. Definitionis in eum modum explicatæ rectitudo probatur, ut solet, quia *imò* continet genus proximum in terminis: *requisitum essentiale ad esse rei* commune illi cum requisitis essentialiter ad esse rei, etiam non identicis rei. *2dò* differentiam contentam in terminis: *se toto & totaliter ex parte sua identicum*, quod convenit soli constitutivo. *3tiò* eam quoq; differentiam in rectè formabili categoria ultimam, ultra quam non sit necesse progredi ad ulteriorem, neq; ex subordinatis est assignabilis alia, illa prior,

quæ

quæ ad complendam definitionem sufficiat. *4tò* Si quæ aliæ sunt differentiæ constitutivi, vel ex contentis in definitione prædicatis promanant, vel illam re aut ratione præsupponunt. Est igitur per prædicata primò essentialia constitutivi, ultra quæ non oporteat quidquam aliud addere, quin sit superfluum. Deinde convenit omni constitutivo, cui enim non? soli, cui enim alteri, quod non sit constitutivum? semper, in omni enim casu & suppositione possibili atq; etiam impossibili seipsam immediatè & formaliter non tollente, quæ etiam antonomasticè tollens dicitur. Est etiam clarior suô definitô, saltem juncta, ut fieri solet, explicatione, & quamvis per ordinem ad identitatem explicetur, non ideo, ut objicit quidam Connotatista, est obscura, ratio enim identitatis supponitur aliunde nota, neq; definitionis claritas requirit, ut singuli ipsius termini sint notissimi, atq; ulteriùs explicari non debeant, cùm definitio clara equidem esse debeat, sed & succincta, ac res significatæ per definitivos terminos debeant suas quoq; habere definitiones. Adde quòd si terminus identitatis est obscurus, cur ergo idem ipsemet Connotatista usus est illo in explicatione constitutivi, dum ab initio sui de connotatis Compendii constitutivum inquit *est requisitum essentiale se toto (id est quidditativè) identificatum alii rei* &c. Eadem nostra definitio non præjudicat ulli sententiæ solidè probabili, cui enim? Deniq; non continet ullum vitium, cujus convinci possit. Ergo est recta.

55.

55. Constitutivum taliter definitum est aliud *Metaphysicum* aliud *Physicum*. Metaphysicum est requisitum essentiale ad esse quidditativum primò essentiale rei illi, non realiter tantùm, sed etiam per rationem se toto & totaliter ex parte sua identificatum, qualia sunt vg. hominis constitutiva, animal & rationale. Physicum est requisitum essentiale ad esse quidditativum reale, & prout in seipso est, eidem se toto & ex parte sua totaliter identificatum, qualia sunt compositi physici vg. substantialis constitutiva, materia 1ma, forma, & unio substantiales. Utrumq; aliud est *adæquatũ*, ultra quod non datur aliud constitutivum ejusdem rei, seu quod est requisitum essentiale &c. & ex parte sua, & ex parte constituti totaliter & mutuò illi identificatũ; aliud *inadæquatũ*, quod est requisitum totaliter tantùm ex parte sua, non item ex parte constituti identificatum rei. Idem inadæquatum constitutivum respectivè ad denominationes subdividi solet in *constitutivum ut quod*, estq; requisitum &c, habens se per modum subjecti in denominatione; & *constitutivum ut quo*, estq; requisitum &c habens se in constituta denominatione per modum formæ vel unionis, seu cujuscunq; applicationis, quia subjectum est id, quod in tali constituto denominatur, forma autem & unio, quô illud denominatur. Posset ulterius divisio continuari per differentias constitutivi desumibiles ex respectu ad diversa composita, ut aliud integrale, aliud essentiale, aliud totius substantialis, aliud accidentalis, aliud to-

tius

tius per ſe, aliud aggregati, & ſic de aliis, quæ in ratione conſtitutivi illi quaſi intrinſeca nullam habent varietatem, adeoq; nonniſi materialiter differunt.

56. Sunt ex Connotatiſtis, qui inſuper conſtitutivum dividunt in extrinſecum & intrinſecum. Unus diviſibilitatem probat ex paritate ſpecificativi, quod communiter dividitur in intrinſecum & extrinſecum. Alter in ſua Logica ponit *1mò* requiſitum eſſentiale eſſe, ſine quo res eſſe non poteſt etiam divinitus. *2dò* dividit tale requiſitum in conſtitutivum & connotatum; tum deinde conſtitutivum *inquit*, ut ſic eſt, quod ſtatuit rem in ſuo eſſe. Deniq; hoc, *inquit*, aliud eſt intrinſecum, quod per aliquid à ſe adæquatè diſtinctum ſtatuit rem in ſuo eſſe, ut architectus domum; aliud intrinſecum, quod per ſuam ipſius entitatem ſtatuit rem in ſuo eſſe. Reſpondeo *ad 1mum*. Si conſtitutivum ſumatur propriè, ſic dividi non poteſt, quia definitio conſtitutivi extrinſeco non convenit, ut patet ex applicatione ipſius; ſumptum impropriè, & definitum quoad quid nominis, ſcilicet per id, quod ſtatuit rem in ſuo eſſe, poſſet taliter dividi. Diviſio ſpecificativi in intrinſecum & extrinſecum eſt diviſio Analogi in Analogata, quorum unum eſt propriè ſpecificativum, ſcilicet intrinſecum, eſtq; definitivè conſtitutivum &c, differentiale rei, ſeu rem in ſua ſpecie conſtituens, & ab oppoſita ſpecie diſcriminans; aliud eſt improprie ſpecificativum ſcilicet extrinſecum, per quod intelligitur aliquid extrin-

extrin

extrinſecum rei, per ordinem ad quod explicatur differentia rei.

57. Reſpondeo *ad 2dum*. Diviſio non eſt recta, dividit enim requiſitum eſſentiale in conſtitutivum & connotatum. Ergo utrumq; ponit ſub genere requiſiti eſſentialis, adeoq; utrumq; ponit eſſe debere requiſitum eſſentiale. Cùm deinde dicit conſtitutivum ut ſic, eſſe quod ſtatuit rem in ſuo eſſe, deberet conſequenter de conſtitutivo diviſo requiſiti eſſentialis dicere, quòd ſit requiſitum eſſentiale ſtatuens rem in ſuo eſſe. Cùm iterum iſtud ſubdividit in intrinſecum & extrinſecum, etiam iſtud ſupponere deberet eſſe requiſitum eſſentiale. Jam iſtud non ſubſiſtit, conſtitutivum enim extrinſecum, quale intelligit, & ut illud definit, non quodlibet eſt requiſitum eſſentiale, ut illud ipſum, per quod exemplificat definitionem, ſcilicet architectus ſtatuens domum in ſuo eſſe. Ergo omnis architectus ſtatuens domum in ſuo eſſe deberet eſſe requiſitum eſſentiale ad eſſe domûs, quod eſt falſum, poteſt enim ſtatui domus, neq; tamen per hunc, qui illam actu ſtatuit, architectum. Ergo conſtitutivum extrinſecum & ſupponit eſſe requiſitum eſſentiale per mediatam iſtius diviſionem, & ſuppoſitum refutat per diviſionem exemplificativam extrinſeci conſtitutivi. Quodſi non attentâ vel correctâ, quam fecit, categoriâ, & in aliam mutatâ, requiſito eſſentiali non ſupponendo conſtitutivum ut ſic, nomine conſtitutivi ut ſic intelligeret id quod ſtatuit rem in ſuo eſſe, poſſet quidem ſubdividere conſtitutivum in intrin-

intrinſecum & extrinſecum, ſed conſtitutivum ut ſic taliter definitum non poteſt dici propriè conſtitutivum, aliàs omnis creaturæ DEUS diceretur in ſenſu proprio & ſine addito eſſe conſtitutivum, & quælibet cauſa etiam extrinſeca ſui effectus; quod hactenus nemo.

58. Sunt deinde aliqui ex Noſtris & Connotatiſtis, qui diviſionem Conſtitutivi in adæquatum & inadæquatum non probant, quatenus docent omne conſtitutivum eſſe debere inadæquatum, in quo de voce controvertunt, interea veriſimilius cenſeo, ut olim quoq; cenſui, conſtitutivum poſſe dari adæquatum. *imò* ex nullitate implicantiæ. *2dò* quia ſine ulla repugnantia poteſt illi data Conſtitutivi definitio convenire. *3tiò*: quia poſſibilitatem talis conſtitutivi ſupponere videntur Philoſophi & Theologi, qui in familiariſſimo uſu habent illas propoſitiones: *hæc aut illa res conſtituitur adæquatè* vg. ternarius tribus unitatibus; homo ſecundùm naturam materiâ primâ, anima rationali & unione; Sacramentum, materiâ proximâ, formâ & inſtitutione; & ſic de aliis.

59. Objiciunt oppoſiti *imò*. De ratione conſtitutivi eſt, ut rem cum alio conſtituat in eſſe rei, eſt enim conſtitutivum quaſi conſtatutivum, ſeu rei cum alio ſtatutivum. Ergo &c. Reſpondeo non ſemper ſyllaba *con* alteri verbo vel nomini annexa, aliiſq; ſyllabis antepoſita ſignificat idem, quod ly *cum alio*, ſeu conſortium alterius. Ita qui concidit in terram, non neceſſa-

riò cadit cum altero; qui condemnat, cum alio damnat; qui aliquid alteri, vg. DEUS homini gratiam confert, illam cum alio homini fert? Etiam hæc ipsa vox: *constituo*, similiter se habet, dicitur enim vg. Monarcha, Principem, Ducem &c. constituere; quamvis nullo alio in constitutionem Principis &c. veniente id faciat. Unde nego Antecedens. Nego insuper consequentiam, quamvis enim ex vi vocabuli constitutivum id esse deberet, non ideo ex natura rei esse id debet. Angelus ex vi vocabuli est nuntius, non tamen ex natura Angeli.

60. Objic. *2dò.* Implicat causa intrinseca adæquata. Ergo & Constitutivum adæquatum. Respondeo. Si argumentum procedit illativè nego consequentiam & suppositum, quòd omne constitutivum sit causa intrinseca, quia ab omnibus Theologis in Divinis & intra illa admittuntur constitutiva, nō item causæ intrinsecæ, quia nihil est vg causa essentiæ Divinæ, aut alterius Personæ Divinæ, causa enim ex conceptu suo est principiū dans esse alicui defectibile vel defectuosum in essendo, nihil autem tale reperias intra DEUM. Si verò procedit per meram paritatem, disparitas est, quia per causam intrinsecam ut sic intelligitur per Authores principium, quod se dat in entitatem alterius defectibilis in essendo, quod alterum non est, nisi totum. Si igitur dat se in entitatem alterius, quod alterum est totū, & dat se in entitatem adæquatam totius, totum & erit quid alterum à causa intrinseca, ut esse ex definitione debet, &

non

non erit alterum, quia causa intrinseca erit entitas adæquata totius, adeoq; ab illo indistincta. Nec idem, nec quidquam simile intelligitur per ly *constitutivum*, quod certè per respectum ad alterum non definitur communiter, & si definiretur ab aliquo, definitionem reprobaret usus ille loquendi communis Philosophis & Theologis, de quo inter rationes asserti. Negant aliqui etiam Antecedens, per ly *causa intrinseca* non intelligendo, ut solent Scotistæ docentes partes totius etiam collectivè sumptas esse causam intrinsecam totius formaliter accepti, quod tamen est distinctum adæquatè à partibus totius ex sententia eorundem, sed intelligendo præcisè id, quod se dat in entitatem alicujus defectibilis in essendo.

61. Objic. 3*tiò* Non datur pars adæquata totius. Ergo neq; constitutivum adæquatum. Respondeo *imò*. Nego consequentiam, non enim omne constitutivum etiam pars esse debet. 2*dò*. Nego etiam paritatem, quia omnis pars componit cum altero totum, totum non componit cum altero totum. Ergo totum nòn est pars. Ergo neq; pars est totum Ergo non adæquatur toti. Proprietas etiam partis est esse suo toto minorem, Ergo de ratione illius est non esse adæquatam toti, aliàs minor illo non esset. Jam de ratione constitutivi non est, cum altero totum componere, neq; ulla ipsius proprietas est, ut sit minus suo constituto, adeoq; illi inadæquatum.

62. Dices: omnia constitutiva totius sunt constitutivum adæquatum totius. Ergo eti-

am omnes partes totius, sunt pars adæquata totius. Respondeo transeat antecedens, verum de constitutivis omnibus collectivè, falsum de omnibus distributivè Nego consequentiam, ob rationem immediatè datam. Nego etiam paritatem, quia partes neq; distributivè omnes sunt pars adæquata totius, alias quælibet seorsim pars, esset pars adæquata totius, neq; collectivè omnes, quia collectivè omnes sunt ipsa collectio seu totum ex omnibus, quod totum non est pars totius, pars enim totius est minor toto, totum autem non est minus toto.

63. Objic. *4tò.* Nullum ens est requisitum essentiale ad se ipsum. Tum quia nullum est conditio *sine qua non* ad seipsum. Tum quia requisitum est, sine quo ob aliquam connexionem cum illo res esse non potest, nihil autem verè connectitur secum ipso. Sed constitutivum est requisitum essentiale ad esse rei. Ergo &c. Respondeo. Nego Majorem, imò nihil magis est requisitum ad esse rei, quàm ipsummet esse rei. *Ad 1mam rationem* dico. Conditio *sine qua non*, est aliquid tenens se ex parte actus primi proximi ad esse. Ergo aliquid naturâ antecedens esse rei. Ergo non potest esse res ipsa. *Ad 2dam* arbitrariè definitioni requisiti intruditur titulus connexionis, ut suppono realis & physicæ, sufficit metaphysica indistincta ab identitate adæquata rei secumipsa, estq; modus loquendi satis communis Philosophis, juxta quem dicere solent ad esse hominis requiri esse animal, requiri esse rationale;

ad

ad esse DEI, esse ens increatum, in essendo necessarium; ad esse connotati, ut sit requisitum ad esse rei, ut sit essentiale, ut sit distinctum realiter ab eo, cujus est connotatum; quæ omnia adæquatè identificantur homini, DEO, connotatis, & tamen requiri essentialiter sine ullo addito diminuente dicuntur.

64. Infertur. *imò* & definitionem constitutivi assignatam esse rectam atq; exactam, & divisionem illius in constitutivum adæquatum atq; inadæquatum, esse saltem probabiliter legitimam, quam etiam plures Connotatistæ talem esse non inficiantur. *2dò.* Constitutivum adæquatum non esse dicendum latiùs tale, cùm illi in omni proprietate conveniat ratio constitutivi definitiva, neq; est, quod illud ab ista proprietate dejiciat.

QUÆSTIO TERTIA

Quodnam per Connotatistas, & an rectè designatum indicium doctrinale constitutivi, & connotati?

65. JNdicium doctrinale constitutivi est proprietas illius, seu prædicatum illi soli conveniens, quod nobis aliunde notius esse potest, ex quo legitimè infertur id, cui convenit, esse constitutivum. Idem de indicio connotati.

Utrumq; *imo* est aliud convertibile cum eo, quod indicat, estq; quod omni & soli convenit: aliud incõverbitile, estq; id quod soli convenit, non tamen omni. Omni convenire vg. constitutivo non est indicium constitutivi, si non conveniat soli, poterit enim omni convenire constitutivo, & præterea rei, quæ non est constitutivum. Ergo ex illo non poterit de eo, cui convenit, inferri determinatè, quòd sit constitutivum, sicut ex animali nequit inferri, quòd sit rationale. Soli, quãvis non omni convenire, est esse indicium doctrinale, ex eo enim legitimè inferetur illud, cui convenit, esse constitutivum, aliàs & soli conveniret constitutivo, ut supponitur, & non soli, quia conveniret etiam illi, quod non est constitutivum. Non est igitur necessarium omnino, ut tale indicium, quod in præsenti quæritur, sit (ut volunt Connotatistæ, saltem aliqui) universale & convertibile cum constitutivo (pariter de connotato) quamvis, si tale protulerint isti Connotatistæ, ut promittunt, tantò magis erit universitati Philosophicæ & Theologicæ acceptandum. *2dò*. Idem indicium ratione actuum, per quos præcognoscendum est, antequam particulari subjecto applicetur, (omne enim indicium prævia sui cognitione ducit in cognitionem rei, cujus est indicium) aliud est complexum, aliud incomplexum. Incomplexum est illud ipsum prædicatum præcisè secundùm se & extra propositionem simplici actu cognitum. Complexum est idem prædicatum in propositione affirmativa, quæ illud habet

habet pro ſubjectō, ly autem *conſtitutivum* pro prædicato. Propoſitio talis eſt univerſalis, & habere debet vim principii vel per ſe & ex terminis certò ac evidenter vel probabiliſſimè noti, aut ſaltem, quod ex taliter notis ad minimùm probabiliſſimè deducitur: ex quo deinde, ut certò & evidenter aut probabiliſſimè noto, deducatur in particulari omne illud debere eſſe conſtitutivum, cuicunq; certò vel probabiliter, minùs, aut magis conſtiterit convenire ſubjectum talis principii.

66. Itaq; Connotatiſtæ pro indicio conſtitutivi doctrinali, &, ut ajunt univerſali, ac convertibili, pronunt *requiſitum eſſentiale rei, importatum in recto rei rectè explicatæ*; vel ut alii: *quod in conceptu vero quidditativo, ſeu definitivo rei venit in recto*; ſeu, ut alii: *id, quod eſt verè affirmabile de re, ſive ſe ſolo, ſive cum alio*; ſi ſe ſolo ſit affirmabile verè, indicium erit conſtitutivi adæquati; ſi verò nonniſi cum alio, indicium erit conſtitutivi inadæquati. Eſt ex illis, qui ſatiùs judicat dicendum: per *rectum*, quàm *in recto*, quia, inquit, res objectivæ non affirmantur in ipſo recto, ſed potiùs affirmantur per rectum. Scrupulus eſt, cujus ſolutio majorem ſcrupulum cauſat, res enim non per rectum affirmantur, ſed per copulam, per formam enim affirmandi affirmantur, non per id, quod affirmatur. Atqui copula eſt forma affirmandi, rectum autem eſt nonniſi, quod affirmatur. Ergo per copulam affirmantur res objectivæ, non per rectum. Ex his propoſitiones: *Omne & ſolum quod in conceptu rei verè quiddita-*

tivo, aut rei legitimè explicatæ venit, seu importatur in recto, est constitutivum rei. Item: *omne & solum, quod est verè affirmabile de re, est constitutivum rei,* erunt ex sensu Connotatistarum principia, ex quibus legitimè inferetur, quòd hæc quidem sunt constitutiva, alia non sint constitutiva rei; atq; tali ratione in assignato indicio superfluit illud: *requisitum essentiale,* hoc enim ipso, quod aliquid vel affirmabile sit in recto de aliqua re, vel veniat in illius quidditativo conceptu, cùm juxta ratiocinationes Connotatistarum esse debeat rei identicum, est requisitum essentiale.

67. Jam indicium connotati antonomasticè talis ajunt esse *requisitum essentiale rei importatum purè in obliquo rei legitimè vel quidditativè verè explicatæ.* Est qui mavult dicere: *requisitum essentiale rei, non importatum in recto ejusdem rei &c.* nam DEUS, *inquit*, respectu Petri, binarius item ex DEO & anima Petri, sunt connotata Petri, neq; tamen in conceptu illius importantur etiam in obliquo, quia in hac absoluta denominatione Petri: *Petrus*, neq; in recto, neq; in obliquo exprimuntur. Sed si per ly *non exprimuntur*, intelligit *non cognoscuntur clarè, expressivè, explicitè, condistinctis & condistinctivis terminis*, sic nec ipsa constitutiva Petri in hac denominatione: *Petrus*, exprimuntur in recto, adeoq; illa erunt connotata. Si autem per ly *non exprimuntur*, intelligit, quòd nullatenus cognoscantur etiam implicitè, istud non subsistit. Nam cùm ly *Petrus* sit individui completi denominatio, omnia

in

in illo prædicata formaliter etiam ex parte actûs implicitè cognoſcuntur, ſub quibus in prædicamento collocatur, exprimitur conſequenter ſubſtantia prædicamentalis, adeoq; creata juxta illud: *entia per ſeſe, finita &c.* corpus, vivens, animal, homo, ac tandem Petreitas, in quibus implicitè etiam DEUS cognoſcitur, cùm ſit connotatum immediatum ſubſtantiæ creatæ, ut proinde ſic cognoſcatur in omnibus conſequentibus, quæ tranſcenduntur à ſubſtantia creata, ut ſunt corpus, vivens, animal, homo &c. Non eſt igitur, ob quod velit videri in hac re inter Connotatiſtas ſingularis, niſi aliam adferat rationem. Ex his ſenſu Connotatiſtarum hæc propoſitio: *omne & ſolum, quod eſt requiſitum eſſentiale rei, & importatur purè in obliquo rei.* vel *& non importatur in recto rei, eſt connotatum antonomaſticè tale*, erit principium ad colligendum, quòd iſtud quidem requiſitum ſit connotatum rei, aliud verò non ſit &c.

68. Pro majori intelligentia utriusq; indicii aſſignati *1mò* ponunt Connotatiſtæ ſe per rectum formale intelligere caſum vocis nominativum, per objectivum rectum id quod per caſum vocis nominativum exprimitur. *2dò* ſe per rectum intelligere rectum Philoſophicum, non grammaticale, de quo 1. Diſp. num. 47. & 48. *3tiò.* adverti volunt ad id: *purè in obliquo*; non erit enim, *inquiunt*, connotatum, ſi veniat quidem in obliquo, ſed ſimul veniat etiam in recto, atq; ita in hac propoſitione: *homo eſt conſtitutus corpore & anima*, corpus, *inquiunt*, & anima non ſunt connotata,

quam-

quamvis veniant in obliquo, quia in recta explicatione subjecti veniunt etiam in recto illius. *4tò*. Advertunt, signanter se dicere, in conceptu rei *rectè* explicatæ: in conceptu *verè* quidditativo, item quod est *verè* affirmabile, si enim, *inquiunt*, res non esset rectè explicata, verè quidditativè concepta, verè affirmabilis, fieri posset, ut in recto importaretur vel affirmaretur, etiam quod non est constitutivum rei, vel purè in obliquo, quod non est connotatum rei. Cæterum plura fuisse explicanda patebit ex mox dicendis, atq; ideo

69. Dico *imò*. Indicium seu constitutivi seu connotati à Connotatistis positum non est convenienter, & cum sufficienti explicatione ab illis ptopositum. *imò*, quia cùm res ista sit planè Metaphysica, attinens ipsas rerum metaphysicas, vel physicas essentias, in proponendo constitutivi vel connotati doctrinali indicio, qua de causa placuit adeo grammaticari? quorsum iste recursus ad casus grammaticos nominativos & obliquos? in re independente ab hominum placito, ad vocum declinationes & modos loquendi dependentes omnino ab illorum placito? in re disputabili in quocunq; demum idiomate, ad recta & obliqua, quæ fortassis (quis enim callet omnia?) non omnibus linguis sunt communia? in ipso Latino idiomate pleraq; recto carent, quamvis denominativè affirmentur: *hic homo est nihili, flocci, teruntii* &c. pleraq; nullum casum habent, ut *quatuor, quinq́, sex, &c.* Relege dicta Disp. 1. à num. 47.

70.

70. 2dò. Cùm dicitur indicium esse constitutivi importabile *in recto*; connotati, *in obliquo*, non est ratio, cur potiùs in explicatione recti Connotatistæ velint intelligi rectum philosophicum, quam grammaticale. Sic & obliquum. Ly *animal* simpliciter & sine addito prolatum nō satiùs explicueris per animal rationale, quàm irrationale, & sic de aliis. Ergo & ly *rectum* simpliciter & sine addito positum, non satiùs explicandum erat per rectum philosophicum, quàm grammaticale, imò satiùs per hoc, quàm illud, si enim semel in explicatione dictum est, quòd per rectum formale intelligatur casus nominativus, ut est dictum, dici deinceps convenienter non potuit, quòd per rectum non intelligatur rectum grammaticale; quod enim grammaticalius rectum, quàm casus nominativus? Rursus de isto philosophico recto relege dicta Disp. 1. num. 48. ac sequentibus; & ad confirmationem adde. Si quis diceret: *homo est animal, quod est rationale*, quia rationale ponitur penes copulam non principalem ut tu dicis, ideone illud negabis esse rectum philosophicum? sicut & in hac propositione: *Petrus est homo albus, qui etiam est currens*, an non tam bene ly *currens* ponetur penes copulam revera principalem, quamvis tu inficieris, atq; ly *albus*? &c.

71. 3tiò. Cùm dicitur: *in conceptu rei rectè explicatæ*, rursus *in conceptu verè quidditativo*, quorsum ad rectas explicationes & conceptus quidditativos, atq; ex qua ratione recurritur, si

tan-

tantùm de recto agitur? cur non sufficeret dicere: quod in vocabulo vel nomine rei significativo significatur in casu nominativo, sive extra, sive intra conceptum explicativum aut quidditativum? Certè etiam in tali vocabulo vg. *album*, solum subjectum albedinis, in nominativo casu, seu in recto significatur & nominatur; albedo quamvis significetur, in recto non significatur, neq; enim album est nominativus casus albedinis, sed albi; istud nominat, non illam: connaturaliter quod ponitur in conceptu & vocabulo simplici ac nondum evoluto in casu nominativo, istud quoq; in eodem casu ponitur in conceptu quidditativo explicativo, neq; te plus de hac re docebit simplicis vocabuli explicatio, quàm ipsum vocabulum simpliciter prolatum. 2dò ly *animal rationale*, sive utramq; vocem in recto ponas, sive utramq; in obliquo, tamen ponis orationem explicativam hominis, per suum genus & differentiam. Ergo sive in obliquo, sive in recto animal, & rationale posueris, conceptum rectè explicativũ & quidditativum hominis obtinebis, quamvis si in obliquo posueris, nihil pones in recto. 3tiò recta explicatio non tantùm illa est, quæ est definitiva, sed quomodolibet citra difformitatem cum re explicãda illius descriptiva; est itaq; terminus iste generalis cōmunis explicationi definitivæ & non definitivæ Cùm igitur dicis: *in conceptu rei rectè explicatæ*, non potiùs unam explicationis speciem, quàm alteram determinas, fieri autem potest, ut res per mera sua accidentia & collectionem illorum describatur,

tur, in recto nullo alio termino posito præter terminum transcendentalem, aut etiam supertranscendentalem, *id quod*, *aliquid*, *ens quod*. Quid igitur ex recto talis termini intelliges, quod te edoceat de constitutivo vel constitutivis rei descriptæ?

72. Pariter declarandum fuisset, quid intelligi debeat in asserto indicio per conceptum verè quidditativum rei; conceptusne quidditativus metaphysicè, seu quidditatem metaphysicam exprimens, an quidditativus physicè. Si primum: ex recto ipsius poterit fortassis intelligi de constitutivo metaphysico rei, sed non ideo de physico constitutivo, aut etiam connotato. Certè de constitutivis metaphysicis denominationum, aut nulla, aut vix aliqua est controversia inter Nostros, & Connotatistas: potissimum de physicis constitutivis & connotatis controvertitur, de quibus ex constitutivis metaphysicis rarò plenè & exactè possumus informari. Stante conceptu quidditativo metaphysico hominis: *animal rationale*, quomodo inferes unionem corporis humani cum anima esse hominis constitutivam, vel non? Si secundum: sola positio alicujus requisiti essentialis ad rem in recto, non certificat de re, quòd sit constitutivum, sicut & positio in obliquo, quòd sit connotatum, nam ut tu sine difficultate dices hominem physicè quidditativè esse corpus & animam rationalem habentia unionem, pari facilitate cæteri dicemus esse corpus, animam, & unionem.

73. *4to*. Per affirmabile in recto vel intel-

intelligitur affirmabile in recto de re, sive hæc ipsa per terminum simplicem in obliquo, sive in recto ponatur, & falsum est intra leges grammaticas Latini idiomatis posse de re posita in obliquo immediatè aliquid affirmari in recto; vel intelligitur affirmabile dé re tantummodo in recto posita. Ergo supplendum erat in indicio vel ipsius explicatione: *affirmabile in recto de re posita in recto*; & ubi istud appositum fuerit, quid quæso erit indicii, quod illa res sit denominationis constitutivum vel connotatum? nam si & connotatum ponas in recto, de connotato poteris aliquid affirmare in recto: atq; si constitutivum ponas in purè obliquo, poteris illud affirmare in purè obliquo. Præterea idem affirmabile in recto vel erit indicium constitutivi, in quacunq; demum propositione salva illius veritate affirmaveris de re aliquid in recto, vel nonnisi in aliqua certa certæ speciei propositione? Si 1mum: in propositione affirmativa ex parte prædicati disjunctiva, poterunt multa de re affirmari in recto, quæ ipsius constitutiva non sunt, quamvis essent essentialia requisita, salva veritate affirmationis. Si 2dum: istud quidem per expressum fuerat apponendum, alioqui indicium defectuosum obtruditur.

74. 5tò. Cùm ly *non purè in obliquo*, exemplificatur in hac propositione: *homo est compositum ex corpore & anima rationali unitis*, affirmatur corpus & animam venire non purè in obliquo, quia, ut dicitur, etiam importantur in recto in hac voce: *compositum*, sed unde istud probatur? incer-

tum

tum omnino eſt & probabiliùs oppoſitum eſt, ut habes Diſp. 1. num. 56. Unde iterum, quòd unio quoq; veniat purè in obliquo, cùm nullum diſcrimen inter corpus, animam, & ipſam quoq; unionem appareat? Unde præterea, quòd veniant etiam in recto corpus ac anima, & non ſolùm corpus, anima rationali animatum? id certè videntur ſupponere Philoſophi cum Porphyrio, ut patet ex arbore Porphyriana prædicamenti ſubſtantiæ categoriã referete, ubi corpus, *inquit*, aliud animatũ aliud inanimatum, ex qua differentia, ſcilicet *animatũ* proximi generis ſimul diviſiva & conſtitutiva reſultat in linea recta: *vivens*, ſub quo in directa linea deinde compoſitum ponitur, quod eſt animal, & ſub hoc ipſo compoſitum, quod eſt homo.

75. *6ò* Cùm pro indicio conſtitutivi inadæquati ponitur, quod ſit affirmabile in recto cum alio. ly *cum alio* eſt ſignificationis ambiguæ, nam ſumi poteſt vel connotativè, ſeu cum alio in purè obliquo, & hoc certè non eſſet indicium conſtitutivi; vel ſumi poteſt conſtitutivè, ſeu modo proprio conſtitutivi, ſeu cũ alio itidem in recto, & debuerat exprimi ac ſuppleri, ly enim *cum alio* ſimpliciter prolatum æquè idoneum eſt primum ſignificare ac alterum. Sed neq; iſtud etiam determinatum & expreſſum ſufficeret, nam ſi de ternario ex A. B. C. affirmares A. in recto cum B in recto, C. autem in obliquo, nondum veram affirmationem poneres, ut enim falſum eſt dicere: ternarius ex A.B.C. eſt A, ita falſum eſt dicere: eſt A.B. cùm ſicut inter ternariũ & A. ita inter eundem

dem ternarium, & A.B. non detur identitas adæquata. Debuit igitur addi ad ſupplementum indicii *cum alio vel aliis omnibus pariter affirmandis in recto* Quanquam etiam iſtud non ſubſiſtere patet ex dictis Diſp. 1 & mox dicendis.

76. Deniq; iſta duo: primum, *in conceptu quidditativo venire in recto, aut venire in recto rei rectè explicatæ*, & alterum: *eſſe de re verè affirmabile in recto* vel adſtruuntur pro duplici indicio conſtitutivi, neutro dependente ab altero, vel pro duplici, uno ad intentum conſequendum, ſcilicet primo (ut fortè ita eſt ex ſenſu Connotatiſtarum) in virtute ſecundi valente Non primum; quia primum illud indiciū nullibi à Connotatiſtis probatur, & certum videtur animalitatem & rationalitatem eſſe metaphyſica hominis conſtitutiva, quamvis in recto non veniant, ſed purè in obliquo, nam ly *animal rationale* eſt formaliſſimè habens animalitatem & rationalitatem. Non 2dum, quia tali ratione 1mum eſſet prorſus ſupervacaneum, & inutile ad finem intentum.

77. Dico 2dò Idem indicium conſtitutivi prout à Cōnotatiſtis propoſitū & expoſitum, non eſt doctrinale. Ratio eſt, quia indicium rei doctrinale eſt, quod omnibus Philoſophiæ capacibus poſſit inſervire ad inveſtigandum in quacunq; materia, quodnam ſit rei, & quod non ſit conſtitutivum, atq; ad iſtud primò comperiendum & obtinendum per tale indicium, non præſuppoſita re comperta per alia indicia, alioqui ſatiùs & conſultiùs eſſet pro indiciis doctrinalibus alia præ-

via

via assignare, quàm istud, quod nonnisi rem compertam indicat, & actum agit. Sed indicium constitutivi prout &c. nullam ex his conditionibus habet. Ergo non est doctrinale.

78. Prima pars Minoris probatur, quia multi ex Philosophis sunt, qui negant ex una parte definitiones, explicationes quidditativas, affirmationes vocales, esse propriè definitiones, affirmationes &c. ex altera parte in conceptibus nostris dari casus rectos aut obliquos; quid igitur isti pro indicio constitutivi sunt habituri? qui ajunt posse Logicam & alias Philosophiæ partes perfectissimè sciri sine vocibus & illarum attributis grammaticis ab homine vg. muto, & surdo, adeoq; prorsus ignaro vocum & casuum rectorum, & obliquorum. Insuper casu quo philosophandum esset idiomate carente rectis & obliquis, vg. si ipsum Latinum idioma ita fuisset institutum, ut sicut nunc aliqua in hoc idiomate habent rectos, non obliquos, alia obliquos, non rectos casus, ita omnia haberent tantummodo rectos, vel tantùm obliquos, vel neq; rectos, neq; obliquos, quo indicio constitutivum à non constitutivo discerneretur? quid si universaliter idioma Latinũ haberet eandem vim per obliquum vel rectum, æquali omnino modo affirmandi de subjecto rem illi identificatam, sicut defacto particulariter in aliquibus loquendi modis habet tam Latinum, quàm Polonicum idioma. ut jam suprà exemplificatum Disp. 1. num. 68. in ipso Latino idiomate, quo philosophari consuevimus, quo indicio

constitutiva investigaremus? Angelis vel animabus separatis vg. infantûm, an fortè in istis rebus, quarum constitutiva per discursus venantur, erit ad nominativos vel obliquos casus recurrendum? Non igitur datum indicium est, quod omnibus Philosophis inservire possit &c. quæ erat prima pars Minoris.

79. 2da pars ejusdem Minoris probatur. nam in multis materiis, de ipsis conceptibus quidditativis, explicationibus, consequenter affirmationibus inter Authores dubitatur, quænam ex requisitis in recto possint vel debeant importari quæ in obliquo? In concreto vg. denominativo Cōnotatistæ volunt & subjectū, & formam importari in recto; Toletus, Conimbricenses, & alii cōmunissimè Antiquiores, uno fermè excepto Occham, volunt in eodem importari formam in recto, subjectum in obliquo. Recentiores in concreto denominativo substantiali & substantivo, subjectum, formam, & unionem in recto, in accidentali seu adjectivo, seu substantivo, & substantiali adjectivo, subjectum in recto, formam & unionem in obliquo. Quæ igitur in occurrentia talis materiæ erit regula ad colligendum, quòd istud quidem in recto, adeoq; per Connotatistas constitutivum, aliud non in recto sit ponendum, adeoq; sit connotatum? Non ergo pro investigando in quacunq; demum materia constitutivo vel connotato satis provisum est per indicium Connotatisticum; quæ fuit pars 2da Minoris.

80. 3tia pars probatur, quia hoc ipsū indi-

indicium debet aliud ante se præsupponere, in ipsa praxi & prudenti ac philosophica investigatione constitutivi vel connotati, intellectus enim prudens & philosophari volens, non debet quidquam in conceptu quidditativo rei ponere in recto, aut de illa affirmare in recto, vel ponendum aut affirmandum judicare quidquam prius, quàm præsciat illud esse tali modo in conceptu explicativo ponibile, & in propositione affirmabile. Atqui hoc ipsum scire non potest prius, quàm sciat illud esse identificatum rei, & quidē per Coñotatistas adæquatè, & hoc ipsum non potest antè prudenter decernere, quàm habeat rationem & indicium, quod illi notificet & suadeat, illud esse requisitum essentiale, adæquatè identificatum rei, alioqui temerè & cæco modo procedet. Ergo debet prius prænoscere illud esse constitutivum rei, quàm illud affirmare in recto, in conceptu quidditativo ponere in recto. Ergo si per ponibilitatem in recto conceptus quidditativi affirmabilitatem in recto, investigaret constitutivum, actum ageret, rem jam aliunde notam & inventam adhuc inquireret.

81. Firmatur. Non ideo aliquid identificatur rei, quia est affirmabile de re in recto, sed satiùs ideo est affirmabile, quia illi est identificatum, & ideo proximè affirmabile, quia ex aliis principiis & motivis præscitur esse identicum rei Ergo indicium ex affirmabilitate petitum, jam subsequitur aliunde præcognitum, quòd hæc vel illa res sit constitutivum. Ergo per illud in-

dicium non deprehenditur iſtud, ſed ad ſummum jam deprehenſum approbatur. Adde, quòd ad intelligendum ex illo indicio, num aliquid ſit conſtitutivum inadæquatũ rei vel non, neceſſe eſſet pro priori omnia rei conſtitutiva prænoſcere, cùm enim iſtud conſtitutivum non ſit per Connotatiſtas ſe ſolo, ſed nonniſi cum alio affirmabile in recto, atq; etiam neq; cum alio, ſi ultra unum & aliud reſtet tertium, & abſolutè loquendo, donec omnia præcognoſcantur eſſe pariter in recto affirmabilia, neceſſe erit priùs inveſtigare, an & quæ & ob quam rationem ſint affirmabilia, & deinde, quòd plura non ſint. Ergo pro priori ex aliis indiciis comperienda erunt, hæc quidem eſſe affirmabilia, alia verò non &c. Quo verò indicio? Si aſſignabile erit, erit certè aſſignato per Connotatiſtas præferendum.

82. Dico 3tiò: Idem ipſum indicium conſtitutivi propoſitum & expoſitum à Connotatiſtis non eſt univerſale, & convertibile cum conſtitutivo, ut aliàs volunt Connotatiſtæ. Ratio eſt, quia indicium univerſale & convertibile cum conſtitutivo, convenit & omni & ſoli conſtitutivo. Atqui indicium Connotatiſticum conſtitutivi, nec omni conſtitutivo convenit, nec ſoli. Ergo &c. Minoris 1ma pars

83. Probatur 1mò. Quod nulli convenit conſtitutivo phyſico certò tali, non convenit omni conſtitutivo. Sed indicium Connotatiſticum nulli convenit conſtitutivo phyſico certò tali. Ergo &c. Minor probatur. Quod convenit conſtitutivo

phy-

physico certò tali, convenit constitutivo inadæquato physico, istud enim solum est certò tale; adæquatum non est certò tale, cùm alii negent illud esse constitutivum, idq; probabiliter. Sed indicium constitutivi Connotatisticum non convenit ulli constitutivo inadæquato physico. Ergo &c. Minor probatur. Esse verè affirmabile in recto de re, nulli convenit constitutivo inadæquato physico. Sed indicium constitutivi Connotatisticum est esse verè affirmabile in recto de re. Ergo &c Major probatur. Nullum constitutivum inadæquatum physicum est verè affirmabile in recto de re constituta. Ergo &c. Consequentia liquet. Antecedens probatur *imò* inductione. Totum est sua pars; compositum physicum ex materia ıma & forma, est materia ıma; homo est anima rationalis; sunt propositiones, in quibus nec verè affirmatur, nec verè affirmari potest in recto de subjecto uniuscujusq; suum prædicatum, ut Adversarii ultro fatentur, & constat *imò* ex syllogismis sequentibus, contradictorias illarum esse veras, & necessariò esse veras. Omnis pars est minor suo toto. Nullum totum est minus eodem toto. Ergo nullum totum est sua pars. Item materia prima non constituitur suâ physicâ formâ. Compositum ex materia prima & forma physica, constituitur suâ formâ physicâ. Ergo compositum physicum &c. non est materia prima. Item anima rationalis est substantia purè spiritualis. Homo non est substantia purè spiritualis. Ergo homo non est anima rationalis. Constat *2dò* ex principio Conno-

tatistarum in hac materia. Ad propositionis affirmativæ (adde: non disjunctivæ) requiritur identitas adæquata recti objectivi subjecti, cum recto tobjectivo prædicati Atqui omnes illæ propositiones sunt affirmativæ, ut patet, neq; etiam sunt disjunctivæ, ut interim supponamus, vel si dubitaveris, adde singulis syncategorema singularizans vg. hoc totum est hæc sua pars vg. pars A. & sic de aliis. Ergo ad illarum veritatem requiritur identitas adæquata inter rectum objectivum sui subjecti, & rectum objectivum sui prædicati. Sed talis identitas in prædictis propositionibus non datur, neq; dari potest, ut inter totum & suam partem, hominem & animam rationalem, ut est evidens, & alias prædicata objectiva subjectorum objectivorum, nulla essent inadæquata, sed omnia & singula sui subjecti adæquata constitutiva. Ergo quod requiritur ad veritatem dictarum propositionum, neq; datur neq; dari potest, adeoq; illæ neq; habent, neq; habere possunt veritatem, consequenter neq; sunt, neq; veræ esse possunt. Confirmatur. Tantùm illi convenit esse verè affirmabile in recto de re constituta, cui istud convenire probat sua & unica ratio. Sed hæc probat soli constitutivo adæquato illud convenire, cùm identitas adæquata non detur, nisi inter adæquatum constitutivum, & rem constitutam. Ergo soli constitutivo adæquato convenit illud indicium.

84 Respondent: nullum quidem constitutivum inadæquatum esse se solo affirmabile in recto de suo constituto, sed affirmabile esse

cum

cum alio. Contra *imò*. Nullum constitutivum inadæquatum est se solo affirmabile in recto de suo constituto. Ergo nullum constitutivum inadæquatum, est se solo constitutivum sui constituti. Atqui maximè per Connotatistas non aliter est constitutivum inadæquatum constituti, quàm se solo; constituit enim totum inadæquatè per suã solius entitatẽ, nõ per reliquas compartes, alioqui per illationes Connotatistarum esset constitutivum adæquatum, esset æquale toti, & denominatio constitutivi non esset illi adæquatè identificata. Ergo &c. Contra *2dò*. Nullum constitutivum inadæquatum physicum, etiam cum alio in recto, est verè affirmabile in recto de suo physico constituto; vel enim cum aliis distributivè in recto, vel cum aliis collectivè esset affirmabile in recto. Si cum aliis distributivè; tunc vera esset propositio: *totum est omnis, seu quælibet sua pars*, hunc enim sensum faciunt partes distributivè sumptæ. Atqui istud est falsum, aliàs veræ essent istæ propositiones exponentes: *totum est hæc pars & idem totum est hæc alia pars, & sic de aliis*. Si verò cum aliis in recto collectivè, vg. *homo est anima & corpus collectivè*; atq; ita non affirmabitur constitutivum inadæquatum de homine in recto, sed ipsummet compositum, seu collectio ex corpore & anima, quod erit affirmari de homine, non inadæquatum, sed adæquatum constitutivum illius. Contra *3tiò*. Constitutivum sumptum cum aliis in recto, est constitutivum adæquatum totius; sumptum enim cum aliis adæquat

totum, eſt ipſi æquale, eſt illi adæquatè identificatum, alioqui taliter ſumptum non poſſet verè de toto affirmari in recto, quia non haberet identitatem adæquatam, ſui, & ſuarum compartium recti cum recto totius. Adde quòd ly *cum alio* aliquid commune ſit ad ly *cum alio*, ut connotato, & ad ly *cum alio* ut conſtitutivo. Jam quod ſe ſolo non eſt affirmabile in recto de aliquo, neq; erit affirmabile cum connotato. Fiet inſuper ut conſtitutivum affirmabile non ſit, niſi ut connotans, quod eſſe falſum patet ex obvia inductione. Si deinde cum alio ut conſtitutivo, fiet ut per indicium conſtitutivi, non priùs intelligi poſſit de uno, quàm de omnibus conſtitutivis.

85. Probatur *2dò* eadem prima pars Minoris. Si omne conſtitutivum vg. totius, deberet eſſe affirmabile in recto vel ſe ſolo vel cum alio de toto, tunc etiam totum, de quocunq; vel ſolo vel cum alio conſtitutivum in recto eſt affirmabile, deberet eſſe illius conſtitutivum; ſi enim (quod unicum fundamentum eſt indicii per Connotatiſtas aſſignati) ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiritur identitas adæquata recti ſubjecti cum recto prædicati, etiam requiritur identitas adæquata recti prædicati cum recto ſubjecti, iſtud enim quaſi principium non procedit de identitate adæquata ſecundùm quid, ſeu præcisè ex parte ſua, (aliàs poſſet ſimpliciter & abſolutè de toto affirmari ſua pars etiam ſe ſola, cùm toti identificetur adæquatè ſecundùm quid, ex parte ſua, tota & totaliter) ſed de identitate ſimpliciter

ter

ter adæquata, quæ eſſentialiter eſt mutua, adeoq́; cùm ad veram affirmationem requiratur identitas realiter adæquata recti prædicati cum recto ſubjecti, requiritur etiam identitas adæquata recti ſubjecti cum recto prædicati Ergo ulterius ſicut indicium conſtitutivi eſt eſſe de aliqua re, vg. de toto, ſe ſolo vel cum alio verè affirmabile, erit etiam indicium ejusdem conſtitutivi eſſe conſtituto vel toti, ſe ſolo, vel cum alio verè ſubjicibile in recto Porro id à Connotatiſtis admitti nequit, quia *1mò* hoc ſemel admiſſo, argumenta Connotatiſtarum pro connotatis potiori parte vim ſuam ſunt amiſſura. *2dò* quia quod illi pro abſurdo habent, totum tali ratione eſſet conſtitutivum ſuæ partis, quælibet enim pars in affirmatione, ſaltem cum alia, eſt verè ſubjicibilis toti. Ergo conſequenter totum de ſua parte ſola vel cum aliis in recto erit affirmabile in recto. *3tiò* quia connotatum, quod illi ſemiextrinſecum vocant, eſſet revera non connotatum, ſed conſtitutivum. *4tò* quia quælibet ferè res eſſet alterius rei conſtitutivum, vg. Petrus albedinis, & è contra; quamvis enim Petrus non ſit ſe ſolo verè in affirmatione ſubjicibilis albedini, etiam ſe ſola affirmatæ, Petrus tamen cum albedine verè eſt ſubjicibilis in affirmatione albedini cum Petro affirmandæ, ut fit in hac: *Petrus & albedo ſunt Petrus & albedo.* Ergo &c.

86. 2da pars Minoris poſitæ num. 82. probatur, quia affirmabile eſſe in recto de aliquo, non eſt hoc ipſo eſſe conſtitutivum. Ergo eſſe tali-

taliter affirmabile non convenit soli constitutivo. Antecedens probatur. 1*mò*. Dantur propositiones affirmativæ & veræ, in quibus affirmatur in recto de subjecto, quod illi nullo modo identificatur, adeoq; illud neq; constituit. Talis est propositio, quæ non tantùm vera, sed etiam pro principio physico à pluribus Philosophis habetur: *corruptio unius est generatio alterius*, & hæc: *generatio unius est corruptio alterius*, cùm tamen neq; generatio corruptioni, neq; corruptio generationi ullo modo identificetur.

87. 2*dò* definitiones causales, seu per causam, verè affirmabiles sunt in recto de suis definitis & è contra, usitanturq; pro veris etiam in Mathesi, quales sunt: *eclipsis solis est interpositio lunæ inter solem & terram*; *eclipsis lunæ est interpositio terræ inter solem & lunam*, & tamen constat prædictas interpositiones, nullatenus esse identicè ipsam formalem eclipsim, sed tantùm causaliter. Neq; obstat, si dixeris generationem unius tantùm concomitanter esse corruptionem alterius, & è contra; interpositionem &c, tantùm causaliter esse eclipsim. Nam exinde infero. Ergo copula affirmativa: *est*, non necessariò & determinatè significat identitatem recti cum recto, sed significare potest etiam meram concomitantiam recti ad rectum, vel causalitatem recti in rectum, adeoq; ex affirmatione eaq; vera, non potest universaliter inferri identitas recti cum recto, & consequenter recti per rectum constitutio.

88. 3*tio*. Ex doctrina noviorum Con-

nota-

notatistarum de Petro albo in casu solius ablatæ albedinis verum est, Petrum album perire. Ergo verum est Petrum album in eodem casu esse id, quod perit, neq; tamen verum est, id quod perit ad ablationem solius albedinis, identificari adæquate vg. Petro, & esse Petrum, cùm verè Petrus non pereat. Neq; iterum obstat dicere: quòd tunc ratione solius albedinis Petrus albus pereat, quia tali ratione jam enervatur indicium illud constitutivi convertibile cum constitutivo, quia poterit fieri, ut aliquid ratione alterius affirmabile verè sit de aliquo in recto, & tamen neq; ratione sui, neq; ratione alterius sit illius constitutivum.

89. 4*tò*. Potest aliquid verè se solo affirmari de aliquo, quamvis non sit constitutivum adæquatum illius. Ergo etiam potest simpliciter aliquid esse affirmabile verè de alio, quamvis simpliciter non sit constitutivum illius. Antecedens probatur. Potest aliquid distinctum realiter connotativè se solo affirmari de alio, idq; in rectō vg. de Petro secundùm se, quod Petrus sit Petrus albus, vel de Petro albo, quòd sit Petrus, à Petro enim secundùm se per Connotatistas distinguitur realiter connotativè Petrus albus. Ergo etiam distinctum inadæquatè realiter potest de recto subjecti, à quo realiter inadæquatè distinguitur, verè affirmari in recto se solo, quamvis non sit constitutivum illius adæquatum.

90. 5*tò*. In Divinis de qualibet Persona Divina affirmabilis est in recto quævis Persona, imò & tota Trinitas, saltem in hunc modum: *Pater est id, quod Filius. Pater est id, quod Trinitas. Trinitas*

nitas est id, quod Pater; quamvis Filius non sit constitutivum Patris, nec Filii Trinitas, neq; Pater sit adæquatum constitutivum Trinitatis, cùm tamen in eundem ferè modum prædicari de Petro possit, scilicet *Petrus est id, quod est album*; imò sic ferè debeat, cùm ly *albus* ut terminus u-universalis prædicatur de Petro vg. *Petrus est albus*, tunc enim rectum prædicati ob indeterminationem sui ex parte prædicati recti, non potest aliter explicari, nisi modo prædicto: *Petrus est id, quod est album*, vel *Petrus est aliquid, quod est album.*

91. Dico *4tò.* Etiam indicium connotati antonomasticè talis per Connotatistas assertum non est universale & convertibile, Probatur *imò* contra Connotatistas, qui ad illud: *affirmabile in recto*, non addunt: *in propositione non disjunctiva*; quia etiam connotatum in propositione disjunctiva est in recto affirmabile de connotante, salva veritate propositionis, ut si dicas: *Petrus albus est vel Petrus vel albedo vel utrumq;.*

92. *2dò.* Connotatum semiextrinsecum potest verè affirmari in recto de suo connotante per copulam: *est*, modificatam termino: *inadæquatè*; *vg. pars totius inadæquatè est totum.*

93. *3tiò.* Huc faciunt propositiones, de quibus hìc num. 86 & 87. nam generationis unius non est constitutivum, sed ad summum merum connotatum, corruptio alterius. Sic etiam interpositio lunæ vel terræ est connotatum non constitutivum eclipseos solis vel lunæ.

94. *4tò.* Non eſt de ratione conſtitutivi, ut veniat purè in recto, ut in relatione totius ad partem per Connotatiſtas. Ergo etiam non eſt de ratione connotati ut veniat purè in obliquo.

95. *5tò.* Quamvis in conſtitutione metaphyſica vg. hominis, rationalitas & animalitas veniant purè in obliquo, tamen hoc non obſtante ſunt metaphyſica conſtitutiva hominis. Ergo etiam quamvis in conſtitutione phyſica totius vel denominationis aliquid veniret purè in obliquo, poteſt eſſe phyſicum illius conſtitutivum, cujus eſt purè obliquum.

96. *6tò.* Eſſe adferibile purè in obliquo non eſt indicium requiſiti eſſentialis, cùm etiam non requiſita veniant purè in obliquo, ut ratiocinationes in conceptu rationalis. Ergo neq; eſt indicium connotati antonomaſticè talis, hoc enim eſſe omnino debet requiſitum eſſentiale.

97. *7mò.* Idem omnino ſignificatum eſt ex parte objecti, termini: *Petrus albus*, concretè ſumpti, atq; etiam ejusdem termini ſumpti denominativè, quamvis in utroq; termino non eodem modo quælibet pars ſignificati totalis exprimatur, ut enim per priorem terminum ſignificantur: *Petrus, albedo & un.*, ita per ſecundum eadem omnia, & nihil plus vel minus. Atqui prioris termini ſignificatum tale conſtituunt ex parte objecti, Petrus, albedo & unio, quamvis per priorem terminum, utpote concretè ſumptum, ſignificentur omnia, vel ſaltem Petrus, & albedo

in

in recto; & per alterum denominativum solus Petrus in recto, cætera in obliquo. Ergo constitutivum objectivum ejusdem rei potest per unum terminum importari in recto, per alium purè in obliquo: consequenter non omne, quod est affirmabile purè in obliquo, est connotatum rei.

98. Objic. *imò*. Signum constitutivi, ut est propositum, ad dignoscendum constitutivum à connotato est universalissimè verum, quia per nullam instantiam est falsificabile. Ergo est rectè constitutum. Respondeo. Nego antecedens, ex probationib9 enim conclusionis tertiæ intelligis & dari constitutiva, quibus illud non convenit, & dari non constitutiva, quibus tamen convenit. Nego etiam consequentiam, quia ad rectitudinem indicii non sufficit, quòd esset universaliter verum; plura requiri constat ex insinuatis hìc suprà num. 65. & 77. atq; in his deficere assignatum indicium patet ex assertis, & probatis à num. 69.

99. Objic. *2dò*. Nullum est facilius, nullum expeditius, nullum quoq; clarius, utpote quod procedit per casum nominativum & obliquum etiam Grammaticis notum. Respondeo. Nego singula; nullum enim est difficilius tum intellectu, cùm etiam post datas à Connotatistis explicationes, non sit sufficienter explicatum, ut patet ex dictis à num. 69. tum assensu, ut patet ex dictis à num. 82. tum applicatione, & usu, ut constat ex dictis à num. 78. ac proinde nullum impeditius tum usu & applicatione, tum assensu ob easdem rationes, nullumq; obscurius ob insufficientiam

ex-

explicationis. Quòd verò procedat per casum nominativum & obliquum, qui est Grammaticis notus, non tollit obscuritatem indicii, tum ex dictis Disp. 1. num. 47. tum hic à num. 69. Licèt quoq; hæc duo essent notissima, cùm plura alia recensita à num. 69. sint obscura, indicium istud clarum non facient.

100. Objic. 3tiò. Affirmabilitas vera in recto est explicatio identitatis. Ergo ex affirmabilitate in recto rectè infertur identitas illius, de quo, cum hoc, quod affirmatur de illo in recto. Respondeo. Nego imprimis antecedens. Rarò hac ætate vel prorsus non invenias Philosophum, qui identitatem explicet per affirmabilitatem. Communissimè id refutatur; & per ipsos Connotatistas affirmabilitas non est identitatis inadæquatæ explicatio, cùm identificata inadæquatè, quamvis per illos se solis sint talia, non tamen sunt de iis, quibus taliter identificantur, se solis affirmabilia. Nego etiam consequentiam; dato enim, quòd esset explicatio aliqua identitatis, non ideo sequitur, quòd affirmabilitas esset illativa identitatis, posset enim explicatio esse per meram proprietatẽ convenientẽ nõ soli identitati, sed etiã identitati, idq; non omni, sed ut plurimum; neq; hoc loco res est de explicatione, sed de indicio requisiti identici, & suæ identitatis.

101. Objic. 4tò. Quod est requisitum essentiale ad esse rei identificatum rei, est constitutivum rei. Sed quod est de re verè affirmabile in recto, atq; in propositione non distinctiva, il-

lud

lud eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe rei, idq; identificatum rei. Ergo quod eſt verè affirmabile in recto de re in propoſitione non disjunctiva, eſt conſtitutivum rei. Minor probatur. Si non eſſet identificatum rei, non eſſet verè affirmabile de re in recto; ad propoſitionis enim affirmativæ, & non disjunctivæ veritatem requiritur identitas adæquata recti ſubjecti cum recto prædicati; quod eſt principium Dialecticum. Reſpondeo *imò* tranſeat totum, dato enim quòd omne affirmabile de re in recto, eſſet conſtitutivum rei, exinde non ſequitur, quòd hæc conſtitutivi formalitas poſſet pro indicio doctrinali rationabiliter aſſumi ex probatis. *2dò.* Nego Majorem, nec enim ſufficit ad rationem conſtitutivi eſſe requiſitum eſſentiale identificatum rei illimitatè, ut profert Major, ſed determinatè ſe toto & totaliter ex parte ſua, ut hic num. 52. & 53. *3tiò.* Nego Minorem, quia patet ex dictis hic num. 86. & ſeq. poſſe aliquid affirmari in recto de alio, quamvis nec ſit requiſitum eſſentiale ſubjecti, nec ſit identificatum recto ſubjecti. Ejus probationi nego ſequelam; cujus ratio multum probat, probat enim quod conſtitutivum inadæquatum non ſit verè conſtitutivum, quia non eſt adæquatè identificatum recto ſubjecti, ſeu ſui conſtituti.

102. Prætenſum principium nego eſſe verè principium, nam neq; ex terminis, neq; aliunde eſt notum. Veritas enim propoſitionis affirmativæ, ex vi ſuæ notionis non plus requirit, quàm ut objectum ſubjecti ita ſe in ſe habeat ad

obje-

objectum prædicati, ut illud se habere propositio affirmativè enuntiat, seu objecto id & eo modo conveniat, quòd & quomodo illi convenire propositio asserit. Si propositio vera asserit illud identificari prædicato, requiritur ut identificetur; si uniri, ut uniatur; si concomitari, ut concomitetur; si ad illud hoc aut illo modo referri, ut hoc ipso modo referatur (quod ipsum in propositione præstari potest, non tantùm per alia quæcunq; verba, sed etiam per ipsum verbum *est*, ut colligis ex dictis Disp: 1. num. 90. 112. & seq.) ita, ut cætera omnia sive subjecto adsint seu contingenter seu necessariò, sive desint per possibile vel impossibile, dum objectum habeat se ita, ut se illud habere in se propositio affirmat, in integro perstet veritas propositionis. Hoc ex terminis, nec plus vel aliud requirit veritas propositionis. Quòd autem determinatè requirat identitatem subjecti cum prædicato; neq; ex terminis patet, neq; aliunde probatur, & quamvis probaretur, nondum constaret requiri identitatem recti subjecti cum recto prædicati; nam satis exprimo identitatem unius cum alio, cùm vg. dico: *Petrus identificatur homini, sibi ipsi, secum ipso*, esto etiam dixero: *Petrus est idem* (adjectivè præcisè istud sumendo) *secum ipso*, sine ulla recti substantivi ex parte prædicati substitutione. Vide dicta Disp. 1. num. 88. Non itaq; est ex terminis notum; non ex taliter notis; non etiam hactenus alia ratione, quàm sola inculcatione & principii prætensione probatum. At illius

etiam falſitatem probatã habes partim paulò ſuperiùs, partim Diſp. 1. num. 114.

103. Confirmatur 1*mò* quia veræ ſunt propoſitiones: *pars inadæquatè eſt totum*; *DEUS eminenter eſt creatura*; *cauſa adæquata eſt virtualiter ſuus effectus*; *res una æquivalenter eſt plura*; *homo æquivalenter eſt omnis creatura*, & ſic de plurimis, in quibus apponitur modificatio copulæ: *eſt*; quarum modificationum cùm copula ſit capax, non eſt ex ſe ipſa determinata ad affirmandam vel ſignificandam adæquatam identitatem recti cum recto. 2*dò*. quia quælibet propoſitio affirmativa vera, vel eſſet in materia neceſſaria, quælibet enim affirmaret de recto ſubjecti rectum ipſi adæquatè identificatum, vel ſaltem implicitè includeret propoſitionem in tali materia, & iſta fortaſſis rurſus aliam, & ſic de aliis. 3*tiò* quia iſta propoſitio affirmativa: *Petrus contingenter eſt ſubſtantia habens albedinem*, eſſet falſa, quia falſum eſt, quòd Petrus contingenter illi identificetur, cui identificatur adæquatè. Sed per iſtud principium deberet recto prædicati identificari adæquatè. Ergo non contingenter.

104. Adde, quòd idem prætenſum principium non habuerit olim hanc ipſam limitationem, quam apponit objiciens, ſcilicet in propoſitione affirmativa *non disjunctiva*; nunc verò ab ipſo arguente & ferè ab omnibus reſtringitur ad propoſitionem affirmativam non disjunctivam. Ergo apparet effatum illud Dialecticum non habuiſſe veram rationem principii. Rurſus hæc ipſa limi-

limitatio parum ad præſens confert, quia vix eſt evitabilis, quia termini denominativi paſſim affirmantur de ſubjectis cum ſuo ſeorſivo ex parte prædicati recto appoſito, vel ſubintellecto univerſali, particulariter, & ideo æquivalenter diſjunctivè ſupponente. Deinde prædicari poteſt & ſolet unus terminus denominativus cum altero etiam clara disjunctione, vg. *Petrus eſt vel albus, vel niger, vel peccator, vel Sanctus.* Inſuper ipſemet arguens & cæteri Connotatiſtæ exercitè illud limitant in ſuis reſponſionibus, per ly *ratione alterius, ſecundùm obliquum* &c. per quod planè illud enervant & falſum probant. ut colligitur ex dictis hìc num. 88. Deniq; enervatur per uſitatos tum Grammaticis modos loquendi ſimiles illi: *Remo cum fratre Quirinus jura dabant*, tum Philoſophis ſimiles illi: *Petrus cum Paulo ſunt duo: unitas cum altera unitate eſt plus quàm unitas.* Quare non meretur illa propoſitio dici principium univerſale & ſimpliciter tale, ſed ad ſummum placitum Dialecticum, ut plurimùm & regulariter verum, attenta Latini idiomatis conſtructione. Illud pro principio illi fortaſſis proclamârunt, qui pro principio ſyllogismi categorici volunt haberi illud: *Quæ ſunt eadem uni tertio* &c. Hæc Connotatiſtæ pro indicio conſtitutivi; jam pro ſuo & ſui connotati indicio

105. Arguunt *imò*. Nulla eſt neceſſitas, ut quod venit in definitione rei, vel affirmatione de re purè in obliquo, ſit illius conſtitutivum. Ergo non eſt conſtitutivum. Ergo debet

esse connotatum. Respondeo retorquendo argumentum. Nulla est necessitas, ut quod venit in purè obliquo, sit connotatum antonomasticè tale. Ergo non est connotatum. Ergo est constitutivum. Directè. *imò* nego 2dam consequentiã, neq; enim quidquid non est constitutivum, esse debet connotatum antonomasticè tale, de quo utiq; debet procedere argumentum. *2dò* nego 1mam consequentiam, æquivalet enim antecedens huic modali: *nõ est necesse, ut quod venit in purè obliquo sit constitutivum. Ergo nullum taliter veniens est constitutivum*: quæ consequentia nulla est, sicut & hæc: *non est necesse, ut quod est animal sit homo. Ergo nullum animal est homo. Non est necesse ut requisitum essentiale sit connotatum. Ergo nullum requisitum essentiale est connotatum.* Quippe *non necesse* per Dialecticam æquivalentiam est: *possibile non*. Ergo Antecedens æquivalet huic: *Possibile est quod venit in purè obliquo non esse constitutivum.* Ex quo non rectè infertur: *Ergo nullum veniens in purè obliquo est constitutivum.* Concedimus ultro, quòd non sit generaliter necesse, ut quidquid venit purè in obliquo sit constitutivum: inde tamen non sequitur impossibile esse, ut quod venit in purè obliquo, sit constitutivum, quia veniens purè in obliquo aliquando est, aliquando non est constitutivum, sicut & id, quod venit in recto: prout ex aliis indiciis de constitutivo vel connotato est concludendum. *3tiò*: nego Antecedens, potest enim per magis legitima indicia evinci, quòd etiam venientia purè in obliquo sint aliquando

con-

constitutiva, atq; adeo ipsa evinci necessitas, ut sint constitutiva.

106. Arguunt *2dò.* Non sunt multiplicanda constitutiva rei sine necessitate. Sed si quod venit purè in obliquo, esset constitutivum, multiplicarentur constitutiva sine necessitate. Ergo illud non est constitutivum. Ergo connotatum. Respondeo retorquendo de connotatis antonomasticè talibus, quia hæc quoq; non sunt multiplicanda sine necessitate. Directè nego ultimam consequentiam, ut suprà. Distinguo etiam Minorem. Sed si omne, quod venit in purè obliquo, esset constitutivũ, multiplicarentur, &c concedo. Sed si aliquod, (cui scilicet legitimum constitutivi indicium conveniret) quod venit in purè obliquo, esset constitutivum, multiplicarentur &c. nego Minorem. Similiter distinguo consequens. Ergo nullum, quod venit in purè obliquo, est purè constitutivum, nego consequentiam. Ergo aliquod, quod venit &c. concedo consequentiam.

107. Arguunt *3tiò.* In dubio, num aliquid sit connotatum vel constitutivum rei, dicendum est potiùs illud esse connotatum, quàm constitutivum. Sed de eo, quod venit purè in obliquo dubium est, num sit connotatum vel constitutivum. Ergo de eo potiùs dicendum est, quòd sit connotatum, quàm constitutivum. Respondeo retorquendo. In dubio &c. dicendũ est potiùs illud esse constitutivum quàm connotatum, in dubio enim potiùs dicendum est, quod est certò possibile, quàm illud, quod certò impossibile vel in-

certò possibile. Sed constitutivum est certò possibile; connotatum, de quo hìc, est certò impossibile vel minimum incerto possibile. Ergo &c. Unde directè nego Majorem. Nego etiam Minorem; certum enim ab intrinseco est, nullum, quod venit in obliquo, esse connotatum antonomasticè tale.

108. Arguunt *4tò*. Omne, quod est identificatum rei secundùm se totum, potest de illa affirmari in recto saltem cum aliis. Sed quod venit purè in obliquo rei, non potest de illa affirmari in recto etiam cum aliis. Ergo quod venit purè in obliquo, non est secundùm se totum identificatum rei. Ergo neq; est constitutivum rei. Ergo est connotatum antonomasticè tale. Respondeo *imò* nego Majorem ex dictis hìc num. 83 & sequ. *2dò* nego Minorem, quod enim in una propositione vel explicatione venit purè in obliquo, in altera potest venire in recto, ex multoties dictis Disp. 1. *3tiò* nego ut toties, ultimam consequentiam. *4tò*. Distinguo etiam connotatisticè. Omne &c. potest de illa ratione sui, vel ratione alterius, item secundùm rectum vel secundùm obliquum subjecti, transeat; potest de illa re ratione sui vel secundùm illius rectum, determinatè, nego Majorem. Distincta pariter Minore nego consequentiam. Vide dicta num 88. Vel sic quasi connotatisticè, seu per consequentiā doctrinæ. Omne &c. potest de illa vel se sola, vel cum aliis pro subjecto posita, &c. transeat; determinatè & unicè de illa se sola posita in recto subjecti

&c.

&c. nego Majorem. Proportionatè diſtincta Minore nego conſequentiam. Vide dicta hic num. 84.

109. Arguunt *5tò*. Quod non poteſt affirmari in recto de re, non eſt identificatum ſe toto eidem rei. Sed quod venit in obliquo rei, non poteſt affirmari in recto de re. Ergo non eſt ſecundùm ſe totum identificatum rei. Ergo non eſt conſtitutivum. Ergo eſt connotatum antonomaſticè tale. Reſpondeo *1mò* nego ſemper ultimam conſequentiam, quia id, quod non eſt conſtitutivum poteſt eſſe purum Logicum connotatū, vel terminus connexionis &c. *2dò* nego Majorem, quia pars non poteſt abſolutè affirmari de ſuo toto, ſaltem ſe ſola, ut volunt Connotatiſtæ, & tamen etiam ſe ſola ſecundùm ſe totam identificatur rei, ut itidem ipſimet volunt. *3tiò*. nego Minorem, quamvis enim quod venit purè in obliquo rei, non poſſet affirmari de re concepta per terminum, qui illud ſignificat vel concipit in obliquo rei, poteſt tamen affirmari de re concepta per alium terminum formalem, qui illud ſtante identitate rei ſignificatæ repræſentet in recto. *4tò* diſtinguo iterum, ut immediatè ſuprà Connotatiſticè, & præterea ſic conformiter ad dicta Diſp. 1. num. 98. ac ſequ. Quod non poteſt affirmari in recto de re *ut quod*, neq; etiam *ut quo*, non eſt identificatum tranſeat; quod non poteſt affirmari in recto de re *ut quod*, poteſt tamen affirmari *ut quo*, nego Majorem. Similiter diſtincta Minore nego conſequentiam.

110. Arguunt *6tò*. Quidquid in definitio-

nitione metaphyſica, ſeu eſſentia metaphyſica rei, non importatur in recto, ſed tantùm in obliquo, non eſt pars & conſtitutivum ejusdem eſſentiæ metaphyſicæ, quia neq; eſt genus, neq; differentia rei. Ergo etiam quidquid in definitione ſeu eſſentia phyſica rei non importatur in recto, ſed in obliquo, non eſt conſtitutivum eſſentiæ rei phyſicæ. Ergo eſt connotatum. Reſpondeo *1mò* nego ultimam conſequentiam, ut toties. *2dò.* nego antecedens ex dictis num. 95. Unde ſatiùs paritas ſumenda eſt contra Connotatiſtas. Ratio antecedentis iſtud non infert, quamvis enim neq; eſſet genus, neq; differentia metaphyſica, ſufficit, quod tale obliquum eſſet conſtitutivum vel generis vel differentiæ, ut animalitas & rationalitas in definitione metaphyſica hominis, in qua etiam metaphyſicè eſt purè obliquum, quia per rationem adæquatè diſtinguitur à ſubjecto, cui immediatè ex parte prædicati in obliquo apponitur. *3tiò* nego ſuppoſitum primi conſequentis, quòd in eſſentia phyſica rei, aliquid connotatiſticè importetur in recto vel obliquo, conſequenter ad dicta Diſp. 1. num 67.

111. Arguunt *7mò.* Ut multiplicentur denominationes, ſola recta multiplicia faciunt. Ergo pariter ut aliqua denominatio ſit una, ſolum rectum unum facit. Ergo illud ſolum eſt conſtitutivum denominationis. Ergo quod non eſt rectum, eſt connotatum. Reſpondeo *1mò* nego ultimam conſequentiam. *2dò* nego Antecedens, quia unum vg. ſaccarum habet denominationes multas, quanti, albi, dulcis. Vide dicta Diſp. 1. num.

num. 13. Rectorum multiplicitas multiplicat denominata, denominationes non semper.

112. Arguunt 8vò Si quod venit in obliquo rei est constitutivum rei, terminus connexionis esset constitutivum rei connexæ. Atqui non est. Ergo quod venit in obliquo rei non est constitutivum illius. Ergo connotatum Respondeo 1mò. Nego ultimam consequentiam. 2dò: distinguo Majorem. Si omne quod venit in obliquo esset constitutivum &c. concedo sequelam. Si aliquod quod venit in obliquo esset constitutivum &c. nego sequelam. Simili distinctione expedio consequens 3tiò. Nego suppositum Majoris, quòd terminus connexionis in explicatione rei connexæ, ut talis, necessariò debeat venire in obliquo. Relege dicta Disp. 1. num. 69. 4tò. Nego etiam Minorem inquantum universaliter procedit, totum enim physicum est res physicè essentialiter connexa cum sua parte, consequenter pars est terminus connexionis illius, est nihilominus simul etiam constitutivum rei connexæ, ad hanc enim nullo fundamento pleriq; ex Connotatistis requirunt distinctionem realem adæquatam inter connexum realiter & terminum suæ connexionis.

113. Arguunt 9nò. Per vos homo sumptus physicè explicatur ita: *est materia, anima rationalis, & unio*, quia ista omnia per vos sunt constitutiva. Ergo per vos quidquid est constitutivum, debet explicari in recto. Ergo quod sic non explicatur, non est constitutivum. Ergo est con-

nota

notatum. Respondeo *1mò*. Nego ultimam consequentiam. *2dò*. Nego antecedens, explicatur enim satiùs sic: est compositum vel suppositum adæquatè constitutum ex materia, forma & unione, ac sua suppositalitate. *3tiò*. Nego consequentiam primam, nam esto sic explicaretur, ex eo potest inferri, quòd sit ita explicabilis, non verò, quòd ita omnino debeat explicari; neq; causalis: *quia omnia sunt constitutiva*, infert illa ita explicari debere, sed tantùm posse, ex arbitrio explicantis, siquidem hæc causalis: *homo ita explicatur: materia, anima, & unio, quia ista sunt constitutiva*, non est exponenda per hanc: *quidquid est constitutivum debet explicari*, sed ad summum per hanc: *quidquid est constitutivum, potest convenienter in talem modum explicari.*

114. Infertur ex hactenus dictis indicium seu constitutivi seu connotati à Connotatistis, neq; universale neq; convertibile assignatum; sed neq; sufficienter expositum, aut esse revera doctrinale.



QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA

An rectè pro indicio doctrinali Conſtitutivi celebre illud: Quo ſolo ablato &c. à Noſtris aſſignetur?

115. QUi ſe Connotatiſtis opponunt, pro indicio incomplexo doctrinali conſtitutivi, eoq; etiam univerſali & convertibili ponunt: *id, quo per poſſibile vel impoſſibile ſolo ablato res tollitur*, pro complexo autem ſeu univerſali principio ponunt propoſitionem: *quo ſolo per poſſibile vel impoſſibile ablato, res aliqua tollitur, illud eſt ejusdem rei conſtitutivum.* Solum, *ajunt*, auferri, quod aufertur omnibus aliis ab illo adæquate diſtinctis manentibus. Addunt: *per poſſibile vel impoſſibile*, ut & univerſalius principium faciant, & de ſuppoſito in applicatione ad particulare ſubjectum litigiis viam præcludant, certum enim eſt poſſe de aliqua re dubitari, an ſit vel non ſit conſtitutivum, quam vel auferri quidem eſt poſſibile, ſola tamen auferri non poteſt, ut eſt in ſententia communiore vg. modificatum quod quamvis auferri poſſit, non poteſt tamen auferri, quin cum illo ſimul auferatur & modus, vel & auferri & ſolam auferri aliis manentibus eſt impoſſibile, qualis res eſt DEUS. Ne igitur in applicatione principii ad particulare ſubjectum, excurratur ad diſce-

disceptandum de subsistentia, vel insubsistentia suppositi, ideo dicitur: *quo per possibile vel impossibile ablato* &c. hoc est, *quo, seu illud auferri possibile, seu impossibile sit, sed supponamus, & auferri, & solum auferri posse, solo ablato &c.*

116. Addebant paulò Antiquiores ad ly *tollitur*, terminos: *immediatè & formaliter*, inquientes, *quo per possibile vel impossibile solo ablato res immediatè & formaliter* (hoc est per hanc ipsam illius ablationem, nulla alia rei adæquatè ab ablata distinctæ, interveniente ablatione) *res tollitur, illud est constitutivum rei.* Additamentum istud non obstat certè veritati principii; illam etiam magis explicat & roborat: interim à Recentioribus passim rejicitur tanquam superfluum, hoc enim ipso, quòd ad ablationem alicujus solius res tollitur, tollitur hac ipsa solius ablatione, nulla alia alterius rei ab illa adæquatè distinctæ ablatione interveniente, aliàs si hæc interveniret, hoc ipso res illâ solâ, ut supponitur, & non solâ ablatâ interiret, quia interveniret etiam alterius rei adæquatè distinctæ ablatio; quod cùm revera sit evidens, meritò additamentum illud pro superfluo habetur. Hoc tamen non obstante

117. Dico *imò*. Indicium constitutivi prout in terminis præcisè suis propositum, non est rectum. Probatur. Si quo per possibile vel impossibile (quod semel pro semper suppono) solo ablato res tollitur, esset constitutivum rei, tunc quibus solis ablatis res tollitur, essent constitutiva rei; quod enim rei in singulari acceptæ necessariò

con-

convenit in singulari, illud rebus ejusdem rationis in plurali acceptis convenit etiam in plurali, ut patet inductione. Sic quia homo in singulari est animal, homines quoq; sunt animalia; quia unum album disgregat visum, etiam duo alba sunt duo disgregantia visum, & sic de cæteris omnibus extra Mysterium SS. Trinitatis. Sed quibus solis ablatis res tollitur, non sunt constitutiva rei. Ergo & quo solo &c. Minor probatur. Solis ablatis Petro & Paulo tollitur Petrus, & tamen Petrus & Paulus non sunt constitutiva Petri. Deinde solo binario totaliter ablato, tollitur quælibet sua unitas, nec tamen binarius ullius suæ unitatis est constitutivum. Item in suppositione unius corporis per animam Petri & simul animam Pauli informati, solo totaliter ablato composito ex corpore & anima Pauli, tollitur etiam Petrus, neq; tamen illud compositum, quod est Paulus, constituit Petrum etiam in tali casu.

118. Respondebat quidam debere supponi in illo principio, quòd illud, quo solo ablato debeat res tolli, sit requisitum essentiale ad esse rei: jam Petrus & Paulus ad esse Petri, binarius ad esse suæ unitatis, Paulus habens communem cum Petro materiam ad esse Petri nullatenus, nedum essentialiter requiruntur. Cæterùm imprimis non debuit id supponi, quod neq; implicitè in terminis principii continetur, neq; ex illis etiam tanquam præsuppositum aut aliter infertur. Deinde quidquid sit de inductis in oppositione complexis, datur complexum, quod etiam ad esse Petri

tri essentialiter requiritur, ut est complexum ex DEO & anima Petri, item ex materia Petri & actione ejusdem productiva, ex quibus complexis quocunq; solo totaliter ablato tollitur Petrus, nec tamen ullum ex iis complexum est constitutivum Petri. Accumularunt in eandem rem plures instantias, Noviores Connotatistæ; quæ quia plus roboris ultra prædictas non habent, illas relinquo. Plures deinde limitationes ejusdem principii à Nostris adhibitæ, atq; ita

119. *imò.* Aliqui addendum duxerunt: *quo solo ablato aliquid illo majus tollitur, illud &c.* Instant Connotatistæ, & rectè. Ablato totaliter binario ex forma & productione formæ, tollitur aliquid isto binario majus, scilicet ternarius ex materia, forma, & unione; & tamen binarius ex forma & productione formæ, non constituit ternarium &c. & plura similia.

120. *2dò* Alii: *quo solo ablato, & ab hoc nullo alio adæquatè distincto ablato, res perit illud est &c.* Instant Ablato totaliter binario ex anima Petri & productione Petri, nullo alio adæquate distincto ab eodem binario sublato tollitur Petrus, & tamen ille binarius non constituit Petrum. Ergo &c.

121. *3tiò.* Alii: *quo solo ablato, aliis verò omnibus requisitis ad esse rei, tam adæquatè, quàm inadæquatè ab ablato distinctis manentibus, res perit, illud est constitutivum rei.* Urgent, & inquiunt id non convenire omni constitutivo, nam vg. ex Angelorum centenario ablato totaliter

uno

uno illorum ternario, tollitur centenarius, & tamen ſimul tollitur etiam binarius Angelorum in ternario incluſus, qui etiam ad centenarium eſt requiſitus, & à ternario inadæquatè diſtinctus, hic nihilominus ternarius eſt conſtitutivus centenarii. Sic etiam ablato totaliter binario ex anima Petri & DEO, tollitur Petrus, nec manent omnia requiſita ad eſſe Petri, quia neq; manet DEUS requiſitum adæquatè diſtinctum ad eſſe Petri, neq; anima requiſitum inadæquatè diſtinctum. Ergo talis limitatio ſaltem faciet, ut illud principium non ſit univerſale pro omni conſtitutivo.

122. *4tò.* Alii: *quo ſolo ablato ſola res perit, illud &c.* Inſtant. Una ſola parte communi duobus compoſitis ablata, perit unum ex illis compoſitis, nec tamen ſolum, quia inſuper perit & aliud compoſitum habens eandem partem communem. Ergo etiam taliter limitatum principium non convenit omni conſtitutivo.

123. *5tò.* Alii: *quo ſolo ſive totaliter ſive non totaliter ablato res perit, illud &c.* Inſtant. Solo ablato Petro ſive totaliter ſive non totaliter vg. ſecundùm animam Petri, tollitur anima Petri, nec tamen Petrus eſt conſtitutivum ſuæ animæ.

124. *6tò.* Alii: *quo ſolo ablato tanquam denominante vel denominato res tollitur, illud eſt conſtitutivum rei.* Inſtant. Binarius vg. ex Angelis, conſtituitur Angelis duobus, neutro alterum denominante. Sic & hora conſtituitur duobus quadrantibus, neutro alterum denominante, vel per illum denominato &c. Neq; ſufficit *in-*

qui-

quiunt, denominatio cöexiſtentiæ generaliſſimè accepta, alias lapis & DEUS eſſent concretum phyſicum, quia ſe denominant cöexiſtentes, & connexio lapidis cum DEO denominaret DEUM terminum connexionis, & rurſus DEUS denominaret lapidem impotentem eſſe ſine DEO, & ſic connexio lapidis conſtitueretur & lapide & DEO. Sed cur non ſufficiat etiam generaliſſima illa denominatio cöexiſtentis? Nec inde ſequitur, quod lapis cum DEO faceret concretum phyſicum, neq; enim ex omni denominante & denominato coaleſcit concretū phyſicū ſimpliciter dictū, per hoc enim intelligitur concretū ex ſubjecto phyſico phyſicè incompleto,& forma phyſica pariter incōpleta, vel ſaltem aliquo ente ſubjecti phyſicè completivo, ſecum phyſicè unitis, quod non habetur in aggregato ex lapide & DEO ad ſe relatis per cöexiſtentiam unius ad alterum, in quo concreto quaſi morali vel Logico ambo eſſent denominata, & ipſa collectio ſeu cöexiſtentia eſſet forma utrumq; denominans, & utriq; semiintrinſeca Denominaret etiam ſaltem inadæquatè unus Angelus alterum in eodem binario, & quadrans quadrantem in eadem hora ſaltem compartem ejuſdem conſtituti. Connexio deniq; lapidis denominat certè DEUM terminum connexionis, hinc tamen non ſequitur, quòd connexio lapidis cum DEO deberet conſtitui DEO, neq; enim quæcunq; forma denominans ſubjectum conſtitui debet ipſomet, quod denominat, ſubjecto. Unde quod objicitur, vim non habet; opponi tamen poteſt, quod cùm de conſti-

tuti-

tutivis inquiri possit & debeat, non tantùm denominationum, sed quarumcunq; rerum independenter ab eo, quòd se denominent, universaliùs istud indicium proponi deberet, & non restringendo illud ad denominantia, & denominata.

125. *7mò.* Limitat quidam dicendo: *quod est requisitum essentiale, quo solo ablato perit res, & nihil adæquatè distinctum ab eadem re pereunte perit, illud est &c.* Porro in omnibus instantiis per illum ipsum oppositis, & per Connotatistas accumulatis semper ostenditur perire quidem rem talibus, taliterq; sublatis etiam solis, cæterùm perire semper aliquid simul adæquatè distinctum à re, vg. ablato totaliter binario ex Deo & anima Petri, perire quidem Petrum, sed & aliquid adæquatè distinctum à Petro, scilicet DEUM, & sic de aliis. Instant contra principium taliter limitatum Connotatistæ. *1mò.* Hoc principium convenire potest etiam adæquato constitutivo, quod multi non admittunt. Cæterùm Author limitationis constitutivum adæquatum dari ultrò admittit. Connotatisticum quoq; constitutivi indicium permittit id ipsum, imò probat solum constitutivum esse, quod est adæquatum. *2dò.* quia idem principium probaret etiam obliquum rei, esse rei constitutivum, quod tamen revera non est. Respondeo. Nego non esse, quotiescunq; indicium taliter limitatum illi convenit. *3tiò.* Similitudinis Petri cum Paulo requisitum essentiale est Paulus, quo solo ablato perit eadem similitudo, & tamen Paulus non est constitutivum il-

lius. Respondeo. Si similitudo est in naturā, seu illa abstractè, seu concretè sumatur, Paulus est constitutivum illius; si verò est in qualitate vel alio accidente utriq; superaddito, similitudo illius in abstracto neq; Petro, neq; Paulo constituitur, sicut neq; quocunq; ex illis solo ablato tollitur. Sumpta verò concretè, an Paulo constituitur, vel non constituitur, pendet à particulari uniuscujuscunq; sententia. Sunt qui asserunt constitui, & ideo etiam Paulo solo ablato illam tolli; qui negant tolli, negabunt & constitui, ac è contrà, si negaverint constitui, negabunt tolli. *4to.* In hac explicatione ly *adæquatè distinctum* indiget ulteriori signo indicante vg. an similitudo Petri cum Paulo sit adæquatè distincta à Paulo? Respondeo. Non indiget ulteriori, sed hoc ipso, si enim, & in qua, & quo modo accepta similitudine patebit Paulum esse id, quo solo ablato non tollitur similitudo, sufficiens erit indicium Paulum esse prorsus extra constitutionem illius, adeoq; adæquatè ab illa distinctum. *5tò.* Ista limitatio nihil obest connotato, illa enim stante connotatum non erit constitutivum, quia solo connotato ablato aufertur aliud adæquatè distinctum à re illud connotante, scilicet ipsum connotatum extrinsecum. Respondeo. Solo ablato connotato rei deberet auferri aliquid adæquatè distinctum non solùm à re connotante, sed etiam à connotato rei, siquidem connotatum rei antonomasticè tale juxta Connotatistas ex sua quidditate ita requiritur ad esse rei, ut illo solo ablato debeat tolli esse rei.

Ergo

Ergo ad esse talis connotati non sufficit, ut hoc solo ablato auferatur aliquid adæquatè distinctum præcisè ab ipsa re illud connotante, scilicet ipsum connotatum extrinsecum. Perstat itaq; non obstante Connotatistarum oppositione principium taliter limitatum in suo robore. Interim tamen & pro meliore intelligentia principii, & pro exactiori illius propositione aliqua sunt adhuc præmittenda, ut

126. Præmitto *imò*: quòd cùm in principio illo dicitur: *quo per possibile vel impossibile &c.* involvatur in sensu explicato hìc num. 115. suppositio impossibilis, non tamen immediatè & formaliter se tollens (quæ etiam à Philosophis antonomasticè tollens se ipsam dicitur) si enim suppositio sit immediatè & formaliter se tollens, ex illa, imò in illa ipsa supponitur res tolli & non tolli, adeoq; idem esset dicere: *quo solo ablato*, ac dicere: *quo solo & non solo ablato*; talisq; esset suppositio, si supponas ex duobus inadæquatè distinctis, quorum unum est totum, alterum pars illius, solam partem tolli & totum manere, cùm enim totum (intellige permanens & physicum) manere, sit quamlibet ipsius partem manere, tolli autem illius partem, sit aliquam totius partem non manere; supponuntur duo formaliter & immediatè contradictoria, scilicet supponitur & manere partem, & non manere, tolli & non tolli, quo siquidem stante, sequitur etiam ipsum totum tolli & non tolli, adeoq; adhuc sufficienter illo indicio probari posse, quòd parte con-

ſtituatur totum, quia cùm tollatur, & non tollatur, adhuc tollitur, & quidem ita, ut ſit & evadat in actuali quodam eſſe chimera; nihilominus ut præcisè ſubſiſtat in uno termino: *tollitur*, ſuppoſitio talis excludenda ſatiùs ab illo principio eſt.

127. Præmitto *2dò.* Ly *ablato* poſſe quidem ſumi in ſenſu ſuo rigido, quatenus ly *auferri* ſignificat, quod præfuit, vel adhuc eſt, deinde tolli ſeu deſtrui, cæterùm etiam latiùs accipi poſſe, ita, ut ly *ablato* ſignificet ſive idem, quod ly *deſtructo*, ſive quod ly *non poſito non exiſtente &c.* quod non præſupponit rem in ante fuiſſe vel nunc eſſe, habet enim res iſta ſenſum ſuppoſitivum, adeoq; conditionalem, ac ſi diceres: *quod ſi ſolum non exiſteret, quamvis cætera omnia exiſterent, res non exiſteret, illud eſt conſtitutivum rei.* Dices: quomodo eſſet conſtitutivum, ſi neq; illud exiſteret, neq; illius conſtitutum? Reſpondeo: eſt affirmatio quidditativa in materia neceſſaria: copula proinde illius pariter in ſenſu conditionali ſumenda, ita, ut ſenſus totius principii ſit: *quod ſi ſolum non exiſteret, etiam res non exiſteret, illud re exiſtente eſſet actuale conſtitutivum illius.*

128. Præmitto *3tiò.* Idem: *ablato* intelligi debere ablato ſecundùm illud eſſe, illumq; eſſendi modum, quod eſſe, & quem eſſendi modum in illo eſſentialiter requirit rei vel ſuæ denominationis natura, de cujus conſtitutivis inquiritur, puta, ſi rei vel denominationis natura eſſentialiter requirit, ut illud, quod ſolum auferri ſupponitur, habeat eſſe actuale exiſtentiale, quoad

iſtud

iſtud eſſe auferri ſupponi debet: ſi requirit eſſe præteritum, quoad eſſe præteritum &c. ac proinde debebit intelligi, quo ſecundùm præteritionem ablato, ſeu quo, quòd non præterierit, ſuppoſito &c: ſi requirit eſſe poſſibile, ſecundum eſſe poſſibile; ſi futurum, ſecundùm futurum &c. Vide dicta Diſp. 1. num. 4. &c. Jam quomodo natura rei vel denominationis exigat eſſentialiter illud eſſe, colligendum eſt ex notione & intelligentia rei, communiſſimo uſu & aſſenſu Philoſophorum probata, à qua nunquam eſt recedendum, niſi in contra ratio occurrat inſigniter momentoſa, & difficulter ſolubilis.

129. Præmitto *4tò*: auferri rem poſſe vel *totaliter*, & hoc ſignificat rem auferri ſecundùm omnia illius conſtitutiva, quæcunq; demum, & quotcunq; in ſe habeat; vel *non totaliter*, & hoc ſignificat tolli rem præcisè ſecundùm aliquod, unum vel plura, non tamen prorſus omnia illius conſtitutiva, vel deniq; medio quodam modo, qui ſignificatur communiter per particulam: *ſive*, ſingulis conſtitutivis appoſitam, ita, ut ſignificet quamcunq; demum illius partem auferri, ſive hanc, ſive illam, ſive tertiam, & ſic de aliis partibus, vel conſtitutivis, quotquot in ſe continet, atq; adeo ita, ut quamcunq; ex illis abſtuleris, eſtò aliæ maneant, idem ſemper ſequatur, nimirum in præſenti, ſequatur ſemper rem tolli, ita ulterius, ut ſive illam rem ſupponas totaliter tolli, ſive non totaliter ſecundùm quamcunq; partem ſupponas tolli, res tollatur,

130. Præmitto 5tò: ly *ſolo* ſemper ab Anticonnotatiſtis ita intellectum fuiſſe, ut redderet hunc ſenſum: quo ablato, vel non poſito, & cæteris omnibus ab illo adæquatè diſtinctis manentibus, ſive hæc ſint requiſita eſſentialia ad rem vel denominationem, ſive non ſint, res tollitur, illud eſt conſtitutivum rei, ac proinde ſuppoſitam ſemper ab illis limitationem fuiſſe, in hac materia excluſivæ propoſitionis ad ſola adæquatè inter ſe diſtincta: *quo ex adæquatè diſtinctis ſolo ablato &c.* ideoq; etiam à nobis ſupponenda ſemper eſt eadem limitatio, aut, quod conſultiùs, clarè exprimenda. Quæ attinent legitimam ejuſdem particulæ: *ſolo*, & totius ſuppoſitionis excluſivæ expoſitionem, habes luculenter expreſſa ad initium hujus Diſp. in controverſia Dialectica.

131. Præmitto deniq; ly: *res tollitur*, intelligendum de ſublatione phyſica, & identitate ſimul rei phyſica, non morali, ita, ut ſenſus ſit: *res eadem phyſicè, phyſicè tollitur.* Ratio eſt, quia vg. ablata ſola minima vel exigua parte materiæ, interdum autem neq; omnino exigua, quæ hominem conſtituebat, vg. abſciſſa integra manu, non dicitur tolli homo; ablato uno vel altero milite, aut etiam illis centum vel mille, non dicitur tolli exercitus; ablatâ unâ univerſi particellâ, non dicitur tolli univerſum; iſta enim tota, cùm illis tale quid decedit, quod non ſit reſpectivè ad illa vel illorum interitum notabile, & interdum pro ablatis alia ſubſtituantur, dicuntur permanere & eadem eſſe, atq; etiam integra eſſe, quod ſemper intelli-

telligendum est moraliter, seu in æstimatione morali, alioqui in rigore physico non sunt eædem res, quæ fuerunt, sed aliæ, quoties quodcunq; tandem illorum constitutivum interit, atq; sic universum in continuo fluxu, decessu & accessu rerum plurimarum, est idem semper moraliter, & moraliter non tollitur, quamvis in re & in rigore non sit idem realiter adæquatè physicè, & physicè tollatur, quod fuit, per decessum cujuscunq; constitutivi. His itaq; præmissis.

132. Dico *imò*. Id, quo per possibile vel impossibile solo ex realiter adæquatè distinctis ablato res aut denominatio tollitur, vel est constitutivum, vel includit in se constitutivum rei aut denominationis ; adeoq; hoc ipso saltem inadæquatè sumptum est constitutivum rei vel denominationis; consequenter non est connotatum antonomasticè tale. *ima pars assertionis probatur*. Quod non distinguitur realiter adæquatè à re vel denominatione, illud vel est constitutivum rei, vel includit in se constitutivum rei vel denominationis. Sed quo per possibile &c. (quod semel pro semper) ex adæquatè distinctis solo ablato tollitur res vel denominatio, illud non distinguitur realiter adæquatè à re vel denominatione. Ergo quo solo &c *Major probatur*. Quod vel adæquatè ex parte sua, vel aliqua sui parte identificatur rei, illud vel est constitutivum rei, vel includit in se constitutivũ rei (idem semper de denominatione) si enim adæquatè ex parte sua identificatur rei, & invicem illi ex parte sua adæquatè identificatur

res

res, erit illius adæquatum constitutivum. Si verò illud quidem adæquatè ex parte sua identificatur rei, non item hæc illi ex parte sua, est illius constitutivum inclusum in ipsa, adeoq; inadæquatum. Si deniq; aliqua sui parte identificetur rei, includit in se partem ipsius, adeoq; includit illius constitutivum. Sed quod non distinguitur adæquatè à re, illud vel adæquatè absolutè, seu se toto & totaliter mutuò, vel aliqua sui parte identificatur rei, si enim neq; se toto neq; totaliter mutuò, neq; ulla sui parte identificatur, est prorsus ab illa adæquatè distinctum. Ergo quod non est adæquatè distinctum à re, illud vel est constitutivum rei, vel includit in se constitutivum. *Minor etiam primi argumenti probatur.* Nullum adæquatè distinctum à re tollitur, quæ ex adæquatè distinctis sola tollitur, aliàs & sola ex adæquatè distinctis tolleretur ut supponitur, & non sola, quia ultra & præter illam aliud adæquatè distinctum ab ipsa tolleretur, consequenter plus aliquid, quàm illa tolleretur: tollerentur minimùm duæ res. Sed quod solo ex adæquatè distinctis ablato tollitur, utiq; tollitur. Ergo quod solo ex adæquatè distinctis ablato tollitur, non est adæquatè distinctum ab eo, quod ex adæquatè distinctis solum tollitur. Ergo neq; istud quo solo ex adæquatè distinctis ablato res tollitur, est ab illa adæquatè distinctum, omnis enim distinctio adæquata est essentialiter mutua.

133. *2da pars assertionis probatur.* Quod non est purum requisitum ad esse rei, illud non est connotatum antonomasticè tale. Sed quod

vel

vel eſt conſtitutivum rei, vel includit in ſe conſtitutivum rei, non eſt purum requiſitum ad eſſe rei, quia eſt aliqua ſui parte conſtitutivum, ſicut non eſt purè incorruptibile, quod aliqua ſui parte eſt corruptibile; non eſt purè ſpirituale, quod aliqua ſui parte eſt corporeum; non eſt purum aurum quod aliqua ſui parte eſt plumbum, eſt enim ſimpliciter ut ita dicam miſtum, adeoq; non purum; purum enim excludit omnem alterius rei etiam diverſæ, multò magis oppoſitæ admiſtionem. Sed connotatum & conſtitutivum opponuntur, cùm de illius eſſentia ſit eſſe requiſitum purum, puritate depurante illud à ratione conſtitutivi. Ergo &c.

134. Probatur. 2dò 1ma, & præcipua pars Concluſionis. Si quo ſolo ex adæquatè diſtinctis ablato perit res, nec eſſet, nec includeret conſtitutivum rei, periret res nullo ſuo conſtitutivo pereunte, adeoq; manentibus omnibus illius conſtitutivis, illud enim ſolum, quod periret, neq; eſſet ullum ex conſtitutivis rei, neq; ullum ex iis includeret, prout dicis. Sed hoc implicat. Ergo &c. Minor probatur 1mò quia implicat rem non eſſe, ſua tota manente eſſentia, eſſet alioqui & non eſſet; non eſſet, quia in dicta ſuppoſitione tolleretur, eſſet autem, quia maneret tota & adæquata illius eſſentia phyſica & conſequenter metaphyſica. 2dò quia implicat rem ſeparari realiter à ſua ipſius adæquata eſſentia, alioqui diſtingueretur realiter à ſua adæquata eſſentia. Atqui res, quæ manentibus omnibus ſuis conſtitutivis periret

ret, separaretur realiter ab adæquata sua essentia, illa enim non esset, essentia verò illius tota omnibus suis constitutivis perfecta & absoluta maneret. Ergo &c 3tiò. Implicat rem perire, cùm implicat de illa verè affirmari, quòd sit id, quod perit. Sed cùm manent omnia ipsius constitutiva, implicat de illa affirmari quòd sit id, quod perit, quia de nullo ipsius recto affirmabile est rectum illius, quod periit. Ergo &c Minor probatur. Omne illius rectum, quod periit, vel est adæquatum illius constitutivum, vel inadæquatum. Atqui in dato casu de nullo rei, quæ periit, constitutivo tam adæquato, quàm inadæquato est verè affirmabile rectum rei, quæ periit, quia omne illius constitutivum tam adæquatum quàm inadæquatum manet, jam autem rectum rei, quæ periit, non manet. Ergo &c. 4tò. Semel admisso, hoc, quòd non repugnet manentibus omnibus rei constitutivis, adeoq; ipso illius constitutivo adæquato existente, rem tamen non existere, nullum reliquum erit principium probandi ullius rei impossibilitatem; omne enim tale principium tandem reducitur in illud: *impossibile est idem simul esse & non esse*, istud autem in tali suppositione esset falsum, quia possibile esset idem simul esse & non esse, quia possibile esset rem non esse, & essentiam illius esse, res autem & essentia rei adæquata, sunt idem adæquatissimè.

135. Respondet *imò* unus ex Connotatistis in suis summulis hoc argumentum plus perplexitatis habere, quàm roboris. Sed hæc cen-

ſura, non reſponſio, non ſolutio eſt, immeritò quidem argumento affixa, quid enim hìc vel in ſpeciem perplexitatis? Reſpondet *2dò.* indirectè retorquendo. Quando ſolum id tollitur, quod non eſt tota rei eſſentia, tunc tota rei eſſentia manet. Sed quando tollitur ſola pars eſſentiæ, tunc tollitur id, quod non eſt tota rei eſſentia. Ergo quando tollitur ſola pars eſſentiæ, manet tota eſſentia. Retorſioni *imò* nego illam eſſe verè retorſionem, cùm nullum ex principiis, vel præmiſſis noſtri argumenti aſſumat. *2dò* nego abſolutè Majorem, ut enim tollatur tota rei eſſentia, ſeu ut quæ tota fuit, non ſit tota, non requiritur tolli id, quod eſt tota eſſentia, ſufficit tolli ipſius partem. *3tiò* poteſt diſtingui Major. Quando ſolum id tollitur, quod neq; adæquatè neq; inadæquatè eſt tota rei eſſentia, manet tota eſſentia rei, concedo; quando ſolum id tollitur, quod non eſt adæquatè, eſt tamen inadæquatè tota eſſentia, tunc manet tota rei eſſentia, nego Majorem. Sed quando tollitur ſola pars eſſentiæ, tunc tollitur id, quod non eſt adæquatè tota rei eſſentia, concedo; tunc tollitur id quod non eſt etiam inadæquatè tota rei eſſentia, nego Minorem & conſequentiam. Reſpondet *3tiò* directè diſtinguendo his terminis: *ratione ſui, ratione alterius*, contra quam diſtinctionem inſtabitur infra à num. 150.

136. Reſpondent *4tò:* diſtinguendo Majoris ſequelam. Periret res nullo conſtitutivo pereunte, pereunte tamen requiſito eſſentiali, concedunt; nullo conſtitutivo, nullo etiam requiſito eſſen-

essentiali pereunte, negant. Sed implicat rem perire nullo tam constitutivo quàm requisito essentiali pereunte, concedunt Minorem; nullo constitutivo pereunte, pereunte tamen requisito essētiali, negant Minorem & consequentiam. Contra est *immò*. Implicat rem perire nullo ex constitutivis pereunte, quamvis perirent omnia alia requisita essentialia à constitutivis adæquatè distincta. Sed si id, quo per possibile vel impossibile solo ex omnibus adæquatè inter se distinctis pereunte, res periret, nec esset, nec includeret in se constitutivum rei pereuntis; illa periret nullo ipsius constitutivo pereunte, quamvis aliquod essentiale requisitum ipsius periret. Ergo &c. Major probatur. Implicat rem perire, cùm manet tota ipsius essentia, quamvis non maneant omnia essentialiter requisita, quia implicat immediatè & formaliter rem non esse, cùm omnia illius constitutiva sunt, sive cætera illius sint, sive non sint, quia immediatè & formaliter ex ipsismet terminis implicat idem formaliter & immediatè esse simul, & non esse. Atqui res & tota essentia sunt immediatè & formalissimè idem. Ergo &c.

137. Contra *2dò*. Implicat rem perire, quamvis omnia alia intereant, cùm manent omnia rei de illa verè affirmabilia in recto, & ipsa ex illis collectio. Si enim de quolibet affirmabili in recto de aliqua re verificatur: *est*, *existit*, *manet*, etiam de re ipsa affirmabile & affirmandum est: *est*, *existit*, *manet*, quia hoc ipso omne rei rectū existit. Sed quamvis omnia requisita essentialia nō ma-

neant

neant, cùm tamen manent omnia rei constitutiva, tunc manent omnia verè de re affirmabilia in recto. Ergo &c. Similiter arguere potes ex hoc medio termino: *cùm manent omnia, quæ in conceptu quidditativo rei importantur in recto, manet res, quamvis non maneant importabilia tantùm in obliquo*, quia adhuc tunc manet tota quidditas rei.

138. Contra *3tiò*. Quoties manet, quidquid est res, manet res. Sed manentibus omnibus rei constitutivis, quamvis non maneat requisitum essentiale rei, ab illis adæquatè distinctum, manet quidquid est res, quia manet tota collectio constitutivorum, & singula ipsius constitutiva, in quibus solis totum concluditur, quidquid est res, nec enim illa est suum purum requisitum, cùm hoc ab illa sit adæquatè distinctum. Ergo manentibus omnibus constitutivis, quamvis non maneat requisitum essentiale, manet res. Adde, quòd si solo tali ex adæquatè distinctis requisito essentiali ablato, res manentibus constitutivis periret, hoc ipso idem requisitum essentiale, & solùm ex adæquatè distinctis periret, ut ponit suppositio, & non solum, quia ultra illud periret res adæquatè ab illo distincta, & manentibus quidem omnibus suis constitutivis. Ergo. &c.

139. Contra *4tò*. Implicat rem non manere manente sua existentia actuali. Sed non manentibus puris requisitis, quamvis essentialibus ad rem, manentibus autem omnibus constitutivis rei manet existentia actualis rei. Ergo non manentibus puris requisitis, quamvis essentiali-

bus

bus ad rem, manentibus autem omnibus illius constitutivis, manet res. Minor probatur. Manente existentia actuali omnium rei constitutivorum, manet existentia actualis rei, quia manet existentia actualis totius collectionis, seu constituti, quia manet collectio existentiarum actualium omnium constitutivorum, quæ ipsissima est existentia actualis totius constituti. Sed non manentibus quibuscunq; essentialibus puris requisitis, manentibus autem omnibus constitutivis, manet existentia actualis omnium rei constitutivorum. Ergo. &c.

140. Contra 5tò. Ex una parte in suppositione, in qua ponitur: *manere omnia rei constitutiva, & non manere pura essentialia requisita*, fortior secundùm se vis est manentium omnium constitutivorum, ad inferendam existentiam rei constitutæ, quàm sit non existentia puri requisiti essentialis ad inferendam non existentiam rei cum illo purè connexæ. Nam vis manentium constitutivorum omnium ad inferendam existentiam constituti est identitas adæquata rei constitutæ, cum omnibus suis collectivè constitutivis; jam vis non existentiæ requisitorum essentialium purè talium ad inferendam non existentiam rei cum illis connexæ, est pura essentialis connexio cum non existentia rei. Sed identitatis adæquatæ cum re, existentis, est major vis ad inferendam existentiam ipsius rei, quàm pura connexio unius non existentiæ, cum alterius adæquatè distincti non existentia, quia longè magis identitas adæquata

quata unius cum altero repugnat ſeparabilitati reali unius ex adæquatè identificatis ab alio, quia magis repugnat ipſorum reali diſtinctioni, quàm pura unius cum altero connexio, quamvis eſſentialis. Ergo &c Ex altera parte ſi inſuper in eadem ſuppoſitione eliditur tota vis non exiſtentiæ requiſitorum eſſentialium purè talium, ad inferendam non exiſtentiam rei, prorſus illam non infert. Sed in noſtra, & ipſius reſponſionis ſuppoſitione eliditur tota illa vis. Ergo &c. Minor probatur. Tota vis ad inferendam ex non exiſtentia requiſitorum eſſentialium purè talium, non exiſtentiam rei connexæ cum illis, conſiſtit in eo, quòd non poſſint ſola requiſita eſſentialia pura tolli, quin ſcilicet tollatur aliquod ſaltem conſtitutivum rei. Atqui iſta in prædicta ſuppoſitione eliditur, ſupponitur enim poſſe pura eſſentialia requiſita ſola tolli, ſeu ſola non exiſtere, iſtud enim ſignificatur per illud: *quo per poſſibile vel impoſſibile ſolo ablato*. Ergo. &c.

141. Contra. *6tò.* Juxta datam in reſponſione diſtinctionem negatur in Minori diſtincta, quòd implicet rem perire nullo pereunte conſtitutivo, ſi tamen pereat purum eſſentiale requiſitum. Ergo per reſpondentem talis Minor eſt falſa. Ergo contradictoria eſt vera: *non implicat rem perire nullo illius conſtitutivo pereunte, ſi pereat purum eſſentiale requiſitum.* Ergo non implicat ſolo puro requiſito eſſentiali pereunte, omnia rei conſtitutiva manere. Ergo etiam non implicat ſolo puro requiſito eſſentiali pereunte rem

ipſam

ipſam manere; ut probo. Omne requiſitum eſſentiale ad rem eſt etiam eodem modo requiſitum eſſentiale ad omnia rei conſtitutiva, vel ſaltem ad aliquod illius conſtitutivum; quod enim neq; ad omnia rei conſtitutiva, neq; ad ullum illius conſtitutivum eſſentialiter requiritur, neq; ad rem ipſam conſtitutam eſſentialiter requiritur. Ergo ſi requiſitum eſſentiale ad conſtitutiva rei omnia, vel aliquod, non obſtante tali requiſitione permittit non perire, ſed manere omnia rei conſtitutiva, permittet etiam non obſtante requiſitione eſſentiali ad eſſe rei, nullo illius conſtitutivo pereunte, etiam rem ipſam non perire. Ergo res nullo pereunte conſtitutivo, quamvis pereat ſuum purum eſſentiale requiſitum, poterit manere, cùm ideo præciſè non deberet manere, quòd in tali ſuppoſitione manere non poſſet; ſi itaq; poteſt, ut probatum, etiam debet.

142. Contrà 7mò. Implicat ablato ſolo ad eſſe rei requiſito, purè phyſico vel morali, vel quocunq; ad rem pertinente, manentibus autem omnibus rei conſtitutivis, & omnibus ad illius eſſe puris eſſentialibus requiſitis, rem non manere. Ergo etiam implicat ablato per impoſſibile puro requiſito eſſentiali, manentibus autem omnibus rei conſtitutivis, rem non manere; ita enim per ordinem ad ſuppoſitionem impoſſibilem habet ſe ablatio ſolius puri requiſiti eſſentialis, ut ad ſuppoſitionem abſolutè poſſibilem ablatio ſolius puri purè phyſicè requiſiti, vel rei pertinentis.

143. Reſpondent 5tò. Ablato ſolo eſ-
ſentiali

sentiali puro requisito nulla manere rei constitutiva, adeoq; rem ipsam non manere, quia in tali suppositione, quæ dicuntur constitutiva, non essent rei constitutiva, quia non haberent omnia essentialia requisita ad illam constituendam. Utebatur ista responsione jam olim R. P. Młodzianowski in sua Logica, ubi de Relatione; quæ responsio est opposita immediatè præmissæ responsioni, nam illa concedit non implicare, ut ablato puro requisito essentiali solo, maneant omnia rei constitutiva, res tamen intereat, hæc autem directè negat, ablato solo requisito puro posse manere constitutiva rei Interim ista duplicem sensum habere potest, uel hunc: *quòd manerent tunc quidem entitates constitutivorum omnium, sed non essent rei actualiter constitutivæ*, vel hunc: *quòd neq; essent constitutivæ, neq; etiam absolutè manerent eædem entitates*. Si hoc secundum ponit responsio, contrà sunt probationes Conclusionis allatæ, atq; etiam confirmantur paulò post dicendis. Si verò primum. Contra est *imò*. In qua suppositione manent & ipsæ entitates constitutivorum, & quidquid illas constituit in esse constituentium rem, in illa suppositione & entitates manent, & perstant esse constitutivæ rei. Sed in suppositione, in qua per possibile vel impossibile supponitur sola perire pura requisita &c. ad esse rei, vel etiam ad hoc, ut entitates sint actu constitutivæ rei, manent & ipsæ entitates, & quidquid illas constituit in esse constituentium. Ergo in eadem suppositione & entitates manent, & perstant esse constitu-

tivæ rei. Major conſtat, quia perſiſtente tota eſſentia & entitate rei & ſuæ conſtitutionis (ut ita dicam) activæ, manet & ipſa entitas, & eſt conſtitutivum rei, tota enim eſſentia conſtitutivi actualis, ut talis, eſt inſeparabilis à conſtitutivo ut tali, vi identitatis adæquatæ cum entitate & conſtitutione activa ſimul ſumptis. Minor probatur. In quo caſu entitates habent, quidquid illas conſtituit in eſſe requiſitorum eſſentialiter ad eſſe rei ſe totis & totaliter ex parte ſua identificatorum rei, in illo caſu habent, quidquid illas conſtituit in eſſe rem conſtituentium. Sed in quo caſu ſola perirent pura eſſentialia requiſita ad eſſe rei, vel etiam ad hoc, ut entitates ſint conſtitutivæ rei, in eo caſu entitates habent, quidquid illas conſtituit in eſſe requiſitorum eſſentialium ſe totis & totaliter identificatorum rei. Ergo &c. Major eſt à definitione conſtitutivi ſeu conſtituentis legitima, & ab ipſiſmet Novioribus Connotatiſtis hactenus non reprobata, arguens ad eſſe conſtitutivum ſeu conſtituens. Minor probatur. Imprimis enim etiam in tali caſu habent entitates, quidquid illas conſtituit in eſſe requiſitorum eſſentialium, quia etiam in tali caſu ſunt illa, ſine quibus res ex natura ſua etiam divinitus eſſe non poteſt, vg. Angelus A. & Angelus B. habent etiam tunc, quòd binarius eorundem Angelorum ex natura, quia ex quidditate ſua, non poſſit etiam divinitus eſſe ſine illis. Habent deinde tunc entitates illæ, quòd quælibet ſe tota, & totaliter ex parte ſua ſit identificata rei, vg. habet tunc & Ange-

Angelus A. & Angelus B. quòd uterq; se toto & totaliter ex parte sua sit identificatus binario, habet enim & Angelus A. & Angelus B, quòd illius entitas se tota & totaliter identicè includatur in binario. Ergo &c.

144. Contra 2dò: in eadem supposítione & Angelus A. & Angelus B. habet, quòd sit affirmabilis in recto quilibet, unus cum altero de binario, quia adhuc in eo casu verum est dicere: *binarius ex Angelis A. & B. est Angelus A. cum B. in recto*, ut volunt ipsi Connotatistæ, seu est Angelus A & B. collectivè. Ergo uterq; habet, quod utrumq; adæquatè ex sententia Connotatistarum, arguit esse actu constitutivum binarii.

145. Contra 3tiò. In quo casu manet tota essentia metaphysica binarii ex Angelis A. & B. manent & omnia constitutiva actu constituentia binarium in esse binarii. Sed in dicto casu manet tota essentia metaphysica binarii ex Angelis A. & B. quia manet, & verè affirmabile de illo binario est, quòd sit compositum numerale ex duabus præcisè unitatibus, nimirum unitate Angeli A. & unitate Angeli B. constitutum. Ergo. &c.

146. Dico 2dò. Quo solo ex adæquatè distinctis toto totaliterq; ablato res tollitur, ita, ut nihil simul adæquatè distinctum ab illa tollatur, illud est constitutivum rei. Probatur. Quod est requisitum essentiale ad esse rei, se toto totaliterq; identicum rei, est constitutivum rei. *imò*; quia hæc est legitima definitio Constitutivi, ut

probatum hic num. 52. *2dò* quia quod eſt adæquata vel inadæquata eſſentia rei, illud eſt conſtitutivum rei. Sed tale requiſitum eſt adæquata eſſentia rei, ſi etiam res ex parte ſua tota & totaliter illi identificetur, vel inadæquata, ſi hæc illi taliter non identificetur. Ergo &c. *3tiò*. ex principiis Connotatiſtarum. Quod eſt vel ſe ſolo vel cum alio in recto affirmabile de re illud eſt conſtitutivū rei. Sed quod eſt tale, ut ſuprà, requiſitum, eſt vel ſe ſolo vel cum alio in recto verè affirmabile de re. Ergo &c. Sic probata Majore, pono jam Minorē. Sed quo ſolo ex adæquatè diſtinctis toto, & totaliter ablato res tollitur, ita, ut nihil ſimul ab illa realiter adæquatè diſtinctum tollatur, eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe rei, ſe toto totaliterq; ex parte ſua identicum rei. Ergo &c. Minor probatur. Quod à re neq; diſtinguitur adæquatè, neq; etiā includit quidquam ab illa adæquatè diſtinctum, eſt illi ex parte ſua adæquatè identicum, adeoq; conſequenter ad eſſe illius eſſentialiter requiſitum. Sed quo ex adæquatè realiter diſtinctis ſolo totaliter ablato res tollitur, ita, ut &c. illud neq; ab iſta re adæquatè diſtinguitur, neq; quidquam in ſe includit ab illa adæquatè diſtinctum. Ergo quo ex adæquatè &c. *Major immediata probatur*. Quod eſt vel tota entitas rei, vel pars (ſive ſtrictè, ſive latiùs ſumpta) entitatis rei, illud eſt ex parte ſua adæquatè identicum rei, quia ſi eſt tota entitas rei, eſt adæquatè illi tum ex parte ſua, tum ex parte illius quid identicum; ſi rurſus eſt pars rei, eſt illi præciſè ex parte ſua quid adæquatè identicum, quia omnis pars alicujus, totam & totaliter

ſuam

ſuam entitatem illi identificat, eſt enim res in ſuo toto ſecundùm totam ſuam entitatem, & ſecundùm quamlibet ſuam partem identicè incluſa. Sed, quod à re neq; ipſum adæquatè diſtinguitur, neq; includit in ſe quidquam ab illa adæquatè diſtinctũ, eſt vel tota entitas rei, vel pars ipſius. Ergo &c. Minor immediata probatur. Quod non eſt adæquatè diſtinctum à re, eſt illi aliqua ratione identificatum. Ergo vel adæquatè abſolutè, vel inadæquatè. Si adæquatè abſolutè, eſt tota entitas rei. Si verò inadæquatè. Ergo illi identificatur, vel ut habens cum illa aliquam communem & aliquam non communem partem, vel ut illam tanquam ſuam ipſius partem includens, vel ut incluſum identicè in illo, neq; enim datur alia ſpecies identitatis inadæquatæ. Sed quod neq; eſt adæquatè diſtinctum à re, neq; quidquam includit ab illa adæquatè diſtinctum, non eſt habens cum illa partem aliquam communem, aliquam non communem, quia iſtud includit in ſe aliquid ab illa adæquatè diſtinctum, ſcilicet partem, quam non habet cum illa communem; neq; eſt totum, illam in ſe ut partẽ includens, quia & iſtud includit aliquid ab illa adæquatè diſtinctum, ſcilicet alteram illius compartem. Ergo ſupereſt unicum, ut illi identificetur, ut aliquid ſecundùm ſe totum & totaliter incluſum in illo, ſeu ut pars ſuæ entitatis. Ergo &c. *Iam Minor ſecundi argumenti probatur*. Si illud quo ſolo ex adæquatè &c. totaliter ablato res tollitur, eſſet adæquatè diſtinctum à re, quæ ad ipſius ablationem tollitur, eſſet & hæc adæ-

quatè ab illo distincta, cùm talis distinctio sit essentialiter mutua. Sed hoc non. Ergo &c. Minor probatur. Si ab illo quod ex adæquatè realiter &c. solùm tollitur, res, quæ ad ablationem illius solius tollitur, esset adæquatè distincta, tunc illud quod ex adæquatè inter se distinctis solũ tollitur & solum ex illis tolleretur ut supponitur, & non solum, quia aliud quoq; ex adæquatè distinctis ab illo adæquatè distinctum, plus, insuper, & ultra tolleretur. Ergo illud non unum & solum tolleretur, sed minimùm duo tollerentur.

147. Dico 3tiò. Quo solo ex adæquatè distinctis per possibile vel impossibile sive totaliter, sive secundùm quamcunq; demum illius partem sublato res tollitur, illud est constitutivũ rei. Probatur. Quod est ex parte sua se toto totaliterq; identicum rei, est constitutivum rei, quia hoc ipso ex una parte est requisitum essentiale ad esse rei, est enim vel tota essentia illius, vel saltem pars ipsius, res autem ex natura sua, neq; sine tota sua essentia, neq; sine illius parte etiam divinitus esse potest &c; ex altera parte se toto & totaliter est identicum rei; ac proinde est absolutè requisitum essentiale ad esse rei, se toto totaliterq; identicum rei, adeoq; constitutivum ipsius. Sed quo solo &c, seu totaliter, seu secundùm quamcunq; demum suam partem ablato res tollitur, est se toto totaliterq; ex parte sua identicum rei. Ergo &c. Minor probatur. Quod est se toto, & qualibet sui parte identificatum rei, est ex parte sua se toto totaliterq; identicum rei, neq; enim

aliud

aliud per prædicatum, nisi quod in subjecto dicitur, intelligitur. Sed quo solo &c, sive totaliter, sive secundùm quamcunq; demum suam partem ablato res tollitur, illud est se toto, & qualibet sui parte identificatum rei. Ergo quo solo &c. Minor probatur; est enim identificatum rei, quia res ab illo non distinguitur adæquatè, aliàs non periret, sed maneret, quia omnia adæquatè distincta à solo ex adæquatè distinctis manere debent, ut constat ex dictis hìc num. 12. Ergo illi identificatur, vel adæquatè præcisè ex parte sua, & sic in illo identicè includitur ut pars in toto; vel mutuò adæquatè, & sic est tota illius entitas, adeoq; constitutivum adæquatum illius &c.

148. Dico *4tò*: Quo per possibile vel impossibile ablato quocunq; ex prædictis, 2da & 3tia Conclusione modo, & omnibus aliis ab illo realiter adæquatè distinctis per possibile vel impossibile manentibus res tollitur, illud est constitutivum rei. Conclusio probanda est, iisdem argumentis, quibus immediatè præmissæ duæ Conclusiones; ea tantummodo cautione, ut ubi dicitur, quòd illud ad cujus ablationem res tollitur, & solum & non solum tolleretùr, hìc dicatur, & omnibus & non omnibus ab illo realiter adæquatè distinctis permanentibus tolleretur &c; hæc enim & omnia permanerent, & non omnia, contra suppositionem.

149. Respondent *imò*. Connotatistæ retorquendo argumenta in probationem superiorum Conclusionum adducta. Si illa, *inquiunt*, aliquid

 quid

quid evincerent, evincerent quòd etiam ablata ſola parte totum non periret. Sed retorſio nulla eſt, quia ſi ex adæquatè diſtinctis, ſola parte ablata tollitur totum, non ſequitur illam ex adæquatè diſtinctis perire non ſolam, totum enim & pars totius non ſunt adæquatè diſtincta.

150 Reſpondent *2dò* directè, diſtinguendo ſuprà poſita indicia. Quo ſolo ablato perit res ratione ſui, illud eſt conſtitutivum rei, concedunt. Quo ſolo ablato perit res ratione alterius, illud eſt conſtitutivum, negant. Deinde ad illas illationes: *auferretur illud ſolum & non ſolum*. reſpondent per eosdem terminos: auferretur ſolum ratione ſui, & non ſolum ratione alteriꝰ concedunt. Ita *inquiunt*, ſola pars aufertur ratione ſui, & totum ratione alterius, ſcilicet ratione partis à ſe inadæquatè diſtinctæ. Auferretur ſolum ratione ſui, & non ſolum ratione ſui negant. Nō omnino conſequenter prima pars diſtinctionis à Connotatiſtis conceditur, cùm illi doceant ſolo termino connexionis ablato, & illum ratione ſui perire, & rem quoq; connexam perire ratione ſui, & quod fortaſſis mireris, etiam immediatè & formaliter. Sed contra *imò*. Per Connotatiſtas ablata parte perit totum, non ratione ſui ſed ratione alterius, ſcilicet ratione partis, ut dicunt in 2da diſtinctione. Ergo per illos pars non eſt conſtitutivum totius, negant enim 1ma diſtinctione conſtitutivum eſſe, quo ſolo ablato perit res ratione alterius.

151. Contra *2dò*. Quo ſolo ablato &c. (ali-

(aliquo ex iis modo, de quibus Conclusiones, quod semel pro semper suppono, sicut & illud: per possibile vel impossibile, atq; etiam illud: ex realiter adæquatè distinctis inter se) perit res ratione sui, illud est constitutivum. Sed quo solo ablato perit res, perit ratione sui. Ergo &c. Minor probatur. Per Connotatistas perire rem in sua entitate, est perire rem ratione sui. Sed quo solo ablato perit res, perit in sua entitate, quia perit vel in tota sua entitate, vel in partis suæ entitate (ac proinde perit in sua entitate, cùm & tota entitas totiꝰ & entitas partis, sit entitas totiꝰ) quia quo solo ablato perit res, est entitas toti adæquatè, vel inadæquatè identificata, quia quo solo ablato perit res, perit ideo, quia istud, quod solum supponitur auferri, est se toto & totaliter, aut præcisè ex parte sua, aut simpliciter adæquatè illi identificatum. Ergo &c.

152. Contra 3tiò. Dum ad ablationem alicujus solius res perit, quamvis pereat ratione alterius, verè tamen, & in seipsa perit. Ergo etiamsi aliquo solo ablato res pereat ratione alterius, illud est constitutivum rei vel includit constitutivum ipsius. 1mò. Declaratur Antecedens hujus argumenti. Tum quia ratione alterius perire juxta Dialecticam est perire in se, & absolutè, rationem autem, cur ita pereat, quiddam alterum esse. Tum quia si in se non perit. Ergo in se manet. Ergo quomodo ratione alterius perit? Tum quia ratione sui revera nunquam quidquam perit, nec enim ullum ens reale est sibi ipsi ratio pereundi, nam

si

si agitur, ut ita dicam, de peritione formali, ista est negatio rei formaliter illius exclusiva. Porro nullum ens reale est formalis negatio, seu formale suum non esse, cùm enim per entitatem suam sit formale esse suum ob formalem existentiam sibi adæquatè identificatam, non potest esse formale non esse sui, quia aliàs esset sui ipsius & formale esse, & formale non esse, quod est chimericum. Quodsi res est de negatione activa, seu causali, non est etiam talis negatio sui, quia negatio causalis, & activa entis realis est aliquid essentialiter, vel saltem physicè connexum cum negatione formali rei. Porro nullum ens reale connectitur seu essentialiter, seu physicè cum formali sui ipsius negatione, hoc enim ipso exigeret se esse, & non esse, nec sine se, nec secum esse posset, quia non posset esse sine formali suo non esse. Tum quia de quo verè affirmabile est, quòd pereat, debet juxta principia Connotatistarum rectum illius identificari recto pereuntis. Ergo in recto sibi adæquatè identificato, adeoq; in se ipso debet perire, si verè etiam ratione alterius perit. *2dò.* Declaratur ejusdem primi argumenti consequentia, quia etiamsi aliquo solo ablato res pereat ratione alterius, si tamen illa verè pereat, illud est constitutivum rei, vel includit constitutivum ipsius, siquidem res, quæ aliquo solo ablato ratione alterius perit, vel perit ratione alterius per solam rationem distincti, vel ratione alterius realiter inadæquatè distincti, ejusq; aut inclusi in re, aut includentis rem, vel præcisè ratione alterius realiter

adæ-

adæquatè diſtincti. Si ratione alterius per ſolam rationem diſtincti. Ergo hoc alterum eſt conſtitutivum rei adæquatum, ſaltem latiùs tale, ut aliqui Connotatiſtæ vocant. Si ratione alterius realiter inadæquatè diſtincti incluſi in re. Ergo hoc alterum eſt conſtitutivum rei inadæquatum. Si ratione alterius realiter inadæquatè diſtincti à re includentis rem. Ergo hoc alterum includit conſtitutivum rei. Si deniq; ablato aliquo ſolo res perit præcisè ratione alterius realiter adæquatè diſtincti; hoc non poteſt eſſe. Tum quia in prædictis conſtitutivi indiciis ſupponitur res perire ad ablationem ſolius ex adæquatè diſtinctis, ſeu omnibus aliis adæquatè diſtinctis manentibus &c. Tum quia ſupponamus, quòd ex duobus adæquatè diſtinctis entibus unum ſolum pereat; quî ergo fieri poteſt, ut tunc alterum quoq; vel ratione ſui, vel ratione alterius pereat? quid deinde eſſet non unum, ſed duo perire? quid ſi etiam ſupponamꝰ unum ex illis perire, alterum verò manere? quomodo manens alterum, cùm maneat, perit? Tum quia implicat rem in ſe non exiſtentem præcisè ratione alterius exiſtentis exiſtere. Ergo etiam implicat rem in ſe exiſtentem præcisè ratione alterius perire, ut enim implicat rem, quæ in ſe non exiſtit, verè tamen ex eo exiſtere, quòd aliud ab ipſa adæquatè diſtinctum exiſtat, ita &c.

153. Objiciunt *imò*. Aſſignata conſtitutivi indicia ſunt obſcuriora illo, cujus ſunt indicia; debet autem indicium notius eſſe illo, cujus eſt indicium. Rurſus indicia illa habentur pro pri-

mo

mo principio ad inferendum de aliqua re, quòd sit constitutivum; principium autem debet esse notius illo, quod ex ipso est inferendum, imò debet ex se notum esse & indisputabile. Atqui data indicia non sunt notiora eo, quod ex ipsis est inferendum; non sunt etiam ex se & immediatè nota, suntq; valde disputabilia. Ergo &c. Respondeo. Hæc omnia in iisdem terminis contra indicium à Connotatistis assignatum meritò retorquenda. Directè. Indicium non debet esse notius eo explicativè, cujus est indicium, ut indicium constitutivi ipso constitutivo; neq; enim indicii doctrinalis finis est rem explicare, ut est finis definitionis, divisionis, sed notificare illativè & Logicè connexivè, hoc est, esse aptum medium ad inferendum de aliquo, quòd sit constitutivum (non, quid sit illud esse constitutivum) de quo constiterit, quòd illi tale indicium conveniat. Quanquam etiam solo per possibile vel impossibile ablato tolli rem, constat omnibus terminis clarioribus, quàm esse constitutivum, quia constat ferè terminis primarũ notionum, quales sunt: *esse, non esse, possibile, impossibile, solum, non solum, &c.* cujuslibet significatum est vel tironibus Philosophiæ clarum & perspectum. Indicia illa meritò habentur pro primis principiis in præsenti materia, & probationes illorum consistunt in mera terminorũ evolutione, quâ semel positâ, neq; seriò disputabilis est illorum veritas, neq; hactenus quidquam contra eadem principia objectum habemus, quod non sit simile objicibilibus contra principium: *impossibile*

ſibile eſt idem eſſe & non eſſe. Totum majus eſt ſua parte &c. Quòd per plures terminos à Connotatiſtis diſtinguantur eadem principia, illorum evidentiæ nihil obeſt. Tum quia omnes termini ferè reincidunt in eosdem, & ſua ipſorum principia per eosdem terminos reddunt diſtinguibilia. Tum quia pluribus quoq; terminis illud: *impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, à pluribus limitatur, diſtingvitur, neq; ideo illud à principii ratione dejicitur.

154. Objic. *2dò.* Principia aſſignata non ſunt univerſalia, quia non conveniunt omni conſtitutivo. Reſpondeo. Nego Antecedens cum ſua ratione, cui enim non conveniunt conſtitutivo? Quanquam ad univerſalitatem indicii & principii non requiritur, ut conveniat omni; ſufficit quòd ſoli, & quòd omni, cui illud convenit, conveniat eſſe conſtitutivum. Vide dicta hìc num. 65.

155. Objiciunt *3tiò.* Principia prædicta non conveniunt ſoli conſtitutivo. Probant *imò.* quia conveniunt connotato antonomaſticè tali. Reſpondeo. Nego aſſumptum cum ſua ratione, quia principia dicta ita conveniunt connotato antonomaſticè tali, ſicut convenit eſſe hircum hirco non hirco, hominem homini non homini &c.

156 Probant *2dò.* Iſta indicia conveniunt etiam iſtis, quæ in conceptu quidditativo importantur purè in obliquo. Porro *imò* nulla neceſſitas eſt, ut iſta ſint conſtitutiva. *2dò.* Si hæc, quæ

quæ importantur purè in obliquo, essent constitutiva, tunc etiam termini connexionis rerum connexarum, & termini relationum transcendentalium, essent constitutiva relatorum transcendentaliter. 3tiò quia quæ importantur in obliquo, nunquam sunt verè affirmabilia in recto de recto subjecti in cujus obliquo importantur. Respondeo ista jam esse objecta, & soluta. Aliqua obliqua sunt constitutiva, aliqua non, prout scilicet aliquod ex indiciis designatis convenit illis vel non convenit, & respectu quorum convenit. Dices, non est major ratio pro quibusdam, quàm pro aliis. Respondeo. Erit major & maxima ratio pro illis, quibus conveniet aliquod ex prædictis indicium constitutivi comparatè ad illa, quibus non convenit. *Ad 1mum* in contra dico, quòd ipsa indicia necessitatem probant imò demonstrant, illa debere esse certò & evidenter constitutiva, cui certò & evidenter conveniunt designata indicia. *Ad 2dum.* Nego sequelam, quia & connexio & relatio transcendentalis manet solis per possibile vel impossibile ablatis terminis à connexione & relatione adæquatè distinctis. *Ad 3tium.* Nunquam sunt affirmabilia in recto de subjecto concepto vel significato per terminum formalem, per quem importantur purè in obliquo, transeat; nunquam sunt affirmabilia de subjecto concepto vel significato, per terminum importantem illa vel formaliter vel æquivalenter & suppositivè in recto nego, ut jam suprà Disp. 1. & hac ipsa Quæst. 3. quamvis istud non sit omnino necessarium ad tuendam rationem

tionem conſtitutivi, cùm etiam abſolutè admiſſo Connotatiſtarum principio, ſine negotio defendi poſſit, ut patebit ex dicendis ſequenti Diſputatione Quæſt. 3.

157. Probant 3*tiò*. Iſta indicia conveniunt in Divinis vg. Filiationi Divinæ reſpectu Paternitatis, quamvis Filiatio non conſtituat Paternitatem, ut probatur hoc ſyllogiſmo: *Quo ſolo ablato perit Deitas, illo ſolo ablato perit Paternitas. Sed quo ſolo ablato perit Filiatio, illo ſolo ablato perit Deitas. Ergo quo ſolo ablato perit Filiatio, illo ſolo ablato perit Paternitas. Ergo Filiatio eſt conſtitutivum Paternitatis.* Retorqueo contra indicium ab Adverſariis aſſignatum: *Deitas eſt Paternitas. Sed Filiatio eſt Deitas. Ergo Filiatio eſt Paternitas. Ergo Filiationis conſtitutivum eſt Paternitas.* Et hæc quidem retorſio directè & per ſe probat Filiationem eſſe Paternitatem, utiturq; quamvis non ſignatè, exercitè tamen indicio Connotatiſtico, hoc eſt, non quidem affirmando, quòd unum de alio ſit affirmabile, ſed re ipſa affirmando unum de altero in recto. Jam ſyllogiſmus objectionis neq; exercitè, neq; ſignatè utitur noſtro conſtitutivi indicio, qualiter uti neceſſe eſt, ad inferendum quòd Filiatio ſit conſtitutivum Paternitatis: ſed neq; illo abſolutè utitur, ſiquidem ly *quo ſolo ablato res tollitur* jam negavimus, ut illimitatè profertur, eſſe indicium conſtitutivi. Modus, quo procedit, ad ſummùm probat aliquod conſtitutivum Deitatis eſſe conſtitutivum Paternitatis, & aliquid Deitatis eſſe commune Filiationi, & tandem

dem aliquod commune Filiationi eſſe commune Paternitati. Iſtud ad ſummùm affirmant præmiſſæ & immediata concluſio, ex qua nullo modo ſequitur, Filiationem eſſe conſtitutivum Paternitatis; neq; enim quia binarius ex Angelis A.B. habet aliquod commune conſtitutivum binario ex Angelis A.C. rectè inferes binarium A.B. eſſe conſtitutivum binarii ex Angelis A.C. Directè *imò.* Nego 2dam illationem ex immediatè dictis. 2*dò.* Ut reſponderetur à Connotatiſtis ad ſyllogiſmum noſtræ retorſionis negando conſequentiam ob medium terminum non diſtributum, vel diſtinguendo Majorem, & ſupplendo diſtributionem: omne quod eſt Deitas eſſe Paternitatem negando; aliquod, quod eſt Deitas, eſſe Paternitatem concedendo; ita pariter ſyllogiſmo objecto, vel conſequentiam nego, vel diſtinguo Majorem. Omni, quo ſolo ablato perit Deitas, illo ſolo ablato perit Paternitas, nego. Aliquo, quo ſolo ablato perit Deitas, illo ſolo ablato perit Paternitas, tranſeat. Cùm enim in Divinis & Paternitatem, & Filiationem, utramq; completè ſumptam conſtituat Deitas, ut commune utriq; conſtitutivum, & rurſus Deitatem phyſicè & philoſophicè ſumptam conſtituant tam Paternitas, quàm Filiatio, fieri poteſt, & ita ex multorum ſententia eſt, quòd ſola ablata Deitate pereat Paternitas phyloſophicè ſumpta, & Filiatione quoq; ſola ablata pereat Deitas philoſophicè ſumpta, non tamen ut quocunq; ſolo ablato perit Deitas philoſophicè ſumpta, illo ablato pereat etiam Paternitas philoſophicè ſumpta, quia in ſen-

tentia

tentia communiore Theologis, Paternitas etiam physicè completè sumpta constituitur præcisè Deitate Theologicè sumpta, & Paternitate. Jam in sententia minùs communi quidquid constituit essentiam physicè philosophicè sumptam, constituit etiam Personas physicè philosophicè sumptas, mediante essentia. Quodsi loqui velis de Deitate & Personis Theologicè sumptis, falsa erit Major, & Minor, & consequens utrumq; syllogismi. Si enim de istis Theologicè sumptis loquaris intra terminos statûs intentionalis & metaphysici, neq; quo solo ablato tollitur Deitas, illo solo ablato tollitur Paternitas, neq; quo solo ablato tollitur Filiatio, illo solo ablato tollitur Deitas, quia cùm à se & ut ad se comparantur, Deitas & Paternitas, Filiatio & Deitas, distinguantur adæquatè ratione ratiocinata, non quocunq; solo ex parte actûs non cognoscitur Paternitas, etiam non cognoscitur Deitas, utraq; Theologicè sumpta. Idem de Filiatione. Quod si de iisdem & eodem modo sumptis discurrere volueris intra terminos statûs objectivi, non quo solo ablato Deitas per impossibile distincta à Deitate tollitur, illo solo ablato Paternitas per impossibile distincta à Deitate tollitur &c.

158. Probant *4tò.* et in hac probatione, quæ tamen in mera æquivocatione consistit, ponunt robur Achilleum. Non omne requisitum essentiale ad rem est constitutivum rei, ut vg. Deus creaturæ, & tamen omne requisitum essentiale est id, quo solo ablato aufertur res, ad quam essentialiter requiritur. Sic ablato solo Deo tollitur

creatura, quia ex ablatione solius DEI sequitur auferri creaturam, quia in hoc enthymemate: *auferetur Deus. Ergo creatura aufertur*, ex solius Dei ablatione infertur perire creaturam. *imò* enim ex cujus alterius ablatione? *2dò.* Ex illius solius ablatione infertur in prædicto enthymemate tolli creaturam, cum quo essentialiter connectitur creatura. Sed solus est DEUS, cum quo connectitur creatura. Ergo ex solius DEI ablatione infertur tolli creaturam. *3tiò.* Si non ex solius DEI ablatione inferretur tolli creaturam vg. Petrum, inferretur tum ex DEI, tum ex Petri ablatione. Sed hoc non. Ergo &c. Minor probatur. *imò* si ex utraq; illa ablatione inferretur tolli Petrum, Petrus non satiùs connecteretur cum DEO, quàm cum lapide, quia etiam ex ablatione lapidis & simul ablatione Petri sequitur auferri Petrum. *2dò* quia nunquam posset probari, quòd DEUS sit requisitum essentiale creaturæ, ex eo enim quòd ablatis DEO & creatura, sequatur creaturam interire, tam non sequitur Deum esse requisitum essentiale ad esse creaturæ, quàm non sequitur lapidem esse requisitum essentiale ad esse hominis ex eo, quòd ablatis lapide & homine, sequatur hominem perire. *3tiò* quia si ad rationem requisiti essentialis non requiritur, ut illo solo ablato pereat res, etiam lapis erit requisitum essentiale ad esse hominis, quia etiam lapide non solo ablato, sed cum homine, sequeretur auferri hominem.

159. Respondeo *imò*. Argumentum probat quòd ex DEI ablatione, sequatur solam creatu-

creaturam perire, adeoq; illam perire, & Deum non perire; id enim infers, cum quo ablatio Dei connectitur. Atqui ablatio Dei cum solius creaturæ ablatione connectitur. Ergo solius creaturæ infers ablationem. Probat etiam quòd sola existente creatura DEUS existeret, quia ex solius creaturæ existentia infertur Deum existere. Probat præterea universaliter, quod sola re connexa existente existeret terminus connexionis; quòd cùm de una re quacunq; quodcunq; prædicatum affirmas, possis illud de quolibet alio negare, quia cùm de uno affirmas, de uno solo affirmas, jam verò ex affirmatione prædicati de aliquo solo sequitur illud debere negari de aliis, ut si affirmes: *Petrus est homo*, poteris inferre: *Ergo Paulus non est homo. Ergo Andreas non est homo*, & sic de aliis. Probat deniq; quòd etiam solo requisito, non tantùm essentiali, verùm etiam purè morali ablato, res auferretur, quia etiam ex solius talis requisiti ablatione, rectè, & in plurium Connotatistarum sententia scientificè infertur rei physicè vel moraliter connexæ ablatio. Totum istud argumentum in mera & affectata, ut jam insinuavi, æquivocatione consistere manifestè patet in terminis illam explicaturis.

160. Respondeo. 2dò directè. Nego 2dam partem assumpti, cum suo exemplo, & ejus ratione. Hujus probationem distinguo. In hoc enthymemate &c. ex solius DEI ablatione solitudine medii ad inferendum assumpti infertur ablatio creaturæ transeat; nam in quolibet enthymemate

mate implicitè assumitur præmissa desiderata, cùm enthymema sit Syllogismus truncatus. In hoc enthymemate &c. ex solius DEI ablatione solitudine ablati DEI, infertur ablatio creaturæ, nego. Quod in distinctione permittitur, facit sensum: *DEI ablatio assumitur pro antecedente ad inferendam ablationem creaturæ, & nihil aliud assumitur pro antecedente ad inferendam ablationem creaturæ.* Quod negatur, habet hunc sensum: *in enthymemate dicto assumitur ad inferendam non existentiam creaturæ, quòd solus DEUS auferatur, seu quòd DEUS auferatur, & nihil adæquatè distinctum à DEO auferatur,* quod evidenter est falsum, neq; ad inferendum, quod intenditur, prodesset, imò ex parte enthymematis implicitè satiùs oppositum supponitur, quòd non possit solus DEUS auferri, seu quòd non possit DEUS auferri, quin creatura auferatur, hoc enim nisi supponatur, illatio est nulla. Si verò DEI solius ablatio solitudine DEI ablati ponenda esset, (ut revera ponenda esset ad intentum præsentis materiæ evincendum) deberet istud enthymema substitui: *solus DEUS aufertur: Ergo creatura aufertur.* Unde, si rei suæ confidunt Connotatistæ, candidè & cordatè istius enthymematis illationem probent, ut aliquid ad rem, de qua disputamus, agant. Posset quoq; eadem probatio, etiam sic distingui. In præfato enthymemate ex solius *præcisivè* DEI ablatione infertur ablatio creaturæ, permitto assumptum. In præfato enthymemate ex solius *positivè* DEI ablatione infertur ablatio creaturæ, nego assumptum. Porro ex solius præ-

cisivè

cisivè DEI ablatione inferri ablationem creaturæ est ablationem creaturæ inferri ex propositione simplici exprimente quidem ablationem DEI, sèd præscindente ab hoc, solusnè vel non solus auferatur DEUS; taleq; est antecedens illius, de quo hìc, enthymematis. Ex solius positivè DEI ablatione inferri ablationem creaturæ est ablationem creaturæ inferri ex propositione copulativa exprimente formaliter, vel æquivalenter ablationem DEI, & nullius alterius ablationem vg. ex hac: *DEUS solus aufertur*, vel ex ista: *Deus aufertur, & nullum aliud ens aufertur. &c.*

161. *Ad rationem in contra unam* dico, ex nullius alterius ablatione inferri ablationem creaturæ in prædicto enthymemate, quia nullius alterius rei ablatio assumitur in eodem enthymemate ad inferendam non existentiam creaturæ; inde tamen non sequitur, quòd ex ablatione alicujus alterius inferatur eadem non existentia, quia propositio negans inferri ex alterius ablatione, nempe hæc: *ex nullius alterius præter Deum ablatione infertur non existentia creaturæ*, est negativa, & significat nullius alterius entis ablationem assumi ad inferendam ablationem creaturæ, quod verum est; hæc autem propositio: *ex ablatione alicujus alterius, præter Deum infertur non existentia creaturæ*, est propositio affirmativa, affirmans quòd ex ablatione DEI, & alterius à DEO rei ablatione in enthymemate inferatur non existentia creaturæ. Porro ex priore negativa hæc altera non sequitur, sicut cùm affirmo: *Petrus currit*, verum

eſt, quòd de ſolo Petro affirmem illius curſum, quia de nullo alio affirmo, falſum tamen eſt, quod affirmem ſolum Petrum currere; affirmo de Petro, ab aliis præſcindo, ſeu nihil affirmo, nihil nego. Neq; inde rectè intuleris: *non affirmas ſolum Petrum currere. Ergo affirmas Petrum, & alium quempiam currere.*

162. *2dæ rationi* Nego *imò* Minorem, creatura enim non cum ſolo DEO, ſed plerumq; connectitur etiam cum aliis creaturis, ut cum actione productiva, cum ipſa cauſa creata, à qua eſſentialiter dependet, & aliis. Diſtinguo *2dò* Majorem ut immediatè antè. *3tiò* rectè ordinata Majore, argumentum eſt ſimilis formæ ac iſtud: *Cum quo comedis, cum illo vivis. Sed cum ſolo Petro comedis. Ergo cum ſolo Petro vivis. Quod eſt homo, eſt animal. Sed ſolum animal rationale eſt homo. Ergo ſolum animal rationale eſt animal* & ſic de aliis ſimilibus. Quodſi pro Majore poſueris: *cum quo ſolo creatura connectitur, illo ſolo ablato tollitur*, falſam pones etiam Majorem, ſive illi hunc ſenſum ſuppoſueris, in quo diſcurrimus, ſive hunc alium: *cum quo ſolo creatura connectitur, illud ſolum eſt, ad cujus ablationem res tollitur*, quia etiam ad ablationem ſui ipſius & ſui cujuscunq; conſtitutivi tollitur.

163. *3tiæ rationi* nego ſequelam, quia in prædicto enthymemate neq; ex ablatione ſolius Dei, neq; ex ablatione DEI & alterius entis vg. Petri, ſed ex ablatione DEI ſecundùm ſe, præſcindendo & ab eo, quòd ſolus pereat, & ab eo,

quòd

quòd cum alio pereat, infertur perire creaturam. Sicut cùm ex hoc antecedente: *Petrus currit*, infers: *Petrum moveri*, neq; ex eo infers, quòd Petrus solus currat, neq; ex eo, quòd currat cum alio, sed Petrum currere assumis, reliqua relinquis. Minor etiam istius rationis, equidem est vera, sed nulla ex adductis ratio illam esse veram probat. *Non prima*; quia ex ablatione, DEI, & vg. Petri, infertur duplici titulo ablatio Petri, ex ablatione verò lapidis & Petri, solùm uno infertur titulo, ut mox dicetur. Quare nego sequelam, & suæ rationi illationem. *Non 2da*; nego enim iterum sequelam, quia ex ablatione DEI & creaturæ potest probari DEUM esse requisitum per duplicem illationem, unam pro antecedente alterius assumendo sic: *Deus & creatura pereunt. Ergo perit Deus*, (quæ prima illatio est arguens à veritate totius copulativæ ad veritatem unius proprositionis in illa contentæ) *Ergo & creatura perit* (quæ 2da illatio probat Deum esse requisitum essentiale ad esse creaturæ, quatenus non tantùm ex antecedente, sed etiam ex prima illatione rectè consequitur) Non sic procedi potest in altera hac illatione: *lapis & homo pereunt. Ergo lapis perit. Ergo homo perit*, quæ 2da illatio ex prima illatione non sequitur, quamvis ex antecedente sequatur. Item cum quocunq; demum supponas auferri DEUM, sive cum lapide, sive cum musca, sive cum bove &c. sequetur semper auferri Petrum; jam autem si cum quocunq; sumas auferri lapidem, vg. cum musca, vel bove, non rectè inferes auferri Petrum. Ergo manifestè

apparet ablationem DEI, etiam cum alterius rei ablatione aliter se habere ad alterius rei ablationem vg. Petri, quam se habeat lapis. *Non 3tia*; quia nego itidem sequelam similem huic: *si ad rationem animalis non requiritur, ut sit rationale, tunc etiam lapis esset animal, quia & lapis non est rationalis*. Ad rationem quidem essentialis requisiti non requiritur, ut illo solo sublato res auferatur, sed neq; sufficit, quòd illo unà cum re, cujus ablatio est inferenda, ablato, res pereat; sicut ratiocinari quidem non requiritur ad esse animal, sed neq; sufficit ad esse animal non ratiocinari, & sicut esse lapidem non requiritur ad esse vivens, sed neq; sufficit ad vivens, non esse lapidem. Hoc, ut solo sublato res pereat, non requiritur ad esse requisiti essentialis, requiritur tamen, ut ad illius ablationem res pereat. Licet lapis respectu hominis non habeat hoc, quòd non requiritur ad esse requisiti, tamen ex hoc nō sequitur, quòd habeat aliud requisitum ad esse requisiti, scilicet ut sine illo homo ex natura sua etiam divinitus esse non possit.

164 Instant Connotatistæ. Etiam ista illatio: *DEUS solus perit. Ergo creatura perit* est recta, & subsistens *imò*: quia ex ratione connexionis essentialis creaturæ cum DEO verissimum est, quòd si per impossibile etiam solus Deus auferretur formaliter, eo ipso deberet consequenter etiam immediatè & formaliter creatura perire. Tum quia Deus est immediatum requisitum essentiale creaturæ. Ergo ad ablationem illius

imme-

immediatè & formaliter perit creatura. Tum quia aliquo requisito essentiali solo ablato est perire rem immediatè & formaliter. vel enim rem perire immediatè est immediatè idem, ac perire solo requisito ablato, vel non idem. Si idem. superfluum est ad ly *solo ablato perire* addere ly *immediatè & formaliter*. Si non idem. Ergo dabitur connotatum, res enim illa, quâ solâ ablatâ peribit aliud, & non immediatè ac formaliter, non erit constitutivum, ad hoc enim requiritur, solo illo ablato rem immediatè perire. Ergo erit connotatum. Tum quia ex eo, quòd aliquo solo ablato requisito, res pereat arguitivè, non sequitur illam non immediatè & formaliter perire, quia ablata sola parte, perit totum etiam immediatè & formaliter, quamvis pereat simul & arguitivè, valet enim arguere: *Pars perit. Ergo totum perit.* 2*do* ablata sola parte tollitur totum Ergo etiam ablato solo requisito essentiali tollitur creatura. Consequentia probatur. Ideo sola ablata parte tollitur totum, quia totum non potest esse sine sua parte. Sed etiam creatura non potest esse vg. sine DEO. Ergo si &c. 3*tiò* Ad hoc, ut aliqua res existat, non solùm dari debent omnia illius constitutiva, sed etiam omnia illius requisita essentialia. Ergo sicut uno solo constitutivo ablato res perit, ita perire debet uno solo ablato requisito essentiali. 4*tò*: deniq; rectè in eum modum arguitur: *Cùm aufertur DEUS, perit creatura. Sed ablato solo DEO aufertur DEUS. Ergo ablato solo DEO perit creatura.*

165. Respon-

165. Respondeo Nego assumptum & suam imam rationem, *imò*: quia falsum est, nedum verissimum, quòd etiam consequenter solo ablato DEO pereat creatura: probatur alioqui idem per idem. 2dò. quia tantò magis falsum est, quòd ad ablationem solius DEI pereat immediatè & formaliter creatura, istius enim propositionis sensus est: *exclusio illa, quæ est exclusio formalis & immediata DEI, est exclusio formalis & immediata creaturæ*, seu quod formale non esse Dei, sit formale non esse creaturæ; sicut quamvis existente creatura, DEUS existat, falsum tamen est, quòd creaturam existere sit immediatè & formaliter Deum existere, istud enim significat existentiam formalem creaturæ, esse immediatam & formalem existentiam DEI, seu per hanc ipsam existentiam, per quam formaliter existit creatura, etiam Deum formaliter existere. Ex non existentia DEI, sequitur equidem creaturam formaliter & immediatè non existere, sicut & ex existentia creaturæ sequitur, Deum immediatè & formaliter existere, non tamen ex non existentia DEI, immediatè & formaliter sequitur creaturam non existere: imum enim significat, quòd si creatura per suam existentiam formalem existit, etiam Deꝰ per suam, distinctam omnino ab existentia creaturæ, formalem existentiam existat. Item ex non existentia DEI formali & immediata, sequitur quidem, quòd creatura non existat per suum, à nō esse formali Dei distinctum, formale ac im̄ediatum non esse, atq; istud est verum; falsum tamen

est,

eſt, quòd ex exiſtentia creaturæ formaliter & immediatè ſeu (ut communiter Dialectici) per locum intrinſecum ſequatur Deum exiſtere, quia per hoc ſignificatur ex exiſtentia creaturæ, ut formali exiſtentia DEI, ipſi exiſtentiæ DEI adæquatè, vel inadæquatè identificata, ſequi exiſtentiam DEI. Sic etiam falſum eſt, ex non exiſtentia DEI immediatè & formaliter ſequi non exiſtentiam creaturæ, quia iſtud ſignificat ex formali non exiſtentia DEI immediatè inferri, tanquam ex formali non exiſtentia creaturæ, non exiſtentiam creaturæ. Deniq; quamvis verum ſit ablato per impoſſibile DEO, eo ipſo debere perire immediatè & formaliter creaturam, falſum tamen eſt, quòd eo ipſo ſequatur im̃ediatè & formaliter debere creaturā perire; quia aliud eſt formalis non exiſtentia unius, & diſtincta formalis non exiſtentia alterius, utraq; reſpectu ſui ſubjecti immediata, aliud eſt immediata & formalis ſequela unius non exiſtentiæ formalis ex altera diſtincta formali non exiſtentia alterius rei.

166. *Ad 2dam rationem* dico, quòd aliquo requiſito ſolo ablato perire, ſit rem immediatè & formaliter perire, quia eſt perire per ipſam illius ablationem, cùm per hoc ipſum, quod aliquid ſolum ſupponatur auferri, ipſius quidem ablatio formalis ſupponatur, & omnis alia formalis alterius entis ablatio ab illa diſtincta poſitivè excludatur. Si itaq; ſolo aliquo ablato res aufertur, per ipſam illius formalem ablationem, adeoq; immediatè & formaliter tollitur, conſequenter debet

for-

formale non esse rei, ad alterius solius ablationem ablatæ, identificari formali non esse illius, ad cujus solius ablationem tollitur, proinde idem est rem solo aliquo ablato perire, ac ipsam immediatè & formaliter perire, ideoq; in indiciis constitutivi equidem superfluum est addere ly *immediatè & formaliter*, hoc sensu, quòd non sit omnino necessarium addere; cæterùm non superfluum esset hoc sensu, quòd inutile prorsus esset addere, quia serviret ad majorem rei explicationem, inculcationem, & obviandum objicibilibus ex prætensa rei obscuritate.

167. Ad *3tiam rationem* dico ly *arguitivè* in sensu eorum, qui ad indicium constitutivi solent opponere ly *immediatè & formaliter*, idem significat, atq; purè arguitivè, quod ipsum significat idem, ac physicè, realiter connexivè. Jam ex ablatione partis non purè, physicè, connexivè, sed formaliter immediatè sequitur auferri totum; unde etsi liceat ex ablatione partis, arguere ad ablationem totius, ratio tamen id arguendi non est purè arguitiva, sed est arguitiva immediatè & formaliter, quia non per connexionem physicam ablatæ partis, cum ablatione totius, sed per identitatem ablationis tollentis partem, cum ablatione formali totius. Ita sicut cùm ex eo, quòd aliqua substantia sit homo, arguitur eandem substantiam esse animal rationale.

168. *2dæ probationi* ejusdem assumpti Nego consequentiam. Probationi illius nego causalem, non enim ideo præcisè ablata sola parte tol-

litur

litur totum, quòd non possit esse sine parte; sed quòd si sine sua parte esset, esset sine sua adæquata essentia, & quia totum compositum tolli est formalissimè & ut sic, aliquam ipsius partem tolli, unde consequitur quòd formalis exclusio partis sit formalis exclusio totius.

169. *3tiæ probationi* nego consequentiam, quia diversa ratione requiruntur ad esse constituti sua constitutiva, & pura requisita essentialia, hæc enim solo titulo connexionis realis requiruntur, quæ cùm possit esse inter realiter adæquatè distincta, potest per suppositionem non se tollentem uno solo ex iis ablato alterum manere, imò & debet. Constitutiva verò requiruntur titulo identitatis adæquatæ vel inadæquatæ, vi cujus tamen constitutivum debet ex parte sua totaliter identificari constituto, unde non potest nisi per suppositionem se tollentem, ita solum auferri, ut non auferatur constitutum.

170. Ad *ultimam probationem* dico; argumentum esse simile huic: *Si datur Petro auxilium A. consentit. Sed si Petro datur auxilium A. & ipse illi dissentit, datur Petro auxilium A. Ergo si datur Petro auxilium A. & ipse illi dissentit, Petrus auxilio A. consentit.* Item *Ablatâ substantiâ panis pereunt accidentia panis. Sed ablatâ solâ substantiâ panis, aufertur substantia panis. Ergo ablatâ solâ substantiâ panis pereunt accidentia panis.* Ut igitur huic, ita illi argumento neganda consequentia est. Defectus formæ duplex est. *imò* ratione non completæ distributionis medii termini

in

in Majore, quæ completur tali diſtinctione Majoris. In quacunq; ſeu omni ſuppoſitione ſeu poſſibili ſeu impoſſibili cùm aufertur DEUS, aufertur creatura, nego Majorem; in aliqua ſuppoſitione impoſſibili cùm aufertur &c tranſeat Major. Alter defectus eſt, quem primo retorſionis ſyllogiſmo oppoſuit P. Ulloa, quòd ſuppoſitio Minoris tollat poſitionem Majoris. Ponit Major, ablato DEO tolli creaturam; Minor in ſubjecto ſupponit auferri DEUM, & nihil à DEO adæquatè diſtinctum, adeoq; nec creaturam tolli. Porro ex talibus præmiſſis vel nihil, vel tantùm ſe tollentia poſſunt inferri, ſunt enim incompoſſibilis veritatis, & una tollit veritatem alterius: adeoq; ſimul utraq; eſſe vera non poteſt, conſequenter ex utraq; ſimul nequit ullum verum inferri, quod ſe ipſum non tollat.

171. Contra datam ſolutionem urgetur. Cùm ex ablatione DEI infertur auferri creaturam, utiq; infertur ex illa, ut eſt ex parte objecti. Atqui ex parte objecti non poteſt eſſe, niſi vel ſola, vel cum alia ablatione rei alterius. Ergo nonniſi vel ex illa ſola, vel cum alia, infertur ablatio creaturæ. Atqui non ex ſola, ut vult reſponſio. Ergo ex non ſola, adeoq; ex illa, & ſimul ex ablatione creaturæ. Retorqueo argumentum. Petrus, ut ex parte objecti, eſt homo. Atqui ex parte objecti vel eſt ſolus vel cum alio homo. Ergo cùm infers ex eo quòd Petrus ſit homo, eſſe rationalem, infers vel ex eo, quòd ſit ſolus homo, eſſe rationalem, vel ex eo quòd cum alio. Atqui

non

non ex hoc, quòd cum alio. Ergo ex hoc, quòd ſolus: infers igitur ex falſo antecedente.

172. Reſpondeo directè. Veriſſimum eſt ex parte objecti non tantùm ly *auferri*, ſed quodcunq; tandem prædicatum, & cuicunq; tandem ſubjecto convenit, convenire illi vel ſoli vel alteri. In præſenti etiam ſine dubio ex parte objecti ſi DEUS auferretur, auferretur vel ſolus vel cum creatura; & ad ſubſiſtentiam quidem illationis: *Deus perit. Ergo creatura perit*, omnino requiritur & Deum ſaltem ſuppoſitivè, & creaturam ex conſequenti perire. Sicut & ad quamlibet illationem veram requiritur, ita ſe habere & objectum antecedentis ſaltem per ſuppoſitionem, & conſequentis quoq; per illationem, prout illa habere ſe enuntiat tam Antecedens, quàm Conſequens. Cæterùm non quoties unum inferendum eſt ex alio, toties ex parte antecedentis utrumq; poni aut ſupponi debet, ſed unum & ſolum, interdum, imò paſſim ponitur vel ſupponitur, quod eſt connexum cum altero, ab alio autem præſcinditur, cum quo illud connectitur, ita ut per antecedens neq; negetur neq; affirmetur, quæ eſt præciſio propria propoſitionis Jam ſi in antecedente: *Deus perit*, adderetur, quòd ſolus pereat, negaretur creatura perire, atq; ita impediretur illatio hujus conſequentis: *creatura perit*. Si rurſus DEUS cum creatura perit, hæc illatio: *Ergo creatura perit*, eſſet quidem bona, & duplici titulo, ſcilicet ratione copulativæ continentis ipſum conſequens, & ratione ablationis DEI, quæ etiam ſe-

cun-

cundùm se connectitur cum ablatione creaturæ, cæterùm antecedens non est omnino necessarium ad inferendum consequens, cùm etiam sine additamento creaturæ pereuntis, ex ablatione DEI secundùm se sumpta sequatur ablatio creaturæ. Porro dicta ablatio DEI etiam secundùm se sumpta, & ut cæteris contradistincta, per suppositionem datur ex parte objecti, & ut sic contradistincta, adhuc est connexa cum ablatione creaturæ, juxta illud: *connexio extremorum realium, est inversa connexio negationum illis formaliter oppositarum*, cui infundatur aliud illud Logicum: *In bona & metaphysicè certa illatione, valet arguere à negatione consequentis ad negationem antecedentis.* Ergo potest negatio DEI secundùm se præcisè assumi ad inferendam ablationem creaturæ, quia secundùm se, & se sola est sufficiens ad illam inferendam. Se *inquam* sola; non per exclusionem positivam ablationis creaturæ, non etiam per exclusionem sufficientiæ ad eandem ablationem inferendam ab aliis entibus, cùm alia quoq; entia possint esse sufficientia ad talem ablationem inferendam, sed per exclusionem indigentiæ ad eum finem alicujus aliunde adminiculi de necessitate addendi. Ex his itaq; distinguo Minorem argumenti: Atqui ex parte objecti non potest esse nisi sola vel cum alio, & hoc non obstante potest esse etiam secundum se ut cæteris contradistincta, concedo; & hoc obstaret ad esse illam secundùm se, nego Minorem & consequentiam.

173. Insto 2dò pro Connotatistis, & pro-

bo

bo legitimam esse illam illationem: *solus Deus perit. Ergo perit creatura.* Hæc propositio: *Solus Deus perit*, est exponibiliter & æquivalenter hæc copulativa: *DEUS perit, & nihil insuper adæquatè distinctum à DEO perit.* Ergo quidquid legitimè sequitur ex ista exponente, sequitur etiam ex illa exponibili. Atqui ex ista copulativa exponente sequitur creaturam perire. Ergo & ex illa exposita. Minor subsumpta probatur. Quod sequitur ex una parte copulativæ, sequitur ex tota, juxta Dialecticam. Sed auferri creaturam sequitur ex una parte illius copulativæ; nimirum ex ista parte: *Deg perit.* Ergo sequitur etiam ex tota. Respōdeo nego Minorē subsumptā; illius probatio si evincit, quòd creatura periret, etim evincit, quòd eadem non periret. Ut enim ex una parte pro Connotatistis, nempe ex hac: *DEUS perit*, sequitur perire Creaturam, ita ex altera parte *nullum adæquatè distinctum à Deo perit*, sequitur contra Cōnotatistas illam non perire. Subsumo enim Minorem. Sed creatura est aliquid distinctum adæquatè à DEO. Ergo creatura non perit. Directè nego Minorem probationis, quia vim illativam propositionis istius: *Creatura perit*, in illa parte copulativæ: *DEUS perit*, elidit altera pars copulativæ, scilicet *nihil à DEO adæquatè distinctum perit*, quia ista pars copulativæ elidit Majorem, cui infundatur illatio istius enthymematis: *DEUS perit. Ergo creatura perit.* Major enim ista directa est: *Si DEUS perit, etiam creatura perit*, vel *non potest DEUS perire, quin pereat creatura*; quam falsificat altera pars,

adjecta hac (ut in nostro casu semper adjicitur) suppositione: *per possibile vel impossibile solo DEO ablato aufertur creatura.* nam cùm in tali suppositione propositioni: *Deo perit*, additur: *& nullū adæquatè distinctum perit*, sensus est: *Deus perit*, *& dato quòd solus pereat*, *nullum adæquatè distinctum à DEO perit*, adeoq; ex vi suppositionis, non si Deus perit, etiam creatura perit, ac potest Deus perire, quin pereat creatura, si enim Deus perit, & nullum adæquatè distinctum perit, & hoc supponitur esse possibile, atq; per hypothesim actu fieri, arguendo viâ affirmativâ ab actu ad potentiam, potest Deus perire, & nullum adæquatè distinctum à DEO (ut creatura distinguitur) perire. In summa tenendum est, quòd hæc propositio: *Deus perit*, quatenus conjuncta huic: *& nullum adæquatè distinctum à DEO perit*, non habeat vim illativam hujus propositionis: *creatura perit*, quia non valet illatio ista: *Deus perit*, *& nullum adæquatè distinctum à DEO perit. Ergo creatura perit*, aliàs posset intellectus assentiri tum huic propositioni: *Deus perit*, quatenus conjunctæ isti propositioni: *& nullum adæquatè distinctum à DEO perit*, tum huic: *creatura perit*; ac proinde posset assentiri & huic: *nullum adæquatè distinctum à DEO perit*, & huic: *creatura perit*. Ergo ulterius posset assentiri & huic: *nullum adæquatè distinctum à DEO perit*, & huic: *aliquid adæquatè distinctum à Deo perit*, quia verum esset, quòd creatura perit, quæ est aliquid adæquatè distinctùm à Deo. Ergo deniq; posset assentiri duobus contradictoriis, quod implicat.

174. Dices. Ergo pariter ista propositio: *Deus perit*, elidet in sua comparte: *nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, vim illativam istius propositionis: *creatura non perit*. Respondeo nego paritatē esse, quia nullius præmissæ syllogismi, ad quem reducendum est enthymema istud: *nihil adæquatè distinctum à Deo perit; Ergo creatura non perit*, veritatem elidit in præmissa suppositione hæc propositio: *Deus perit*; nam ad prædictam reductionem illius enthymematis in formam syllogismi sola desideratur Minor, quâ substitutâ erit talis syllogismus: *nullum adæquatè distinctum à Deo perit. Sed creatura est aliquid adæquatè distinctum à Deo. Ergo creatura non perit.* Porro per hanc propositionem: *Deus perit*, non falsificatur Major in copulativa, quia ex vi prædictæ suppositionis supponitur esse verum quod Deus pereat, & hoc non obstante, adeoq; non falsificante, supponitur verum esse, quòd nihil adæquatè distinctū à Deo pereat, adeoq; non obstante primo, verum esse secundum. Non falsificatur Minor, quia per hoc, quòd Deus pereat, non falsificatur, quòd creatura sit aliquid adæquatè distinctum à Deo. Oppositum immediatè supra dictum de propositione: *nihil adæquatè distinctum perit*, respectu propositionis: *Deus perit*, ad inferendam hanc alteram: *Ergo creatura perit*.

175. Instat 3*tiò* quidam non Connotatista. Si solo ablato Deo, non sequeretur creaturā perire simpliciter & extra suppositionē per impossibile possibilitatā, tunc esset possibile Deū solū auferri.

 Sed

Sed non est possibile. Ergo. &c. Minor probatur. Admisso, quòd solus Deus auferretur, & inde non inferretur creaturam perire, nulla sequeretur contradictio. Ergo &c. Antecedens probatur. Si quæ sequeretur, sequi hæc deberet: quod & solus Deus auferretur, & non solus. Sed hæc non sequitur. Ergo &c. Minor immediata probatur. Quamvis sequeretur, quòd solus Deus auferretur, ut supponitur, tamen non sequeretur, quòd non solus auferretur. Ergo &c. Antecedens probatur. Si sequeretur non solum Deum auferri, sequeretur & Deum auferri & creaturam. Sed posito quòd ex ista: *Deus solus perit*, non sequeretur hæc altera: *Ergo creatura perit*, non sequeretur, quòd Deus & creatura periret. Tum quia istud formaliter ponit responsio. Tum quia hoc ipso Deus esset constitutivum creaturæ. Ergo &c. Respondeo; 1mi argumenti Minorem, 2di Antecedens, 3tii Minorem, 4ti Antecedens, 5ti nego Minorem. Nego ulteriùs quòd istud ponat responsio extra impossibile per suppositionem possibilitatum, uti jam ad superius argumentum dixi. Concedo verò, quòd extra talem suppositionem, ut ipsa quoq; ponit objectio, Deus esset constitutivum creaturæ, nec adæquatè ab illa distingueretur, adeoq; etiam exinde, extra suppositionem præmissam implicaret Deum solum auferri, quia & non esset constitutivum creaturæ, utpote ens necessariò & essentialiter, adæquatè distinctum à creatura, & esset constitutivum, adeoq; neutra pars copulativæ, de qua superiùs, suam compartē eli-

elideret in vi ſua connaturaliter illativa. Quanquam eſto prædicta contradictoria non ſequerentur, ſequerentur alia in creaturam redundantia, quòd & eſſet dependens à DEO eſſentialiter, & non eſſet; eſſet ſibi ad eſſe ſe ſola ſufficiens, & non eſſet ſufficiens &c; hinc verò ulterius ſequerentur etiam redundantia in Deum, quòd & haberet in ſe Deus exigentiam eſſentialem, ut nihil poſſit eſſe ſine illo, & tali exigentia careret &c.

176. Ad reliqua minoris momenti ſolvenda. Nota *imò.* Ablata ſola parte hominis integrali, quamvis exigua, homo quidem manet, atq; etiam moraliter integer, & phyſicè quoq;, ſed non hac ipſa phyſice integritate, quâ fuit integer, ante ablationem partis exiguæ integralis. *2dò.* ablato ſolo primo quadrante horæ, adhuc hora non tollitur, quia primus quadrans horæ ſecundùm eſſe, & modum eſſendi, quem in illo denominatio horæ exiſtentis naturâ ſuâ exigit, non eſt ablatus, quamvis præterierit, quamdiu non omnes horæ partes præteriêre, horæ enim exiſtere conſiſtit in ſucceſſivo partium fluxu, qui quamdiu perſiſtit, tamdiu hora exiſtere denominatur, hic autem fluxus conſiſtit in aliquarum partium præteritione, aliquarum futuritione, alicujus vel aliquarum exiſtentia actuali. *3tiò.* Oppoſitio fortaſſis nõ conſtituitur utroq; extremo oppoſito, ſed uno aliud formaliter tollente, vel formaliter tolli exigente. Neq; ex toto genere ſuo oppoſitio eſt eſſentialiter mutua, ut patet in pleriſq; oppoſitionibus phyſicis; nam vg. duo corpora, habentia

 di-

diſtinctam quantitatem opponuntur phyſicè ſuæ penetrationi, penetratio tamen illorum, cui opponuntur, adeo illis non opponitur, ut etiam cum illis ſit connexa eſſentialiter, ex communiore de connexione modorum ſententia. Dato verò non conceſſo, quòd oppoſitio utroq; conſtitueretur extremo, eſſe unius oppoſiti, & non eſſe alterius oppoſiti, ſi utrumq; admitteretur in conſtitutionem, indicium conſtitutivi requireret, unum ex illis tolli ab eſſe, alterum à non eſſe 4.ò Cõtractus phyſicè ſumpti conſtituuntur mutuo utriusq; contrahentis conſenſu, adeoq; conſenſus phyſicè tollitur quocunq; vel utroq; tranſacto. moraliter tamen perſeverat in aliquo negativo vel poſitivo permanente, quorum ut probetur conſtitutio per principium indicativum conſtitutivi, ſuppones illud ſolum tolli ſecundùm ſuum eſſe, quod & quale habet ſuo modo. 5.ò. Denominationes, quæ conſtituuntur disjunctivè per eſſe vel non eſſe ejusdem, ut vg. veritas propoſitionis iſtius: *creatura eſt vel non eſt*, mutato conſtitutivo & ipſæ mutantur, adeoq; aliæ & aliæ ſunt. Ita ſi prædictam propoſitionem in inſtanti A verificet eſſe creaturæ, veritas propoſitionis conſtituetur per eſſe; creatura verò pereunte in inſtanti B. veritas propoſitionis conſtituetur per creaturæ non eſſe, adeoq; eo modo, alia erit in inſtanti A. & alia in inſtanti B, quomodo aliud eſt eſſe, & aliud non eſſe rei. Unde adhuc verum erit, ſolo ablato eſſe tolli veritatem propoſitionis, quâ in ante fuit vera, & quam ſolam eſſe creaturæ con-

ſtitue-

ſtituebat, quamvis non dicatur abſolutè non eſſe vera, vel in falſam evadere, uno unius veritatis conſtitutivo ſolo ablato, inquantùm per ipſam iſtius veritatis ablationem fit vera veritate a priori diſtincta. *6tò.* Per data conſtitutivi indicia non ſolùm probatur, quòd aliquid fuerit, ſed etiam, quòd ſit conſtitutivum, non enim cùm ponitur in prædictis indiciis ly *ablato* ſupponit abſolutè aliquid ablatum, ſed nonniſi hypotheticè modo ſuperiùs explicato hîc num. 127. ex qua etiam ratione applicabile quodlibet indicium eſt conſtitutivis etiam tunc, cùm actu exiſtunt, cùm primò exiſtunt. *7mò.* Simultas conſtitutivorum in conſtituto permanente conſiſtit in omnium actualibus exiſtentiis, ratione quarum, ſine ulla duratione ſuperaddita, verificari de illis poſſit copulativa: *& conſtitutivum A. exiſtit, & B. exiſtit & C. exiſtit* &c. *8vò*; aliud eſt, quòd relatio tranſcendentalis non poſſit concipi exiſtens, quin concipiatur terminus, adeoq; hoc ſenſu non poteſt concipi exiſtens ſine termino, ſcilicet ſine termini ſimultanea cognitione; aliud verò eſt, quòd talis relatio non poſſit cogitari exiſtens, quin in ſeipſo exiſtat illius terminus: primum verùm eſt, non item ſecundum. *9nò* deniq; multa, quæ hìc tacitè objecta diſſolvuntur, poſſe adverſus connotatum antonomaſticè tale retorqueri, cùm etiam iſtud tale requiſitum eſſe debeat, ut illo ſolò ablato res pereat.

177. Infertur *1mò.* Quodlibet ex prædictis principiis eſſe ſimpliciter doctrinale; quod-

libet

libet intra sphæram considerabilitatis metaphysicæ; quodlibet independens à vocibus vel conceptibus nostris; quodlibet utile generaliter omnibus Philosophis & in omni materia. *2dò:* illud principium: *quo solo ex adæquatè distinctis res tollitur*, in Antiquiorum, qui se Connotatis opponebant, sensu, fuisse sufficiens ad probandam impossibilitatem connotati, consequenter à Recentioribus factas limitationes principii non esse factas ob insufficientiam principii illius ad inferendum de aliqua re, quòd non sit purum requisitum, ut patet reflectenti ad dicta hic suprà à num 130 sed tantùm, ut determinatè decerni posset, quòd omnino sit constitutivum.

QUÆSTIO QUINTA,
Quid de aliis Constitutivi indiciis sentiendum?

178 DIco *1mò.* Quo seu toto, seu secundùm quamcunq; partem (vel quasi partem, quod in omnibus retro indiciis supponitur) ablato, res immediatè & formaliter perit, est constitutivum rei. Probatur. Cujus formale seu totale seu partiale non esse, est formale & immediatum, saltem partiale non esse rei, illud est constitutivum rei. Sed quo seu toto, seu secundum quamcunq; partem ablato, res immediate formaliter perit, illius formale seu totale seu partiale non esse, est formale

male ſaltem partiale non eſſe rei, quæ ad ablationem illius tollitur formaliter & immediatè. Ergo quo ablato ſeu toto &c. Minor continet in prædicato explicationem ſubjecti, non aliud enim intelligitur rem unam alterâ ablatâ immediatè & formaliter tolli, quàm per formalem ſeu totalem ſeu partialem ablationem primæ, hanc ipſam nulla alia interveniente exclusione formali rem tolli ſaltem partialiter. Major etiam conſtat, quia cujus totum totaliter eſſe formale, eſt eſſe formale ſaltem inadæquatum alterius, eſt conſtitutivum rei. Sed cujus formale ſeu totale ſeu partiale non eſſe eſt non eſſe, formale rei illius, etiam formale eſſe ipſius eſt formale eſſe alterius modo prædicto. Ergò &c. Major probatur. Cujus formale totale eſſe eſt ex parte ſua adæquatè identicum rei, eſt conſtitutivum rei, iſtud enim vel eſt tota definitio objectiva, vel ſaltem differentia metaphyſica conſtitutivi. Sed cujus eſſe formale totale eſt eſſe formale ſaltem partiale alterius, illud eſt ex parte ſua adæquatè identicum rei, quia quod eſt adæquata entitas illius, eſt ſaltem partialis entitas alterius, adeoq; ex parte ſua, ſecundum ſe totam, & quamlibet ſui partem includitur identicè in altero. Ergo &c. Minor etiam probatur *imò* inductione. Sic quia ſeu totale ſeu partiale formale non eſſe vg. materiæ primæ A. eſt ſaltem partiale formale non eſſe compoſiti ex materia, etiam totale formale eſſe materiæ primæ A. eſt ejuſdem compoſiti ſaltem partiale formale eſſe, & ſic de quibuscunq; aliis. *2dò* quia ſeu totale ſeu partiale

tiale formale non esse unius, non potest esse formale partiale non esse alterius, si non sit istius esse saltem partiale formale. Si enim non esset, ultra negationem formalem seu totalem seu partialem primi, requireretur alia negatio formalis ad tollendum formaliter saltem partiale formale alterius esse.

179 Firmatur *imò* rationibus in probationem adductis conclusionis hìc num. 146. & 147, propositæ. Firmatur *2dò* contra Connotatistas ex illorum principio. Cujus seu formale, seu quodcunq; partiale esse, est vel se solo vel cum alio verè affirmabile de re in recto, illius esse totale formale est ex parte sua adæquatè identicum rei. Sed cujus seu totale, seu quodcunq; partiale formale non esse, est saltem partiale formale non esse alterius, illius esse formale seu totale seu partiale est se solo vel saltem cum alio verè affirmabile de re in recto. Ergo cujus &c. Minor patet, quia saltem cum alio de illo verè affirmari in recto potest, quod illius entitas sit identicè entitas alterius, sicut de formali seu totali seu partiali non esse illius potest verè in recto affirmari non esse totale formale seu partiale alterius, dicendo: *negatio formalis totalis, vel etiam formalis partialis istius est negatio formalis partialis illius.* Firmatur *3tio* ex doctrina Subtilissimi Connotatisticæ sententiæ Instauratoris, quam tradit in Logica num. 871. Tale *inquit*, connotatum extrinsecum alicujus rei, quo solo ex omnibus entibus ablato pereat simul immediatè formaliter res ali-

qua

qua ratione ſui, evidenter implicatorium eſſe, quia evidenter & ſolum periret ratione ſui, & non ſolum, quia etiam res ipſa ab illo adæquatè diſtincta periret ſimul immediatè & ratione ſuæ entitatis, quod evidenter implicat in terminis. Atqui cujus formale ſeu totale ſeu partiale non eſſe eſt formale ſaltem partiale non eſſe alterius, ad illius formalem ablationem & ratione ſui, tollitur etiam alterum immediatè & formaliter ratione ſui. Ergo illud non poteſt eſſe adæquatè diſtinctum à re. Non poteſt etiam eſſe illam identicè includens, quia iſtius aliquod partiale formale non eſſe ſecundùm partem coincluſam, non eſt formale etiam partiale non eſſe partis incluſæ, cùm pars coincluſa adæquatè diſtingvatur ab illa. Propter eandem quoq; rationem non identificatur ipſi inadæquatè, ut unum alteri habenti communem aliquam partem & non omnes. Ergo illi identificatur vel adæquatè abſolutè, ſcilicet tam ex parte ſua, quàm ex parte illius, vel adæquatè præcisè ex parte ſua.

180. Doctiſſimo P. Ulloa in ſua Logica Majore Diſp. 4 cap. 5. non placet per chimericas hypotheſes indicium conſtitutivi explicare, adeoq; non placet, ut præfatum indicium ingrediatur ablatio per poſſibile vel impoſſibile cujuſcunq; rei. Itaq; *imò* inquit: ſi res indiviſibilis ſit quæ perit ad ablationem alicujus, hoc jam cognoſcitur non eſſe conſtitutivum illius, indiviſibile, enim caret cõſtitutivis, quod veriſſimum eſt, hoc enim ipſo, ſi conſtitueretur pluribus conſtitutivis

uno

uno distincto ab altero, non esset indivisibile, quia esset in unum alterumq; constitutivum, adeoq; in unam & alteram quasi partem partibile, indivisibile autem definitivè est ens cujus nulla pars est, adeoq; evidenter consequitur, quòd quamvis fortassis non careat constitutivo, careat tamen constitutivis. *2dò*. Si res, *inquit*, sit composita, videndum est, an inter constitutiva illius aliunde certa & explorata, non sit aliquid essentialiter connexum vg cum A. de quo quæritur: an non etiam illud sit constitutivum rei? Si connexum reperietur, poterit adhuc & ipsum A. esse constitutivum totius, quia stat aliqua mutuò vel non mutuò connexa esse, & tamen ejusdem rei vg. binarii ex illis compositi constitutiva esse, ut Personæ Divinæ Sacerrimæ Trinitatis. Quodsi hoc aliunde non probetur, communiter negandum est, quia non sunt multiplicanda constitutiva sine necessitate. Etiam id certum est, quoties de iis, quæ veniunt in quæstionem, constat possibilia esse, & tali modo ad illa requiri, qui implicatorius non sit. *3tiò* si, *inquit*, inter constitutiva rei compositæ nullum deprehendatur intimè connexum cum A. & tamen illo deficiente deficiat res, illud non est connotatum, sed constitutivum rei. Ex quo, formo tale principium, & indicium complexum constitutivi, atq;

181. Dico *2dò*. Id, quo ablato tollitur res & cum quo nullum ex certis rei constitutivis essentialiter connectitur, est constitutivum rei. Probatur ratione ejusdem magni Authoris, quâ

pro-

probat tertium illud ſuum pronuntiatum. Deficiente re compoſita, neceſſe eſt deficere aliquod illius conſtitutivum. Sed deficiente A. deficit res compoſita. Ergo deficit aliquod conſtitutivum illius. Atqui nullum ex certis & exploratis; cùm nullum connectatur eſſentialiter cum A & conſequenter deficiente A. nullum neceſſariò deficiat ex diſtinctis ab A. Ergo ipſum A. eſt conſtitutivum. Iſtud indicium convenit quidem ſoli conſtitutivo rei, non tamen omni, ac proinde non eſt univerſale. Tum quia non convenit conſtitutivo rei, ſimplicis. Tum quia non convenit conſtitutivo rei de qua id ipſum controvertitur, ſit in re diviſibilis an indiviſibilis realiter. Tū quia etiā tunc non convenit, cùm de mutuò eſſentialiter ſecum connexis quæritur, an utrumq; vel ſaltem aliquod illorum, ſit rei conſtitutivum?

182. Dico 3tiò. Non eſt pro indicio doctrinali conſtitutivi habendum illud: *quo ſolo poſito res ponitur, illud eſt conſtitutivum rei*, nam poſito binario ſolo, ponitur quælibet illius unitas, & poſito ſolo exercitu, cujus pars eſt miles A. ponitur miles A. neq; tamen aut binarius cujuslibet ſuæ unitatis, aut exercitus ex milite A. conſtitutus, militis A. eſt conſtitutivum. Cæterùm propoſitionem prædictam, ſi ita limites: *Quo ſolo poſito ſeu exiſtente, res ponitur ſeu exiſtit in ſua ipſius entitate, illud vel eſt conſtitutivum, vel continet in ſe identicè conſtitutivum rei*, neq; enim poſita ſeu exiſtente ſola re, poteſt quidquam adæquatè diſtinctum eſſe à re, quod exiſtat, alioqui

ſola

ſola illa res poneretur ut ſupponitur, & non ſola, quia aliquid ab illa diſtinctum adæquatè poneretur.

183. Dico 4*to*. Id, quo ſolo non intellecto, non intelligitur rei eſſentia, illud eſt conſtitutivum rei, non eſt rectum indicium conſtitutivi, reſpectu objecti, certo aliquo modo intellecti; eſt conſtitutivum reſpectu objecti totalis, quomodocunq; per actum intellecti. *Ratio 1mi eſt*: quia dantur aliqua, quibus ſolis non intellectis ſaltem ab intellectu noſtro eſſentia rei non intelligitur, definitivè vel quidditativè concepta, quæ tamen non ſunt conſtitutiva rei, ſeu phyſicè ſeu mataphyſicè ſumptæ. Ejuſmodi ſunt ſenſationes & ratiocinationes reſpectu eſſentiæ hominis, iſtis enim ſolis non intellectis, neq; hominis eſſentia metaphyſica, neq; phyſica plenè cognoſcitur. Non cognoſcitur eſſentia metaphyſica; quia hæc conſiſtit in hoc complexo: *animal rationale*, quod ut tale cognoſci à nobis non poteſt quidditativè ſolis ſenſationibus vel ratiocinationibus non intellectis, animal enim rationale in legitimo quidditativo conceptu eſt *vivens*, *potens ſenſare & ratiocinari*, ubi ſolis his terminis; *ſenſare*, *ratiocinari*, per quos utiq; ſenſationes & ratiocinationes cognoſcuntur, quodammodo excluſis, adeoq; ſolis illis non intellectis, totum quod reliqum erit, erit præciſè *vivens*, *potens*, quo conceptu utiq; non diſcriminaretur homo à vivente inſenſitivo, non etiam à ſenſitivo irrationali, adeoq; hic conceptus in illis præciſè terminis conſiſtens non eſſet verè & legiti-

legitimè conceptus quidditativus animalis & rationalis, consequenter nec hominis. Idem esto judicium de essentiæ physicæ hominis conceptu quidditativo, qui est: *compositum ex materia prima, anima sensitiva, rationali, & utriusq; unione*, ubi iterum saltem implicite solis non intellectis sensationibus, & ratiocinationibus, non cognosceretur anima sensitiva ut talis, debet autem cognosci ut talis, neq; enim sufficit ad legitimum essentiæ physicæ humanæ conceptum dicere: *est compositum ex materia prima unione, & anima*, hic enim conceptus essentiæ physicæ convenit omni prorsus viventi composito, nam quodlibet est compositum ex materia prima, unione, & anima. Non etiam sufficit dicere: *est compositum ex materia prima, anima sensitiva, & utriusq; unione*, quia hic conceptus essentiæ physicæ convenit essentiæ physicæ non solum humanæ, sed etiam omnis animalis. Non deniq; sufficit dicere: *est compositum ex materia, anima rationali, & unione utriusq;* quia non apparet etiam species implicantiæ in composito physico, quod esset compositum ex corpore & anima rationali, non tamen sensitiva, sed vg. corporis tantùm vegetativa, quod tamen compositum non esset physicè homo &c. Confirmatur. Ex hoc indicio ne quidem colligitur aliquod requisitum esse, multò minùs essentiale requisitum esse ad esse rei, quia vg. ex hoc indicio, quamvis conveniat ratiocinationibus & sensationibus, ne quidem infertur, illas esse requisitum ad esse hominis, ut de ratiocinationibus patet in infante.

Ergo

Ergo multò minùs ex hoc indicio colligi potest, sensationes & ratiocinationes esse constitutivum &c.

184. *Ratio 2di est*: quia objectum totale vg. actus istius: *vivens potens sensare & ratiocinari*, est totum aggregatum ex vivente illiusq; potentia vitali, atq; ratiocinationibus & sensationibus, hæc enim omnia & singula per illum actum cognoscuntur, adeoq; & totum aggregatum, quod certè constituitur omnibus illis & singulis, quia existere à parte rei non posset, quocunq; solo ex illis non existente.

185. Dico deniq;. Non est rectum constitutivi indicium, quod in omni omnino suppositione, seu possibili, seu impossibili requiritur ad esse rei. *Ratio est*, quia inter suppositiones impossibiles, dabilis est suppositio, quâ supponatur, certum aliquod constitutivum vg. hominis, vg. animam rationalem non requiri ad esse hominis, sicut dabilis est suppositio impossibilis, in qua supponatur homo non esse animal, in quali certè suppositione, per abnegationem propriæ essentiæ hominis, & recessum ab illa, anima non requireretur ad esse hominis, quam tamen constat esse constitutivum hominis, quidquid sit, quòd ista suppositio esset vel non esset tollens seipsam, cùm neutram excludat datum indicium &c.

COROL.

COROLLARIUM
Disputationis Secundæ.

186 COnſtat ex prima Diſputatione de ſubjecto Controverſiæ principalis, inter Connotatiſtas & Noſtros: conſtat ex præſenti de prædicato ejusdem, poſtquam innotuit, quid nomine connotati antonomaſticè dicti? quid nomine conſtitutivi venire debeat? conſequenter per ſe jam innoteſcit, quidnam tum de aliis, tum præcipuè de denominationibus objectivis quæratur, cùm quæritur: *peculiaria ad denominationem objectivam requiſita ſintne omnia & ſingula conſtitutiva denominationis, an aliquod, vel aliqua ſint tantūmodo connotata?* ſenſus enim ex parte prædicati quæſtionis eſt: *an omnia & ſingula ad denominationem objectiuam ſint eſſentialia requiſita, ſe totis totaliterq́; identificata rei, an verò aliquod, vel aliqua equidem ſint requiſita eſſentialia ad denominationē objectivam, & quidem talia, ut quocunq́; ex iis ſolo ablato denominatio tollatur, ſint tamen pura requiſita ſe totis totaliterq́; non identica denominationi?* Aliquod, *inquam*, vel aliqua; convenit enim omnino aliquod debere eſſe conſtitutivum ſaltem unū ex illis. Neq́; enim denominatio objectiva eſt aliquid carens omni prorſus ſua eſſentia phyſica, eaq́; etiam adæquata, atq́; cùm ſit intra genus ſuum ens reale, debet eſſe omnino, quod eſt. In quæſtionem autem poſſunt venire ferè ſingula denomi-

nativa. Poteſt in quæſtionem venire ſubjectum denominationis. Antiquiores enim excepto Ocham ut jam Diſp. 1ma dictum, omnes ferè affirmabant denominationes objectivas eſſe ipſasmet formas denominantes cum modo adhæſionis, adjacentiæ, ſubjectum autem venire de connotato; quas etiam concretas denominationes appellabant. Poteſt item in quæſtionem venire forma, atq; etiam unio, quia revera Noviores Connotatiſtæ exiſtimant denominationem materialiter ſumptā conſtitui adæquatè ſubjecto, ita ut forma & unio veniant præciſè de connotato, ſeu ſint tantummodo connotata denominationis, adæquatè identificatæ ſoli ſubjecto. Sed quia quantùm ad præſens, pariter diſcurrendum videtur de forma denominativè, activè, ſeu denominanter accepta, ac de ſubjecto denominativè, paſſivè, ſeu denominatè, ſeu ut denominato; atq; quia Connotatiſtæ, cum quibus diſputamus, de iſto quæſtionem & inſtituunt & decernunt, ſufficiet de hoc ſubjecto, taliterq; accepto hìc & nunc diſſertare.



DISPU-



DISPUTATIO III.

De Possibilitate Connotati Antonomasticè dicti.

1. DE Constitutivorum & possibilitate & existentia nemo dubitat: de connotatis quoq; verè & propriè, non tamen antonomasticè talibus controversia non est, qualia sunt termini objectivi Relationum transcendentalium, sine quorum connotatione, seu simultanea & indirecta saltem notatione, seu cognitione vel significatione, relata ut talia saltem a nobis de lege ordinaria explicari quidditativè, seu definitive non possunt, ideoq; etiam dicuntur à Connotatistis Logica connotata, quæ nihilominus ipsi etiam Connotatistæ videntur non negare, imò supponere esse connotata propriè talia, hoc ipso quòd sua connotata appellare soleant antonomasticè talia, non ob exclusionem aliorum à proprietate connotati (istud enim Antonomasis non facit) sed ob insignem quandam excellentiam illorum in genere connotati. De hujus itaq; connotati possibilitate principalis controversia est, atq;

omnia hactenus dicta, fuere tantùm ad hoc decernendum præludialia, imprimis autem ea, quæ proxima Disputatione de natura connotati & constitutivi, atq; utriusq; indiciis doctrinalibus transacta sunt.

QUÆSTIO PRIMA

An Connotati Antonomasticè talis impossibilitas efficaciter probetur?

1. EQuidem, quod me attinet, in ea semper opinione fui, esseq; etiam lectis & relectis, atq; studiosè perpensis, quotquot habere ad manum licuit, & antiquitus inventis, & noviter in favorem possibilitatis ac existentiæ Connotatorum adinventis, hactenus persisto, quòd connotati antonomasticè dicti impossibilitas, non probationibus, multominus accumulatis, ut agnoscatur, indigeat, sed depurata imprimìs mentis & affectûs in alterutram partem præoccupatione, sola deinde prædicatorum connotati illorumq; mutuæ dissonantiæ, solida apprehensione ac intelligentia. Esse quippe aliquid requisitum essentiale rei, per quod res neq; constituitur, neq; cum illo essentialiter connectitur; esse ens, quo ablato, at omnibus aliis adæquatè ab illo distinctis permanentibus, res tamen ab illo adæquatè distincta intereat; ad ablationem alicujus entis prorsus extrin-

trinſeci rem in ſua entitate manere, aliquid tamen eidem rei permanenti, adæquatè & ratione ſui identificatum non manere &c. res ex terminis ipſis, videtur eſſe non minori certitudine, ac evidentia implicatoria, quàm idem ſimul eſſe & non eſſe. Cæterùm quia, qui ingenio reliquis antestant, in parte & argumento magni ingenii ſubinde collocant, rebus etiam notiſſimis, falſitatis; falſiſſimis, ſpeciem veritatis ſuperinducere, morem iis gerere poſt aliorum exempla neceſſe eſt, atq; adſcitam larvam retegere, ut ſua ſe luce veritas ipſa vindicet, quod ut hac quæſtione præſtetur

3. Dico. Connotatum Antonomaſticè tale in omnibus ſuis terminis intrinſecis implicat. Probatur aſſertio *imò*. Connotatum Antonomaſticè tale eſt requiſitum, ut definitio connotati ponit, & non eſt requiſitum ad eſſe rei, ut probo, atq; aſſumo denominationem objectivam ſignificatam per hanc propoſitionem: *Petrus eſt albus*, cujus connotatum, idq; purè extrinſecum, eſſe dicitur albedo & unio. Tum ſic probo. *imò* aſſumptum. Omne requiſitum eſt ab aliquo requiſitum, & ſi ſit purè extrinſecum, ab aliquo adæquatè diſtincto. Sed unio & albedo in illa denominatione non requiruntur ab ullo adæquatè diſtincto, à quo enim? Ergo &c. Dicent: *à Petro*. Contra eſt *imò*: quia nullum eſt fundamentum iſtud Petro attribuendi. *2dò*. Quod poteſt etiam naturaliter, etiamq; moraliter eſſe ſine albedine & unione cum illa, non requirit albedinem & unionem, requiſitum enim per Connotatiſtas eſt

id, sine quo res esse non potest, certè non alia, quam quæ illud requirit. Sed Petrus potest esse etiam naturalissimè, & moraliter esse sine albedine & unione; cùm ista Petro accidant, veraq; sit illa modalis: *contingens est physicè & moraliter Petrum esse album*, consequenter & ista altera, omni illo modo: *possibile est Petrum non esse album*. Ergo &c. 3*tiò*. Quod requirit albedinem ex natura sua non potest esse sine albedine ex dictis & probatis Disp. 2da num. 29. Sed Petrus ex natura sua potest esse sine albedine, quia nullum reperibile est in natura Petri prædicatum, ratione cujus vel albedinem, vel unionem, vel utramq; requirat. Ergo &c.

4. Fortè, ut solent, retorquebunt imprimis argumentum. Etiam constitutivum est requisitum. Sed albedo in prædicta denominatione est constitutivum. Ergo est requisitum. Atqui non est, a quo enim requiritur? Respondeo certè non requiritur à Petro sed à denominatione ipsa Petri objectiva, per albedinem constituta, seu ab hoc, quod est ex parte objecti & rei Petrum esse album, huic verò denominationi non contingit etiam metaphysicè, multo minùs physicè vel moraliter esse albedinis.

5. Respondent directè, & distinguunt. *imò*. Petrus secundùm se, seu purè materialiter sumptus, potest esse sine albedine, adeoq; illam non requirit, concedunt: sumptus materialiter denominativè, seu habens albedinem potest esse sine albedine, negant. Contra est *imò*. In propositione:

one: *Petrꝰ eſt albus*, ly *Petrꝰ* ex parte ſubjecti præ-ciſè ſecundùm ſe materialiter ſumitur, de quo tamen ex parte prædicati verificatur ly *albus* ſeu *habens albedinem* Ergo de Petro materialiter ſumpto de-beret verificari, quòd requirat albedinem.

6. Contra *2dò*. Denominatio, quæ per illam propoſitionem enuntiatur de Petro, eſt illi accidentalis. Ergo de eo enuntiatur, cui eſt acci-dentalis. Atqui Petro ſecundùm ſe & præciſè ma-terialiter ſumpto eſt accidentalis; Petro enim ha-benti albedinem, non eſt accidentalis. Tum quia illi adæquatè identificatur per Connotatiſtas. Tũ quia ille eſt adæquata eſſentia iſtius denominati-onis, nihil autem eſt accidentale ſuæ adæquatæ eſſentiæ. Ergo de Petro materialiter & ſecundùm ſe ſumpto illa denominatio per illam propoſitio-nem enuntiatur. Ergo Petrus ſecundùm ſe & pu-rè materialiter ſumptus deberet requirere, & eſſen-tialiter quidem, albedinem & unionem cum illa.

7. Contra *3tiò*. Propoſitio: *Petrus eſt albus*, non eſt iſta altera: *Petrus habens albedinem eſt albus*, neq; huic æquivalet; 1ma enim eſt in ma-teria contingenti, 2da verò per Connotatiſtas, quoties contra nos arguunt, eſt in materia neceſ-ſaria, ac proinde prior poteſt eſſe falſa, altera non poteſt eſſe falſa. Ergo 1mæ propoſitionis ſen-ſus non eſt iſte, qui eſt 2dæ: quo autem differunt? niſi quòd 1ma de Petro ſecundùm ſe affirmet præ-dicatum: *albus*, 2da de Petro denominativè, & habente albedinem. Quæro itaq; Petrus ſecun-dùm ſe, qui eſt ſubjectum, de quo affirmatur ly

albus,

albus, vel requirit essentialiter albedinem, vel non requirit. Si requirit. Ergo contra sunt omnia per principale argumentum objecta, & manent insoluta. Si non requirit; quis igitur sensus est prædicati? an fortè iste *Petrus constituitur albedine*? Non utiq;, alioqui per Connotaristas, Petrus esset albedo. Ergo fortassis iste: *Petrus purè requirit albedinem* At neq; hic; quia reincidit in priorem, cujus falsitas demonstrata.

8. Contra 4tò. Petrus denominativè sumptus, vel est ipsa denominatio Petri, ipsum denominans album, & hoc erit quod denominatio dicta non possit esse sine albedine, non verò quòd Petrus, qui est denominatus albus, non possit esse sine albedine, hic enim sicut potest non esse albus, ita potest non denominari albus; vel est quid distinctum ab ipsa denominatione prædicta. Quis ergo sensus erit hujus propositionis: *Petrus est albus*? Vel sensus est: *Petrus non potest denominari albus sine albedine*; & hic sensus illius propositionis esse non potest, quia certum & evidens est Petrum non posse denominari & esse album sine albedine, adeoq; istam propositionem esse in materia necessaria veram, quæ non possit esse falsa. Ista verò: *Petrus est, denominatur albus, est cum denominatione albi, connotat, dicit, habet albedinem*, potest esse falsa, igitur prioris sensus non potest esse sensus istius. Vel est sensus: *Petrus albus denominatus, non potest esse sine albedine*; atq; iterum ista propositio est in materia necessaria, & necessariò vera; illa verò: *Petrus est albus*, est contingenter vera. Vel

sen-

ſenſus eſt: *Petrus cum denominatione, & conſequenter cum omnibus ad illam requiſitis ſumptus, non poteſt eſſe ſine albedine*; & hoc non probat Petrum determinatè, ſed aliquod ex requiſitis ad denominationem albi, non poſſe eſſe ſine albedine, quod ultro conceditur, ſed non eſt ad rem argumenti, iterumq; propoſitio erit in materia neceſſaria.

9. Contra 5tò. Petrus denominativè ſumptus, vel nihil eſt plus, quàm entitas Petri; & hanc certum eſt poſſe eſſe ſine albedine, adeoq; & Petrum album denominativè ſumptum, ſi præciſè entitas Petri eſt, poſſe eſſe ſine albedine; vel eſt aliquid plus, quàm entitas Petri, atq; ita Petrus denominativè ſumptus, erit Petrus & albedo adeoq; Petrum album denominativè ſumptum, non poſſe eſſe ſine albedine, erit, vel albedinem non poſſe eſſe ſine albedine, vel complexum ex Petro & albedine. Atqui neq; albedinem non poſſe eſſe ſine albedine, eſt Petrum non poſſe eſſe ſine albedine, neq; complexum ex Petro, & albedine non poſſe eſſe ſine abedine, eſt Petrum non poſſe eſſe ſine albedine, quia Petrus albus neq; eſt albedo, neq; complexum ex Petro & albedine. Certè quamvis complexum ex materia prima & anima, non poſſit eſſe ſine anima, inde non ſequitur, materiam primam, non poſſe eſſe ſine anima. Ergo pariter licet complexum ex Petro & albedine non poſſet eſſe ſine albedine, inde non ſequetur Petrum non poſſe eſſe ſine albedine. Ergo &c.

10. Reſpondent, & diſtinguunt, 2dò. Petrus connotans unionem & albedinem, nec albedi-

bedinem, nec unionem requirit, negant. Petrus non connotans, concedunt. Distinctio est manifesta principii petitio, quasi verò, qui probat impossibile esse connotatum, non hoc ipso probet etiam connotans, ut tale implicare. Pone, quòd Connotatistæ probent, Petrum in esse albi non constitui albedine, quia hæc non est affirmabilis de illo in recto. Nostri verò respondeant: de Petro per albedinem in esse albi constituto non est affirmabilis in recto albedo, nego; non constituto, concedo; nonne claram principii petitionem objicient? Unde contra *imò*. In re responsio dicens: *quòd Petrus requirens albedinem, requirat albedinem & esse sine illa non possit*, est per petitionem principii ad argumentum probans à Petro non requiri albedinem, & illum posse esse sine albedine. Sed dicere: *quòd Petrus connotans albedinem requirat albedinem*, est formalissimè dicere: *quòd Petrus requirens albedinem requirat albedinem*; cùm enim connotatum formalissimè sit requisitum, idq; à connotante, est formalissimè requisitum à requirente, nam si connotatum est ex conceptu suo requisitum, idq; à connotante, connotans erit formalissimè requirens. Ergo responsio ad prædictum argumentum dicens: *quòd Petrus connotans albedinem, requirat albedinem, & esse sine illa non possit*, est mera principii petitio.

11. Contra 2do. Propositio: *Petrus connotans albedinem, requirit unionem & albedinem*, est falsa, quia est à subjecto non supponente, sicut sunt istæ: *corvus albus crocitat, cygnus niger can-*

cantat, homo irrationalis disputat; supponit enim propositio, quòd Petrus sit aut esse possit connotans albedinem, sicut prædictæ propositiones supponunt, quòd corvus sit albus, quòd cygnus sit niger, quòd homo sit irrationalis. Porro illud suppositum falsum esse probat argumentum suprà positum, & istud, quod æquivalet illi: *connotans albedinem, non potest esse sine albedine. Petrus potest esse sine albedine. Ergo Petrus non est connotans albedinem.* Ergo aliâ viâ solvendum esset.

12. Contra *3tiò*. Cùm de Petro affirmas, quòd sit albus, vel istud affirmas de Petro connotante albedinem, ita ut sensus sit: *Petrus connotans albedinem est albus*, vel de Petro secundùm se, ut sonat propositio. Si *1mum*; dato supposito ponis propositionem in materia necessaria, supposito enim, quòd Petrus connotet albedinem, necessariò connotat albedinem. Ergo ponis propositionem non æquivalentem propositioni, in qua affirmas Petrum denominari objectivè, seu Petrum esse album, quæ utiq; est in materia contingenti. Si *2dum*. Ergo propositio hæc: *Petrus est albus* æquivalebit huic: *Petrus secundùm se connotat albedinem*, hæc autem isti: *Petrus secundùm se requirit albedinem*, imò & huic: *Petrus secundùm se requirit essentialiter albedinem*. Atqui istæ & quidem necessariò sunt falsæ, quia Petrus etiam connaturalissimè potest esse sine albedine, hæc autem: *Petrus est albus*, non est necessariò falsa, quia possibile est Petrum esse album. Ergo ista propositio non æquivalet illis prioribus.

13. Con-

13. Contra *4tò*. Rectum objectivum accidentaliter connotantis albedinem potest esse sine albedine. Sed Petrus connotans albedinem est rectum accidentaliter connotantis albedinem. Ergo &c. Major probatur. Rectum objectivum potentis non connotare albedinem potest esse sine albedine, quia hoc ipso, quòd sit potens non connotare, potest non requirere albedinem, adeoq; potest esse sine requisitione albedinis, consequenter sine albedine. Sed rectum objectivum connotantis accidentaliter albedinem, est rectum objectivum potentis non connotare albedinem, accidentaliter enim, adeoq; contingenter connotans albedinem, potest esse, quin connotet albedinem. Ergo &c. Minor etiam argumenti est vera, quia Petrus connotans albedinem, potuit illam, & deinceps potest non connotare. Ergo si connotat, accidentaliter connotat. Sed rectum objectivum Petri connotantis albedinem, est ipsemet Petrus connotans albedinem, hic enim verè est affirmabilis in recto de Petro connotante albedinem. Ergo &c. Deniq; Petrus non requirit albedinem, potest esse sine albedine. Sed Petrus connotans albedinem est Petrus. Ergo Petrus connotans albedinē, non requirit albedinē potest esse sine albedine: qualiter arguere contra nos Connotatistæ solent, vg. compositum substantiale non constituitur albedine. Sed Petrus albus est compositum substantiale. Ergo Petrus albus non constituitur albedine.

14. Respondent, & distinguunt *3tiò*. Rectum connotantis albedinem potest quoad re-

ctum

ctum esse sine albedine, negant. Rectum connotantis albedinem potest quoad obliquum esse sine albedine, concedunt. Contra est *imò* ex concessa parte. Tum quia rectum connotantis albedinem potest quoad obliquum esse sine albedine Ergo rectum connotantis albedinem potest esse sine obliquo, hoc enim obliquum est utiq; ipsamet albedo. Ergo rectum connotantis non requirit obliquum; quid igitur illud requirit? Tum quia rectum connotantis albedinem posse quoad obliquum esse sine albedine, vel est sensus, quòd obliquum istius recti possit esse sine albedine, quæ importatur in obliquo; & hoc est falsum, quia hoc obliquum est albedo, quæ non potest esse sine seipsa. Vel est sensus, quòd rectum connotantis albedinem possit illam non importare in obliquo in denominatione affirmata: *Petrus est albus*; & istud iterum est falsum, cùm in conceptu suo quidditativo importet illam in obliquo, albedo enim est connotatum immediatum recti connotantis albedinem. Ergo est tale connotatum, sine quo rectum connotantis albedinem, nec esse, nec concipi potest, idq; ita, ut non importetur in recto, sed purè in obliquo, ut hæc omnia Connotatistæ. Vel certè sensus est quòd rectum connotantis albedinem possit esse sine obliquo; atq, sic iterum obliquum, in præsenti albedo, non esset connotatum immediatum recti connotantis albedinem, quia rectum connotantis albedinem, est ipsum connotans albedinem, quod utiq; requirit albedi-

nem

nem. Quid igitur tandem eſt iſtud poſſe quoad obliquum eſſe ſine albedine?

15. Contra eſt 2dò ex negata parte. Rectum connotantis albedinem non poſſe quoad rectum eſſe ſine albedine, vel eſt rectum non poſſe eſſe ſine ſeipſo recto; & hoc eſt equidem verum, ſed extra rem: argumentum enim probat, quòd connotatum non ſit requiſitum à recto, rectum autem non eſt recti connotatum, alioqui connotatum importaretur in recto, & eſſet affirmabile de recto in recto, à quo abhorrent Connotatiſtæ Vel eſt rectum connotantis, non poſſe non eſſe rectum habentis albedinem; & hoc erit dicere, quòd rectum connotantis, requirat rectum habentis albedinem, ſed non eſt dicere, quod requirat connotatam albedinem, quæ non eſt rectum, ſed purum obliquum connotantis. Deinde recto connotantis vg. Petro contingens eſt eſſe rectum connotantis albedinem, quia concontingens eſt illi eſſe album. Ergo Petrus poteſt non eſſe rectum connotantis. Deniq; Petro vg. tam eſt eſſentiale prædicatum poſſe eſſe ſine albedine, poſſe non eſſe album, ſeu non eſſe rectum albi, ſicut illi eſſentiale eſt eſſe ſubſtantiam, eſſe vivens, eſſe rationale. Ergo ſicut iſta omnia affirmabilia ſunt de Petro, etiam connotante albedinem, ita verè affirmabile eſt in recto eſſe potens non eſſe album, ſeu eſſe id, quod poteſt eſſe ſine albedine. Primum probare ſolent Connotatiſtæ tali ſyllogiſmo: *omnis homo eſt ſubſtantia. Petrus habens albedinem, connotans albedi-*

nem

nem est homo. Ergo Petrus habens albedinem, connotans albedinem, est substantia. Sic etiam: *Omnis substantia corporea saltem ex defacto existentibus, potest esse sine albedine. Atqui Petrus connotans, habens &c. albedinem, est substantia ex defacto existentibus. Ergo Petrus connotans, habens &c. albedinem, potest esse sine albedine.* Ratio est, quamvis enim Petrus habendo albedinem in sensu composito non possit carere albedine, id tamen non provenit ex entitate Petri, sed ex ipsa albedine, quæ non potest esse cum carentia albedinis; non verò ex eo, quòd in sensu composito habentiæ albedinis Petrus ex parte sua careat potentiâ ad carere albedine, hæc enim potentia illi adæquatè ipsiusq; entitati identificatur, adeoq; sicut entitatem suam non amittit per sensum compositum cum habentia albedinis, ita potentiam illam ad carere albedine, non esse rectum albi, ex parte sua non amittit, componitq; illam etiam cum actuali habentia albedinis.

16. Iisdem terminis alii in speciem aliter utuntur, & distinguunt 4*tò*. Petrus habens, connotans albedinem, potest esse sine albedine, ratione recti, negant; ratione obliqui concedunt: ita sicut, *inquiunt*, in opposita sententia denominatio albi est accidentalis Petro non ratione recti, sed ratione obliqui constitutivi. Supponunt enim, quòd nos dicamus à Petro requiri esse album, aut Petrum album non posse esse sine albedine, quod non est ita. Asserimus *denominationem objectivam Petri in esse albi requirere albedinem, nec pos-*

se

ſe eſſe ſine illa, & Petrum non poſſe eſſe album ſine albedine; ſed non aſſerimus: *Petrum album non poſſe eſſe ſine albedine, Petrum album ad ſuum eſſe requirere albedinem.* Magnum eſt inter ejusmodi propoſitiones diſcrimen, ut colliges ex dictis Diſp. 1. Contra diſtinctionem autem *imò* eſt. Vel iſta diſtinctio adfert alium ſenſum à priore, vel omnino eundem cum priore. Si omnino eundem cum priore, imprimìs ex ſuperfluo vocabula declinantur; deinde omnia contra diſtinctionem priorem, redeunt contra iſtam poſteriorem. Si non eundem, debuit explicari, & diverſitas ſenſûs oſtendi.

17. Contra *2dò* Petrus poteſt eſſe ſine albedine ratione recti, quia Petrum poſſe eſſe ſine albedine ratione recti, eſt Petrum poſſe eſſe ſine albedine, & rationem cur ita poſſit eſſe, eſſe rectum Petri habentis albedinem, ſeu entitatem & ſubſtantiam ipſius. Sed hoc totum verum eſt; poteſt enim & Petrus eſſe ſine albedine, & ratio cur ſine illa poſſit eſſe, eſt ſubſtantia entitasq́; illius, utpote identificans ſibi adæquatè indifferentiam ad eſſe album, vel non eſſe album, adeoq́; ſicut potentiam ad eſſe cum albedine, ita potentiam ad eſſe ſine illa; cùm præfata illius indifferentia ſit formaliſſimè utraq; illa potentia. Quodſi per ly *ratione recti*, intelligant ſuo modo Connotatiſtæ, quòd rectum Petri non poſſit eſſe ſine recto habentis albedinem, idem erit dicere ac Petrum non poſſe eſſe ſine Petro, quod utiq́; non eſt non poſſe eſſe ſine albedine, neq́; iſtud infert. Si rurſus ſenſus eſt: *Petrus non poteſt eſ-*

ſe

ſe, *quin ſit rectum albi*, ſeu niſi adferatur in recto albi, eſt iterum falſum, quia iterum ſenſus aſſerti eſt: *Petrus neq; ſine hoc eſſe poteſt, ut ſit Petrus, neq; ſine albedine, & unione illius.*

18. Contra 3tiò. Petrum poſſe eſſe ſine albedine ratione obliqui, vel eſt (ut eſſe Dialecticè deberet) Petrum poſſe eſſe ſine albedine, & rationem, quòd poſſit eſſe ſine albedine, eſſe ipſum illius obliquum, ſcilicet albedinem; & ex hoc ſequitur quidem, quòd Petrus tali ſenſu poſſit eſſe ſine albedine, non tantùm ratione ſui ut probatum, ſed etiam ratione obliqui ſeu albedinis, inquantum etiam albedo ex parte ſua, non requirit ineſſe Petro, ab illo haberi, dici, connotari &c. Sed hoc admiſſo non ſequitur ullo modo, quòd Petrus requirat albedinem. Vel eſt ipſum obliquum poſſe eſſe ſine Petro; & inde non ſequitur Petrum poſſe eſſe ſine albedine, nam & Deus poteſt eſſe ſine creatura, qui eſt obliquum creaturæ connexæ cum illo, nec tamen illa poteſt eſſe ſine illo. Vel deniq; eſt obliquum, quod eſt albedo, non poſſe eſſe ſine albedine; & hoc quidem verum eſt, ſed ex eo non ſequitur, poſſe Petrum eſſe ſine albedine. Certè etiam actio conſervativa Petri ſine ſe ipſa eſſe non poteſt, neq; tamen ideo Petrus poteſt eſſe ſine illa. Quodſi nihil ex præfatis dicitur, proferant alium ſenſum Connotatiſtæ.

19. Probo 2dò aſſumptum numeri hic 3tii. Omne requiſitum eſt ad aliquid requiſitum. Sed connotatum vg. Petri habentis

S albe-

albedinem ad nihil est requisitum, ad quid enim? Dicent sine dubio, quòd connotatum Petri habentis albedinem, sit à Petro requisitum ad denominationem albi. Contra est. Vel responsio procedit de formali denominatione, & sensus erit: *Petrus ut denominetur hoc conceptu vel vocabulo: albus, requirit albedinem*; atq; quantùm ad vocabulum, istud est falsum, quia hoc vocabulum: *albus*, potuit significare idem, quod niger, & ly *niger* potuit significare id, quod nunc significat vox: *albus*. Potuit etiam, & potest Petrus cognosci per actum, & significari per vocem: *albus*, quamvis in se non sit albus, quia potuit vel potest terminus ille sive mentalis, sive vocalis poni pro prædicato in propositione, falsò enuntiante, quòd Petrus sit albus. Vel eadem responsio procedit de objectiva denominatione, & sensus erit: *Petrus ut revera in se ac ex parte objecti sit albus, requirit albedinem*.

20. Contra quod est *imò*. Cùm dicitur: *Petrus ad hoc ut sit re ipsa albus, requirit albedinem*, non est utiq; sensus, quòd Petrus requirat esse ex parte objecti albus, cùm enim omnino contingenter sit albus, potest esse & non esse albus. Deinde potest in se absolutè non esse albus, & tamen verificare, quòd ad hoc, ut sit albus, requirat albedinem; sicut etiam carens equo, requirit equum ad equitandum. Deniq; requirere albedinem ad esse album, non est connotare ullam albedinem saltem eo modo, & ea connotatione, quæ requiritur ad verificandam propositionem: *Petrus est albus*

bus, quia eo modo connotare albedinem, eſt actu habere albedinem; jam autem requirere albedinem ad eſſe album, non eſt habere actu albedinem, ſicut requirere equum ad equitandum, non eſt habere actu equum. Atqui argumentum procedit de denominatione objectiva verificativa iſtius propoſitionis: *Petrus eſt albus*, non verò de verificativa iſtius: *Petrus non poteſt eſſe albus ſine albedine*; prima eſt materiæ & veritatis contingentis, 2da neceſſariæ. Ergo ad tuitionem illius non rectè aſſumitur & obtruditur iſta. Quæritur enim in re, quinam ſit ſenſus primæ in ſententia Connotatiſtarum?

21. Contra *2dò*. Quia in ſententia Connotatiſtarum nè quidem iſtud explicabile eſt, quomodo verum ſit, quod Petrus ad ſe eſſe album ſeu ad eſſe albi, requirat albedinem; hoc enim requirere albedinem ad eſſe albi, eſt in ſententia illorum requiri albedinem (idem ſemper de unione) ad eſſe connotantis albedinem, ſeu ad hoc, ut connotans albedinem ſit affirmabile de Petro in recto. Porro Petrus ad hoc eſſe connotans, ſeu ad eſſe rectum connotantis, non requirit albedinem, quia rectum connotans albedinem poteſt eſſe ſine albedine, & poteſt affirmari de Petro in recto ſine albedine, rectum enim connotantis albedinem verè affirmabile de Petro, eſt præciſè Petrus, nullatenus verò eſt ſeu albedo, ſeu unio. Sed Petrus poteſt affirmari in recto & verè de Petro, ſive ſit albedo ſive non ſit. Ergo Petrus ad eſſe rectum connotantis albedinem, non requirit albedinem.

22. Contra *3tiò.* Neq; connotans ad esse rectum connotantis, ut probatum, sed neq; ipsa connotatio, ut verificetur de Petro, requirit albedinem. Ergo Petrus neq; ad esse connotantis albedinem, neq; ipsa in illo connotatio albedinis, requirit albedinem. Antecedens probatur. Nullum prædicatum adæquatè identificatum Petro, ut verificetur de Petro, requirit albedinem, quia ad hunc finem neq; Petrus, neq; tota entitas vel quidditas Petri, neq; ulla pars illius requirit albedinem, prædicatum verò adæquatè identificatum Petro, est ipsemet Petrus, & tota entitas, totaq; quidditas Petri. Sed tam esse connotans albedinem & unionem, est prædicatum adæquatè & soli Petro identificatum ut docent Connotatistæ, quam ipsa connotatio albedinis, cùm sit aliqua habitudo Petri ad albedinem, adeoq; aliqua ad illam relatio, per Connotatistas est prædicatum adæquatè identificatum Petro, consequenter neq; connexum cum albedine, cùm nullum prædicatum adæquatè identificatum Petro, sit cum illa connexum. Ergo &c.

23. Contra *4tò.* Si tota essentia rei istius: *Petrum esse album*, potest esse sine albedine, res ipsa, quæ est *Petrum esse album*, potest esse sine albedine, adeoq; ad *Petrum esse album* non requirit albedinem. Sed tota essentia rei istius: *Petrum esse album* potest esse sine albedine, quia omnia distributivè & collectivè constitutiva istius essentiæ possunt esse sine albedine; jam ab omnibus saltem collectivè non distinguitur ullo modo tota cujuscunq;

cunq; rei essentia. Neq; per hoc, quòd Petrus sit albus vel non albus, alia sunt constitutiva Petri albi & alia non albi. Tum quia utriusq; rectum adæquatum est idem, & omnia affirmabilia de illo in recto sunt eadem. Tum quia data mutatione Petri ex albo in non album, vel è contra, mutarentur constitutiva, adeoq; mutaretur essentia Petri. Ergo &c.

24. Contra 5tò. Si ad esse albi, stante sententia Connotatistarum requirit Petrus & suam entitatem, & albedinis & unionis, nulla dabitur denominatio connotativa, cum connotato purè extrinseco; quælibet enim erit non sine connotato semiintrinseco, quia hoc ipso quòd requiret Petrus vg. ad esse albi singula prædicta & omnia, requiret consequenter complexū ex omnibus, non enim singula & omnia dari possunt, quin detur complexum ex omnibus. Jam istud complexum est per Connotatistas connotatum semiextrinsecum Petro.

25. Contra *deniq;* Quòd Petrus ad esse albi requirat albedinem, vel sensus est, quòd ad esse præcisè Petri requirat albedinem, atq; per se est falsum; vel quòd ad esse Petri & alterius entis à Petro adæquatè vel inadæquatè distincti (neq; enim est cogitabile medium) requirat albedinem. Si ad esse alterius adæquatè distincti, hoc esset in præsenti albedo; quæ non est esse album, non denominatio albi per ipsos Connotatistas. Si ad esse inadæquatè distincti. Ergo ad esse concreti, seu complexi ex Petro & albedine; cùm in præsenti nullum aliud adsit, quatenus res versatur inter duo tantummodo entia, Petrum & albedinem.

Ergo denominatio albi erit istud complexum ex Petro & albedine, ad quod equidem non Petrus, sed ipsummet complexum ad suum ipsius esse requirit albedinem.

26. Respondent *imò* retorquendo & probando pari ratione, quòd Petrus in esse Petri albi non constitueretur albedine & unione, quia ad esse albi non requirit albedinem & unionem. Respondeo. Nego assumptum. Nam Petrus in esse albi est ista denominatio objectiva: *Petrum esse album*, & hæc quidem requirit albedinem & unionem & Petrum, omnibusq; istis constituitur, non autem Petrus ex parte sua id requirit. Petrum esse album, in re est, Petrum existere, albedinem existere, unionem existere, naturâ denominationis ea singula existere requirente. Hæc distributivè sumpta requirunt existentiam, sed accommodè, hoc est quodlibet suam; sola unio, si est connexa, requirit præter suam, etiam Petri & albedinis existentiam, complexum objectivum ex illis requirit suam, & illorum sigillatim omnium existentiam, unio titulo connexionis, complexum titulo constitutionis.

27. Respondent 2*dò* directè, quòd Petrus secundùm se præcisè ad esse albi non requirat albedinem, sed Petrus connotans albedinem, requirit albedinem ad esse connotantis albedinem. Clarè responsio obtrudit, quod est oppugnatum, adeoq; merè petit principium; probatum jam habes, quòd nè quidem Petrus connotans albedinem requirat albedinem; sed neq; de hoc res est: *an*

Petrus,

Petrus connotans albedinem? ſed *an Petrus ad eſſe connotantis albedinem requirat albedinem?* ſupponis in ſubjecto, & prædicatum apponis, cùm ſit & falſitas ſubjecti ſupponentis, & prædicati etiam de ſupponente affirmati probata, adeoq; recurrunt eadem argumenta, & vim ſuam ut inſoluta ſuſtinent, donec alia ratione ſolvantur.

28. Reſpondent *3tiò.* Petrus cùm dicitur requirere albedinem ad ſuam denominationem, dicitur requirere illam ad eſſe Petri habentis albedinem. *Contra eſt.* Petrus habens albedinē in re vel eſt præciſè Petrus, atq; ita Petrus ad eſſe Petri requireret albedinem, quod eſt falſiſſimum; vel eſt præciſè albedo, atq; ita Petrus requireret ut albedo ſit albedo, quod vel abſolutè falſum eſt, vel non magis ad rem eſt, quam ſi diceres, requiri à Petro ut lapis ſit lapis; vel eſt complexum ex Petro & albedine, atq; ita Petrus requirens ad eſſe albi albedinem, requiret albedinem ad aliquid quod albedine conſtituitur. Ergo cùm requirat ad eſſe albi, eſſe album erit aliquod concretum Petro & albedine conſtitutum.

29. Dicent: eſſe præciſè Petrum, ſed dicentem albedinem. Iterum redit argumentum de Petro dicente albedinem. Dicent: Petrum dicentem albedinem, eſſe Petrum connotantem albedinem. *Contra eſt.* Tum quia hoc eſt in re Petrum dicentem albedinem eſſe requirentem albedinem, quod eſt in quæſtione: ad quid illam requirat? Tum quia redit argumentum de Petro & dicente & connotante albedinem. Quidquid

quid demum reposuerint, istud cùm esse debeat aliquid reale entitativum, debet esse vel una entitas, vel duæ, vel tres &c. vel entitas Petri, vel entitas albedinis, vel utraq; consequenter binarius entitate Petri & albedinis constitutus.

30. Dicent: esse quidem duas entitates, sed unam in recto, scilicet entitatem Petri, alteram in obliquo, scilicet entitatem albedinis. Contra *1mò.* agitur de denominatione objectiva ut in se est; in se verò neq; entitas Petri est in recto, neq; entitas albedinis est in obliquo.

31. Contra *2dò.* Si de recto & obliquo objectivis quod respondent, intelligunt entitatem Petri in recto objectivo esse, erit entitatem Petri esse affirmabilem de Petro in recto formali, & esse entitatem albedinis in obliquo objectivo, erit esse entitatem albedinis non affirmabilem in recto formali de Petro. Atqui ad hoc, ut entitas Petri sit affirmabilis de Petro in recto formali, & entitas albedinis non sit affirmabilis taliter de Petro, Petrus non requirit albedinem, nam sive hæc illi adsit, sive desit, utrumq; obtinebit. Ergo &c. Dicent: albedinem in obliquo esse, non est præcisè esse inaffirmabilem in recto de Petro, sed insuper esse requisitum essentiale Petri. *Contra est.* Ergo quòd Petrus requirat albedinem ad esse albi, erit idem, ac quòd Petrus requirat albedinem, ut illa & non sit affirmabilis in recto de Petro, & sit ipsius requisitum essentiale. Sed nonne istud est clarissimè ineptire? atq; principium petere? istud quip-

quippe hactenus oppugnatur, quòd albedo non sit requisitum Petri essentiale ad quidquam.

32. Contra *3tiò*. Petrus in recto, albedo in obliquo, vel est unicè entitas Petri, vel unicè entitas albedinis, vel complexum ex utraq;, non est quartum ex parte objecti ullo modo assignabile. Non primum, non secundum, ut toties suprà. Ergo tertium. Ergo Petro & albedine constitutum. Deniq; si Petrus dicens, connotans, habens, respiciens albedinem &c. non est quid plus quàm præcisè Petrus. Ergo quoties Petrus est id quod Petrus, est id quod est, toties erit Petrus in recto, albedo in obliquo, erit Petrus dicens, connotans, requirens, habens, respiciens albedinem, & quidquid demum accumulaveris. Si plus, ergo erit & Petrus, & minimùm altera aliqua entitas vg. albedo. Ergo Petrus dicens, connotans, requirens, habens albedinem, erunt in re minimùm duæ entitates affirmabiles in recto de eo, quod in re est Petrus dicens, connotans in recto Petrum, in obliquo albedinem.

33. Probo deniq; *3tiò* idem assumptum num. 3tii. Quod aliquid requirit, ex natura sua illud requirit, alioqui non illud erit id, quod requirit, sed aliud illi additum vel annexum. Sed Petrus non ex natura sua etiam ad esse albi requirit albedinem, quia ista requisitio non infundatur ullo modo ulli prædicato quidditativo, sive Petri, sive cujuscunq; constitutivi Petrum constituentis. Ergo &c. Minor probatur. Tum quia non potest ostendi istud prædicatum. Tum quia hoc

præ-

prædicatum non poteſt eſſe, niſi vel conſtitutum per albedinem, vel cum illa connexum. Atqui per Te neq; Petrus albus, neq; eſſe Petrum album, neq; iſtorum conſtitutiva conſtituuntur albedine, neq; etiam cum illo connectuntur. Ergo &c.

34. Reſpondent negando Majorem, quia præter titulum conſtitutionis, vel connexionis, datur titulus connotationis. *Contra eſt*. Quæro: titulus connotationis quid eſt? Eſt, *inquiunt* titulus puræ requiſitionis. Pulcherrimè ſanè. Dicito fidenter ad eſſe hominis requiri lapidem, ac ſi quæratur: quo per DEUM titulo? non utiq; lapis hominem ullo modo conſtituit; non homo, non ullum hominis conſtitutivum connectitur cum lapide? reſponde ita eſſe: requiritur tamen titulo puræ requiſitionis, hoc eſt requiritur, quia citra omnem connexionem, identitatem, conſtitutionem, exigentiam, dependentiam, &c. requiritur. Dicent non ſe in hoc ſiſtere, ſed aſſerti cauſam habere, quia ablata ſola albedine album tollitur. Cæterùm falſum iſtud eſſe debet in Connotatiſtarum ſententia, quia ſola ablata albedine, Petrus albus, qui eſt rectum albi, non tollitur. Deinde ſi album, neq; identificatur albedini ullo modo, adeoq; per illam nullatenus conſtituitur, neq; cum illa connectitur, ſive titulo exigentiæ, ſive titulo dependentiæ, quo titulo ſola ablata albedine tolleretur? erit redeundum, & dicendum omnino, quia requiritur, & hoc ipſum quo titulo? quia purè requiritur, ac deniq; requiritur, quia tollitur; & tollitur, quia requiritur.

35. Pro-

35. Probatur *2dò* aſſertio. Si daretur connotatum ac vg. albedo eſſet Petri albi connotatum, tunc & eſſet requiſitum eſſentiale, quia tale requiſitum eſſe, eſt de ratione quidditativa connotati, & non eſſet, ut probo *imò.* quia nullum eſt fundamentum attribuendi iſtud connotato materialiter in re (ſeu illi rei, quam tu vocas connotatum) ſaltem omni, & non ſunt ſine neceſſitate & fundamento multiplicanda eſſentialia requiſita rei ad eſſe rei.

36. Probo *2dò.* Quod non eſt ſimpliciter & abſolutè requiſitum Petri albi, illud multò minus eſt requiſitum eſſentiale Petri albi. Sed ex ſuprà probatis albedo non eſt requiſitum Petri albi. Ergo &c.

37. Probo *3tiò.* Requiſitum eſſentiale Petri albi juxta Connotatiſtas eſt, ſine quo Petrus albus, vel Petrum eſſe album nè quidem divinitus eſſe poteſt. Sed ſi albedo eſt connotatum, Petrus albus, & Petrum eſſe album, poteſt ſaltem divinitus eſſe ſine albedine. Ergo &c. Minor probatur. Si albedo & ipſum eſſe reale, quod eſt Petrum eſſe album, neq; Petrum album, neq; illud ipſius eſſe realiter album conſtituit, non etiam terminat eſſentialem ipſius connexionem, poterit ſaltem divinitus Petrus albus, & illud eſſe Petrum album eſſe ſine albedine. Sed albedo neq; Petrum album, neq; illud eſſe conſtituit, quod eſt Petrum eſſe album, non eſt etiam terminus eſſentialis connexionis, cum quo vel Petrus albus, vel Petrum eſſe album eſſentialiter connectitur. Ergo &c. Minor

patet

patet. Tum quia juxta Connotatiſtas albedo Petri albi & ſuæ denominationis objectivæ, ſeu illius eſſe quod eſt Petrum eſſe album, eſt connotatum purè extrinſecum, aliàs ſola ablata albedine, Petrus albus, non tantùm ratione obliqui ſeu albedinis, ſed etiam in ſua ipſius entitate, vel ut ipſi loquuntur, ratione ſui periret. Ergo albedo dicta non constituit Petrum album &c. Tum quia eadem albedo ex probatis non requiritur ullatenus ad eſſe Petrum album in ſenſu Connotatiſtarum. Ergo nec eſt terminus connexionis &c. Major etiam patet, quia unum ſine altero etiam divinitus eſſe non poſſe, non poteſt aliunde venire, niſi aut exinde, quòd impotens eſſe ſine aliquo cōſtituatur per illud adæquatè vel inadæquatè, aut quòd terminet eſſentialem ipſius connexionem. Oſtendant enim alium titulum ejusmodi impoſſibilitatis ad eſſe unum ſine altero.

38. Probo *4tò*: quia ſemel admiſſò connotato, non eſt ratio, cur ad rationem connotati etiam ſtrictè talis non ſufficeret eſſe requiſitum purè phyſicum vel morale, cùm etiam ex talis requiſiti ablatione, propriè & ſimpliciter, certò ac evidenter, ut plurium ex Novioribus Connotatiſtis fert ſententia, inferatur ablatio rei phyſicè vel moraliter illud requirentis. Admittit equidem unus ex Novioribus Connotatiſtis in ſuis ſummulis num. 13. etiam ſolo tali requiſito ablato, rem tolli moraliter vel naturaliter; ſed quâ doctrinæ conſequentiâ id admittitur definito connotato ſtrictè tali, & ut ſic, per requiſitum eſſentiale,

ſine

ſine quo res etiam divinitus eſſe non poſſit, adeoq́; per tale requiſitum, quo ablato, non tantùm moraliter vel naturaliter, ſed ſumma neceſſitate tolli debeat res? Sequeretur etiam, quòd ablato ſolo calore, ignis non eſſet quidem moraliter, non naturaliter calidus, divinitus tamen & miraculoſè eſſet calidus: ſed fierine poteſt, ut ablato calore, ignis etiam per abſolutam DEI potentiam ſit calidus? fortè chimericè, non miraculosè.

39. Probatur *3tiò* aſſertio. Si vg. albedo Petri albi eſſet connotatum, ſola ablata albedine, & periret Petrus albus, cùm hoc ſit per Connotatiſtas vel de eſſentia connotati, vel ſaltem de conſectaria iſtius proprietate, ut conſtat ex argumento ab illis propoſito, de quo Diſp. 2. num. 158. & non periret, ut probo *imò*; quia nullum poteſt eſſe iſtius fundamentum, ſalvo principio Connotatiſtarum juxta quod ad veritatem propoſitionis affirmativæ requiritur adæquata identitas inter rectum ſubjecti, ac rectum prædicati, vg. ut vera ſit propoſitio: *Petrus albus ſola ablata albedine tollitur*, inter rectum ſubjecti, quod eſt Petrus, & rectum rei, quæ tollitur, deberet eſſe adæquata identitas, adeoq́ ipſummet rectum ſubjecti ſcilicet Petrus, vel deberet eſſe rectum ablati, adeoq́; ablatus ſecundùm ſe, vel identificari adæquatè ablatæ albedini, adeoq́; eſſe ablata albedo.

40. Probo *2dò* idem aſſumptum. Quo quomodocunq́; ablato res non perit, multò minùs illo ſolo ſublato perit. Sed neq́; Petrus albus, neq́; Petrum eſſe album, conſequenter ad doctri-

nam

nam Connotatiſtarum quomodocunq; ablata albedine perit, ut hactenus probatum. Ergo multò minùs ſola ablata albedine perit.

41. Probo *3tiò.* idem aſſumptum. Rectum Petri albi non perit ſola ablata albedine Petri. Atqui Petrus, albus &c eſt rectum Petri albi. Ergo Petrus albus non perit ſola ablata albedine. Firmatur. Petrus non perit ſola ablata albedine. Sed Petrus albus eſt Petrus. Ergo Petrus albus non perit ſola ablata albedine.

42. Probo *4tò* idem aſſumptum. Sola ablata albedine manent adhuc omnia conſtitutiva Petri albi, etiam in eſſe albi. Ergo manet tota eſſentia Petri albi etiam in eſſe albi. Ergo manet & ipſe Petrus albus in eſſe albi, ſola ablata illius albedine.

43. Probo *5tò* idem aſſumptum. Quo ſolo ablato manent omnia conſtitutiva & omnia requiſita Petri ad eſſe album, illo ſolo ablato non perit Petrus albus. Sed ſola ablata Petri albedine manent omnia conſtitutiva & eſſentialiter requiſita ad eſſe Petri albi, albedo enim non eſt ullum ex conſtitutivis Petri albi etiam in eſſe albi, ut Connotatiſtæ ultro concedunt. Non etiam albedo eſt ullum ex requiſitis ad Petrum album etiam in eſſe albi, ut ſuprà probatum. Ergo &c.

44. Probo *6tò* idem aſſumptum. Ex duobus entibus adæquatè diſtinctis unico ſolo ſublato manet alterum, adeoq; non perit. Sed connotans & connotatum vg. Petrus albus etiam in eſſe albi, & albedo ſunt duo entia à ſe adæquatè

tè distincta. Ergo uno solo ex illis pereunte, in hypothesi nostra pereunte sola albedine, alterũ scilicet Petrus albus, etiam in esse albi manet, adeoq; non perit. Major declaratur. Tum quia dictæ propositioni infundatur doctrina subtractionis Arithmeticæ, virtute cujus, si ex duobus unum præcisè subtrahas, manet alterum unum, si ex tribus subtrahas unum, tantùm manent duo &c. Tum quia ex ipsis terminis est notum differre ista: *ex duobus adæquatè distinctis unum solum tollitur*, & *ex duobus adæquatè distinctis non unum solum tollitur*; quô igitur differrent, si tam solo, quàm non solo ablato uno auferrentur duo? Tum quia in simili dilemmatis forma, quâ uti solent adversum nos Connotatistæ, sic arguo. Angelo vg. unico ex duobus ablato, vel ablati sunt duo Angeli, vel unus. Si unus & unicus; quomodo duo? si duo, quomodo unicus? Huc refer dicta Disp. 2. à num. 132.

45. Ad retorsionem de toto & parte, quâ solâ ablatâ sic auferretur totum, quòd sola auferretur & non sola, habes responsionem datam Disp. 2. num. 24. & 149. Responsiones quoq; Noviorum Connotatistarum ad præsens argumentum productas & impugnatas ibidem habes à num. 135. & 150.

46. Antiquioribus usitata fuit responsio in materia relationum, sed applicabilis omni alteri denominationi. Ablato, *inquiebant*, solo connotato denominationem manere quoad rem, sed non quoad denominationem. *Contra est*.

Ipsa-

Ipſamet denominatio objectiva, eſt aliqua res ex parte objecti, neq; enim mera eſt vox aut ens fictitium, loquimur certè de denominatione objectiva reali, ut condiſtincta, imò independente à termino formali denominativo. Sed iſta res ablato ſolo connotato vg. ſola albedine non tollitur. Ergo & denominatio ipſa objectiva non tollitur. Minor probatur. Ablata ſola albedine, manet id totum, cui adæquatè identificatur denominatio objectiva albi, manet enim Petrus, manet adæquatum rectum denominationis, manent proinde omnia diſtributivè & collectivè conſtitutiva denominationis Petri albi, & quidquid demum iſta denominatio eſt adæquatè vel inadæquatè, manet igitur tota prorſus eſſentia denominationis. Ergo non tantùm res denominata, ſed ipſius denominationis res tota & conſequenter ipſa denominatio manet. Ergo Petrus albus & quoad rem, ſeu quo ad ſe, & quoad denominationem manet.

47. Ajunt non manere denominationem, quia ſola ablata albedine, Petrus, quamvis maneat, non tamen denominatur albus. *Contra eſt.* Implicat dari denominabile, ſimulq; denominationem illi applicatam, ut applicari requirit, & tamen rem non denominari. Sed ſola ablata albedine datur res denominabilis, ſcilicet Petrus; datur quoq; denominatio illi adæquatè identificata; datur ſufficiens applicatio, ſcilicet rei denominabilis cum ſua denominatione adæquata identitas. Ergo ſola ablata albedine, implicat non dari denominationem, & denominabile per illam

lam non denominari. Minor probatur. Si istius: *denominatur*, quidquid tandem per illud intelligatur, datur tota essentia, omnia & singula constitutiva, ipsum etiam: *denominatur*, datur objectivè, aliàs res esset separabilis realiter à sua essentia adæquata, atq; ita distingueretur illa realiter, & res non esset id, quod est, vel simul esset, & non esset. Sed si omnia illa dantur, de quibus Minor, datur tota quidditas, essentia istius: *denominatur*. Ergo &c.

48. Dices: non dari purum requisitum, scilicet formam purè requisitam ad denominationem, supponitur enim sola ablata. Sed *Imò*, si denominatio vg Petri albi adæquatè constituitur sola entitate Petri albi, albedo non est requisitum, ut hactenus probatum. *2dò* quamvis non daretur ad denominari purè requisitum, daretur tamen ipsa tota essentia istius: *denominatur*. Ergo daretur: *denominatur*, quia quamvis possit aliquod dari requisitum etiam essentiale ad dari & existere actu totam essentiam rei, tamen nullo opus est alio requisito, adæquatè à tota essentia distincto, ut si tota essentia rei datur, res detur, quia ad hoc nulla sunt alia requisita, præter identitatem adæquatam, essentiæ rei cum re, cujus est essentia. Hæc enim facit, ut tota rei essentia non sit in ullo casu etiam impossibili extra suppositionem se formaliter & immediatè tollentem separabilis à re, & ipsa sit, res verò non sit, adeoq; immediatè formaliter sit, quod est, & non sit, quod est. *3tiò*. In dato casu, scilicet ablata sola

albedine essentia istius: *denominatur*, est habens albedinem, dicit albedinem, connotat albedinem, consequenter ad doctrinam Connotatistarum; quia id ipsum, Petrum vg. denominari, habere, connotare, dicere requirere albedinem, adæquatè identificatur soli Petro per Connotatistas. Atqui in eo casu habet Petrus, quidquid ipsi adæquatè identificatur. Ergo habet etiam id, quod est habere requisitum. Ergo habet etiam requisitum.

49. Probatur 4tò assertio. Si daretur connotatũ, tunc & esset purũ requisitum ad esse rei, hæc enim est quidditativa differentia connotati; & non esset purum requisitũ ad esse rei ut probo. Quod est vel constitutivum, vel saltem in se includit constitutivum rei, non est purum requisitum ad esse rei, ut probatum Disp: 2. num. 33. Sed connotatum vel est, vel includit constitutivum rei. Ergo &c. Minor probatur. Quo solo ablato res tollitur, vel est, vel includit in se constitutivum rei, ut probatum itidem Disp. 2 num. 132. Sed connotatum est id, quo solo ablato res tollitur, ut docent Connotatistæ. Ergo &c.

50. Probatur 5tò assertio. Si daretur connotatũ, tunc & non esset rei constitutivũ, istud enim requiritur ad esse quidditativum & differentiale connotati, atq; in hoc consistit tota puritas requisiti; & esset constitutivum, ut probo *imò*. Quo ex adæquatè distinctis solo totaliter ablato res tollitur, ita ut nihil ab illa adæquatè distinctum tollatur, illud est constitutivum rei, ut probatum Disp. 2. num. 146. Sed ex adæquatè distinctis,

solo

ſolò totaliter ablato connotato res tollitur. ut aſſerunt Connotatiſtæ, ita, ut nihil adæquatè diſtinctum ab illa tollatur. Ergo &c.

51 Reſpondent Connotatiſtæ. Ablato ſolo connotato, tolli aliquid adæquatè diſtinctum à re, quæ tollitur, quia connotatum eſt adæquatè diſtinctum ab eadem re. *Contra eſt*. Ergo connotatum & ſolum ex adæquatè diſtinctis tollitur, & non ſolum, quia præter illud, aliud ab illo adæquatè diſtinctum tollitur; & quod tollitur, eſt rurſus, & non eſt ab illo adæquatè diſtinctum, quia ex adæquatè diſtinctis ablato ſolo connotato, nihil diſtinctum adæquatè à connotato tollitur.

52 Probo 2dò eandem partem ſequelæ. Quo ex adæquatè diſtinctis per poſſibile vel impoſſibile, ſolo ſive totaliter ſive non totaliter, ſecundū quamcunq; tamen partē ablato tollitur res, illud eſt conſtitutivum rei, ut probatum Diſp. 2. num. 147 Sed connotatum eſt id, quo ex adæquatè diſtinctis ſolo ſeu totaliter, ſeu ſecundum quamcunq; demum partem ablato, res tollitur, iſtud enim connotato per Connotatiſtas conveniгe debet, etiam ex ratione requiſiti eſſentialis, alioqui binarius ex homine & lapide eſſet requiſitum eſſentiale ad eſſe hominis, quia illo & totaliter ut certum, & etiam non totaliter ſecundùm aliquam partem, ſcilicet ſecundùm eſſe hominis ablato tollitur homo; ideo autem præcisè non eſt, quia non ſecundùm quamcunq; partem illo ablato homo tollitur, ablato enim ſecundùm eſſe lapidis non tollitur homo. Ergo &c.

53. Probo *3tiò* eandem ſequelæ partem. Quo ſecundùm ſe totum & totaliter vel non totaliter ſecundùm quamcunq; partem ablato, omnibus autem ab illo diſtinctis adæquatè manentibus res tollitur, illud eſt conſtitutivum rei, ut Diſp. 2. num. 148. Sed connotatum eſt id, quo ſecundùm ſe totum & totaliter, vel non totaliter ſecundùm quamcunq; partem ablato, omnibus autem ab illo adæquatè diſtinctis manentibus res tollitur, ablata vg, quocunq; ex prædictis modo albedine, & manentibus omnibus adæquatè ab illa diſtinctis, tollitur Petrus albus in eſſe albi. Ergo &c.

54. Probo *4tò* eandem ſequelæ partem. Quo ſeu toto ſeu ſecundùm ſe totum, ſeu quamcunq; illius partem ablato, res immediatè & formaliter perit, illud eſt conſtitutivum rei, ut probatum Diſp. 2. num. 178. Sed connotato ſecundùm ſe totum, vel quamcunq; illius partem ablato, denominatio immediatè & formaliter perit, quia per ipſiſſimam, & ſolam formalem negationem ſolius ablati, cùm nulla ullius alterius negatio formalis interveniat. Ergo &c.

55. Probo *5tò* eandem partem ſequelæ. Id quo ablato tollitur res, & cum illo nullum ex certis rei conſtitutivis eſſentialiter connectitur, eſt conſtitutivum rei, ut probatum ibidem num. 181. Sed connotatum vg. albedo Petri albi, eſt illud, quo ablato tollitur Petrus albus, & nullum certum conſtitutivum Petri albi cum illa eſſentialiter connectitur, nam certum illius con-

ſtitu-

ſtitutivum eſt Petrus, & nihil aliud, hic autem cum albedine non connectitur eſſentialiter. Ergo &c.

56. Probo 6.ò eandem partem ſequelæ. Si nec albedo, nec unio eſſent conſtitutiva denominationis, quâcunq; ex illis ſolâ ablatâ tolleretur denominatio objectiva, manentibus omnibus conſtitutivis, quia per ſolius albedinis vel unionis ablationem nullum tolleretur conſtitutivum, tolleretur enim unicè vel albedo vel unio, quarum neutra eſt conſtitutivū denominationis. Sed hoc implicat, ut eſt probatum Diſp. 2 num. 134. Ergo &c.

57. Probo tandem 7mò eandem partem ſequelæ. Si nec albedo, nec unio eſſet conſtitutivum denominationis Petri in eſſe albi, Petrus ejusdem denominationis eſſet adæquatum conſtitutivum. Sed hoc non. Ergo &c. Minor probatur. Conſtitutivum adæquatum denominationis eſt identificatum adæquatè denominationi, & cui mutuò denominatio quoq; ex parte ſua adæquatè identificatur. Sed Petrus non eſt quid eo modo identificatū denominationi. Ergo &c. Minor probatur. imò. Nullum ex mutuò adæquatè identificatis realiter, eſt ſeparabile realiter ab altero. Sed Petrus eſt ſeparabilis realiter à denominatione albi, quia poteſt exiſtere, & tamen non eſſe, non denominari albus. Ergo &c. Major eſt certa, alioqui unum ex mutuò adæquatè identificatis, diſtingueretur realiter entitativè ab altero, quia ſeparabilitas realis entitativa unius ab altero eſt certum & infallibile ſignum diſtinctionis realis

inter illa, quorum unum est separabile realiter ab al.ero. Ergo &c.

58 Probatur 2do eadem Minor. Identificatum mutuò adæquatè realiter Petro, non potest modò abesse, modò adesse Petro, quia Petro non potest modò adesse, modò abesse sua adæquata essentia physica, alioqui rursus ab illa esset Petrus realiter separabilis, neq; definitio adæquata metaphysica suæ essentiæ illi semper conveniret. Sed denominatio objectiva Petri in esse albi, potest modò adesse, modò abesse Petro, est enim illi prorsus accidentalis & contingens Ergo &c.

59. Probatur 3tiò eadem Minor Nullum adæquatè identificatum vg. Petro potest de novo advenire Petro, quia hoc ipso Petrus supponeretur in antè carere & aliquo prædicato sibi adæquatè identificato, & identitate adæquata cum illo. Sed denominatio objectiva Petri in esse albi, potest de novo advenire Petro, quia Petrus, qui non fuit albus, potest de novo esse albus. Ergo &c. *Confirmatur*. Si Petrus ex non albo de novo esset albus, de novo illi accederet, sola adveniente albedine & unione, aliquid adæquatè identificatum, neq; enim denominatio objectiva prorsus est nihil, aut ens aliquod fictitium. Atqui nihil ipsi de novo accederet, nisi albedo & unio. Ergo albedo vel unio esset aliquid illi de novo identificatum adæquatè.

60. Probatur 4tò eadem Minor. Implicat de novo quidquam reale accedere sine nova essentia, novoq; constitutivo, quia vel care-

ret

ret omni prorſus eſſentiâ, vel ſaltem adæquatâ, adeoq; adveniendo de novo, debet ſaltem inadæquatam novam eſſentiam afferre. Sed denominatio objectiva Petri in eſſe albi accedit (id enim ſupponamus) de novo. Ergo accedit cum nova ſua eſſentia, ſaltem partiali, adeoq: novo eſſentiæ ſuæ conſtitutivo. Ergo præter eſſentiam & conſtitutiva Petri, quæ jam fuêre, debet aliquod novum ſui ipſius conſtitutivum adferre. Atqui ſi Petrus eſſet adæquatum ipſius conſtitutivũ, nihil novæ eſſentiæ noviq; conſtitutivi adferret. Ergo &c.

61 Probatur 5tò eadem Minor. Non eſt idem realiter adæquatè Petrum eſſe, & album eſſe, doctum eſſe & indoctum, peccatorem & non peccatorem, ſed ſanctum. Atqui ſi Petrus eſſet adæquatum conſtitutivum omnium illarum denominationum, idem realiter adæquatè eſſet Petrum eſſe, & album eſſe, doctum, & indoctum, peccatorem & ſanctum eſſe, quia omnes iſtæ denominationes eſſent eadem adæquatè realiter denominatio, quia omnia & ſingula eſſent realiter adæquatè idem cum uno tertio ſcilicet cum Petro. Ergo &c. Minor patet. Major etiam probatur. Si idem eſſet adæquatè realiter Petrum eſſe, & album eſſe, quoties Petrus eſſet Petrus, toties eſſet albus, pariter quoties doctus, ſimul indoctus, quoties peccator, toties Sanctus, & omnia è contra.

62. Probatur 6tò eadem Minor. Si Petrus eſſet adæquatum conſtitutivum ſuæ denomina-

minationis in esse albi, tunc sola ablata albedine, adhuc Petrus esset albus, quia manerent omnia Petri constitutiva in esse albi, quia maneret Petrus &c. Deniq; Petrum esse album vel est quid plus esse, quàm Petrum esse, vel non plus realiter. Si non est plus realiter. Ergo Petrum esse, hoc ipso est Petrum album esse. Si verò est plus esse Ergo insuper est præter Petrum esse, aliquid ab illo realiter distinctum esse.

63. Respondent *imò* Connotatistæ. Petrum album esse non est plus esse, quàm Petrum; sed est plus dicere *Contra est imò* Petrum esse album, non est plus esse, quàm esse Petrum. Ergo quoties Petrus est, toties Petrus est id totum, quidquid est ipsum esse album. Ergo licèt non dicat, quod esse album dicit, tamen est, quod est esse album. *Contra 2dò.* Ipsum istud: *Petrum plus dicere, quàm Petrum*, est adæquatè identificatum Petro, adeoq; non est plus, quàm Petrum esse, quippe plus dicere Petrum, est vg. albedinem dicere, & id ipsum est Petrum habere albedinem, & rursus id ipsum est Petrum esse habentem albedinem, quod est adæquatè identificatum Petro, adeoq; non est plus esse, quàm esse Petrum. Ergo Petrus etiam seclusa & ablata albedine, adhuc plus dicit, habet, est habens albedinem, consequenter etiam ablata albedine est albus, est enim id totum esse, & id totum dicere, quod est, *Petrum esse album*, & quod est, *dicere, habere, connotare albedinem.* Idem reponendum, si dicatur: Petrum esse quidem constitutivum adæquatum,

sed

ſed Petrum dicentem albedinem; eſſe identificatum adæquatè denominationi, ſed dicentem albedinem.

64. Reſpondent 2dò ſecluſa albedine Petrum non eſſe conſtitutivum denominationis in eſſe Petri albi, quia deeſt ipſi requiſitum ad eſſe conſtitutivi. Sic & ad eſse adæquatè identificati denominationi albi &c. Reſponſionem impugnatam habes Diſp: 2. num. 143. atq; inſuper *Contra eſt imò.* Ut Petrus ſit in rerũ natura, poteſt aliquid plus ultra Petrum requiri eſſentialiter, adeoq; poteſt aliquid requiri, ut ſit in rerum natura conſtitutivũ adæquatum Petri. Cæterùm ad hoc, ut ſi eſt in rerum natura Petrus, conſtitutivum illius adæquatum ſit ipſemet Petrus, ſit id quod eſt, ſit quidquid ipſi realiter adæquatè identificatum eſt, ad hoc inquam falſò & improbabiliter ponitur requiri aliquid ultra entitatem Petri, & conſtitutivum adæquatum illius, atq; identitatem adæquatam ipſius cum conſtitutivo adæquato, vel cum eſſe ipſi realiter adæquatè & mutuò identificato, ut jã aliàs dictũ.

65. Contra *2dò.* Ablato ſolo rei conſtitutivo, pura requiſita ad eſſe rei non deſinunt eſſe pura requiſita. Ergo etiam ablato aliquo eſſentiali & puro requiſito, conſtitutiva rei non deſinunt eſſe illius conſtitutiva. Antecedens probatur. Ablatâ vg. creaturâ non deſinit DEUS eſſe requiſitum eſſentiale ad eſſe illius, quia adhuc eſt verum, quòd creatura, quamvis nullum ipſius conſtitutivum exiſtat, ex ſua natura & quidditate non poſſit eſſe ſine DEO. Conſequentia verò innititur paritati, deinde potioritati, quia conſtitutivum rei, ut purè ſe

rè se toto identicum rei, est magis & intimiùs rei requisitum ad esse illius, quàm purum requisitum. Si ergo per ablationem constitutivi purum requisitum non dejicitur ab esse requisiti essentialis, neq; constitutivum per ablationem puri requisiti dejicitur à ratione constitutivi. Adde, quòd talis responsio prorsus arbitraria sit, & omni fundamento carens.

66. Dicunt: etiam in Nostra sententia, ablata sola una parte, non tantùm totum, sed etiam omnia illius constitutiva perire, quia ex illis, quæ supersunt, nullum est ampliùs constitutivum rei. Respondeo; nego assumptum. Rationi nego tacitam illationem. *imò* enim ex eo, quòd aliquid desinat esse actuale rei constitutivum, non sequitur, quòd tollatur. Sicut materia & anima Petri, quamvis sola sublata unione, desinant esse actualia constitutiva Petri, non ideo tamen esse desinunt. *2dò* esse actuale constitutivum totius, est semiextrinsecum parti, & plerumq; accidentalis denominatio, potest enim aliquando pars esse realiter separabilis à toto, adeoq; illud non constituere actu; ac aliquando quæ fuerunt constitutiva, deinceps non sunt actualia constitutiva, quia potest sæpe tolli aliquid, quod illa in esse actualis constitutivi constituit.

67. Dicunt præterea *imò*. Potest Petrus vg. binario ex Petro & Paulo modò identificari inadæquatè, modò sic non identificari. Ergo etiam potest illi nunc isto modo, nunc alio se habenti, aliquid modò adæquatè identificari, modò

non

non identificari adæquatè. *2dò*. Totum identificatur inadæquatè parti, cùm illa habet ſuas compartes, & non identificatur illi tunc, quando illas non habet. Ergo etiam poteſt identificari adæquatè denominatio ſubjecto, cùm illud habet ſuum connotatum, & non identificari tunc, cùm illo caret. Ratio eſt: quia ſicut totum, cùm ſua pars habet ſuas compartes, eſt, & cùm illis caret, non eſt, ita cùm ſubjectum habet ſuum connotatum, denominatio eſt, cùm illo caret. & ipſa non eſt. *3tiò*. Diei hodiernæ hodie identificatur poſſe eſſe nunc, craſtina autem die non identificabitur illi poſſe eſſe nunc. Ergo etiam adæquatè identificari poteſt aliquid hodie, & cras non identificari adæquatè eidem enti.

68 Reſpondeo probari multùm, poteſt enim identificatum realiter inadæquatè, modò diſtingui realiter inadæquatè, modò taliter non diſtingui. Ergo etiam mutuò adæquatè diſtinctum, poteſt ab altero modò diſtingui realiter adæquatè, modò non diſtingui realiter adæquatè. Directè *ad 1mum*. Diſparitas eſt, quia identificatum realiter inadæquatè eſſe, eſt denominatio ſemiextrinſeca identificato inadæquatè, ſaltem eo modo, quo pars identificatur toti ab illo ſeparabilis, ſtat cum ſeparabilitate reali ab eo, cui inadæquatè identificatur, ſtat cum ſua reali ab illo diſtinctione, ſtat etiam cum contingentia ejuſmodi identitatis inadæquatæ. Identitas autem mutuò adæquata eſt identificato eſſentialiter neceſſaria, ita ſicut quodlibet eſſe id, quòd adæquatè

eſt:

est; identificatum mutuò adæquatè, non est esse separabile realiter; non est ullo modo distinctum realiter ab altero ipsi realiter adæquatè identificato, quidquid interim dicat, vel non dicat, hoc vel illo modo se habeat, in quacunq; demum suppositione possibili & impossibili, non se ita tollente, ut formalis positio unius, sit formalis exclusio alterius, utroq; tamen perstante esse id, quod adæquatè est, alioqui dicam etiam Deum posse non esse, quòd adæquatè est, & non eundem adæquatè esse, quoties est, cùm nec DEUS esse possit, quin aliquid connotet, & dicat extra se, si non id, quod est existens, saltem id, quod est non existens, cùm & denominationes, non tantùm admitti debeant adæquatæ positivæ entium etiam positivorum, sed aliquæ sint etiam negativæ, quales & in Deum cadere possunt, ut non creare, non còëxistere ulli creaturæ, & modò còexistere, modò non còëxistere huic vel illi creaturæ. Erit istud pro defensione Connotatorum, in res etiam creatas, atq; in ipsum Deum, Mysteria plus quàm Trinitatis & libertatis ipsius inducere: consequenter connotati possibilitatem mysteriosiùs aliquid esse, quàm sint prædicta Mysteria.

69. *Ad 2dum* dico: toti identificari adæquatè suam identitatem inadæquatam cum parte, eamq; illi non esse physicè contingentem. Unde neq; fieri potest, ut illud perstante sua existentia, modò identificetur parti, modò non identificetur, sive adsint, sive desint quæcunq; alia requisita, dummodo totum existat. Quare, quòd

non

non identificetur parti, cùm illa caret, & identificetur parti, cùm illa non caret aliis compartibus, non arguit accidentalitatem ipsius identitatis cum sua parte, & indifferentiam physicam ipsius ad identificari vel non identificari parti. Ergo ad summum Logica est accidentalitas ad illa, quam quælibet rei creata essentia habet ad suam existentiã, vel non existentiã. Aliter se res habet in sententia Connotatistarum, illi enim negare non possunt, quòd perstante in sua existentia adæquata subjecto, atq; hoc ipso persistente adæquato denominationis constitutivo, nunc illi adæquatè identificetur denominatio sua, nunc non identificetur, quæ accidentalitas & indifferentia subjecti ad identificari adæquatè denominationi vel illi sic non identificari, est verè physica. quia sub utroq; illius termino perstat esse subjectum, consequenter perstant existere omnia constitutiva, & tota essentia denominationis, adeoq; & ipsamet denominatio.

70. *Ad 3tium* dico. In sententia probabili denominatio diei hodiernæ est illi semiintrinseca, ratione ordinis numeralis, inquantùm in isto ordine numerali à prima mundi creati die plùs vel minùs distat, potuit autem eadem quoad omnia, vel citiùs creari, & esset dies ex prætерlapsis una, vel posteriùs, & esset dies vg crastina &c. In sententia communiore, quidquid diei hodiernæ, hodie identificatum adæquatè est, semper illi adæquatè identificatum esse perstat, atq; ita hodie existens potest esse nunc, per ly *nunc* intelligendo tractum successivum, & fluentem suarum partium; & non potest esse nunc, per ly *nunc* intelligendo

tra-

tractum successivum & fluentem partium diei crastinæ: cras illi neutrum identificatur actu & absolutè, quia cras neq; actu est, neq; actu esse potest.

71. Dicunt deniq; & ad plura ex objectis respondent per distinctionem realem connotativam vg. Petri à se ipso, & alio quovis mutuò realiter ipsi adæquatè identificato. Sed de distinctione ista connotativa agendum erit hìc paulò infrà; interim in propugnatione connotati, recipere se ad distinctionem connotativam, est clarè adstruere, quòd essentialiter præsupponit possibilitatem connotati, adeoq; per superstructionem super unam chimeram alterius chimeræ, chimericitatem connotati, vel evadere per istud, scilicet per quod illud evadit magis chimericum.

72. Dico 2dò. Nullum in specie connotatum antonomasticè tale est possibile. Sequitur ex conclusis & probatis, implicante enim ratione generica cujuscunq; speciei, implicat quæcunq; species ipsius, cùm ratio generica sit metaphysicè constitutiva suæ speciei. Atqui ex conclusis & probatis constat rationem genericam connotati antonomasticè talis esse impossibilem. Ergo &c. In particulari *imò* connotatum purè extrinsecum in specie implicat ex probatis hìc à num. 3 & 19.

73. 2dò. Implicat connotatum semiextrinsecum ex probatis Disp. 2. num. 37. & 133. Confirmatur *imò* quia imperceptibile est esse purum requisitum ad esse rei, quod includit in se

totam

totam illius essentiam, ut totum includit totam suæ partis essentiam. 2dò quia etiam pars respectu sui totius esset connotatum totius, quia est aliquod ab illo partim distinctum, partim indistinctum, quia ab aliqua ipsius parte, scilicet à se ipsa nullo modo realiter distinguitur, jam à quavis sua comparte & simul illius parte distinguitur adæquatè. 3tiò per Connotatistas indicium universale & convertibile cum connotato est venire purè in obliquo rei connotantis. Atqui totum non venit purè in obliquo suæ partis, quia per Connotatistas pars venit in recto partiali illius, adeoq; totum saltem partialiter venit in recto partis. 4tò. Si totum esset connotatum semiextrinsecum parti, tunc & totum aliqua parte esset connotatum purè extrinsecum parti, scilicet secundùm compartes partis, & pars quoq; ipsa esset respectu compartium connotatum purè extrinsecum, quia ab illis adæquatè distinctum, adeoq; ob quas rationes implicat connotatum purè extrinsecum, ob easdem implicare debet etiam semiextrinsecum. 5tò Totum si esset connotatum semiextrinsecum parti, esset partim constitutivum illius, partim non constitutivum. Atqui non est etiam partim constitutivum, quia esset vel adæquatum vel inadæquatum ipsius constitutivum. Porro nec est adæquatum, quia se solo non est verè affirmabile in recto de parte; nec est inadæquatum, quia posset verè in recto cum alio distincto à se affirmari de parte consequenter pars posset esse plùs quàm suum totum, quod implicat, si enim repugnat partem

tem esse suum totum, multò magis repugnat esse plusquam suum totum.

74. 3tiò. Implicat connotatum, quod non sit terminus essentialis connexionis, rursus quòd non sit immediatum, ex probatis Disp: 2. num: 38. & 43. Consequens autem est, ut & connotatum purè extrinsecum, & quòd est terminus connexionis, & quòd dicitur mediatum, quodlibet sigillatim repugnet saltem in esse specifici connotati, nam implicante una specie, implicat alia ipsius correlativa, ejusdem generis divisiva, quia genus cùm ex essentia sua aptum esse debeat prædicari de specie differentibus, si uni ex divisis speciebus repugnat esse speciem rationis genericæ, alteri quoq; correlativæ repugnat speciem esse illius, alioqui genus & esset, & non esset respectu talium genus, quia talia sub eodem genere, & differrent specie, siquidem unum cum altero solùm in genere conveniret; & non differrent, quia unum non esset species ejusdem generis, cujus est alterum. Consequens ulterius est, & ipsum connotatum antonomasticè tale, quasi in genere sumptum implicatorium esse, quia ratio generica, cujus quælibet species est implicatoria, & ipsa debet esse implicatoria, cùm non possit in se dari & esse, nisi in aliqua specie.

75. Ex hactenus dictis infero *imò* Ergo etiam forma denominationis, est constitutivum denominationis. *imò* quia ipsi omnia legitima indicia constitutivi conveniunt. 2*dò* subjectum denominationis objectivæ, est constitutivum deno-

denominationis objectivæ. Ergo & forma, imprimis per paritatem, deinde etiam à potiori, quia forma est causa formalis intrinseca denominationis, & denominatio est formalis effectus ipsius, ut causæ intrinsecæ. Deniq; quia illa est, quæ specie diversificat & multiplicat denominationes, stante eodem subjecto, & unificat specificè. stante diversitate subjecti; Hinc idem album & dulce diversas habere denominationes dicitur; saccarum verò album, & paries, aut Petrus albus dicuntur habere eandem denominationem. Vide dicta Disp. 1. num. 13. Unde videntur probabiliùs ratiocinati Veteres Connotatistæ (si tamen Connotatistæ antonomasticè tales) qui denominationes objectivas, dicebant esse formas cum modo adhæsionis, adjacentiæ, importantes subjectum de connotato; denominatio quippe est terminus quidam abstractus, simpliciter prolatus, formam significans, denominatum terminus substractus, vel formæ concretus, si denominativè sumatur. 3*tiò* subjectum non est adæquatum constitutivum denominationis, ut probatū suprà num 57 & sequentibus. Ergo cùm sit constitutivum, est tantùm inadæquatū. Ergo præter illud debet dari aliud inadæquatum ejusdem denominationis constitutivum, quod nullum est potiori jure, quàm forma denominationis.

76. Infero 2*dò*. Ergo & unio (& quæcunq; requisita ac sufficiens applicatio formæ denominantis ad subjectum denominabile) est constitutivum denominationis. 1*mò* quia & unioni

conveniunt vera & legitima indicia constitutivi. 2dò à paritate subjecti & formæ, cùm illa quoq; dici soleat forma *ut quô*, & subjectum *ut quô*. 3tiò quia subjectum & forma denominationis objectivæ non sunt omnia illius constitutiva. Tum quia datis Petro vg, & albedine, & sola seclusa unione, Petrus est albus. Tum quia homo ablata unione, superstite complexo ex materia & anima rationali verè esset homo, quia totum illud esset, quod est homo, sive diceret, sive non diceret, quod dicit homo; quanquam etiam diceret, quod dicit homo, quia diceret etiam unionem, cùm dicere unionem, adæquatè identificetur tam materiæ quàm animæ juxta Connotatistas. Tum quia quotquot dantur in universo subjecta capacia accipere denominationem, & quotquot dantur formæ illam ipsis dare capaces, tot essent defacto denominationes, in quolibet subjecto planè innumeræ, quia darentur subjecta talium denominationũ. & formæ. Quotquot deinde essent subjecta capacia cum Personis Divinis vel natura Divina constituere tota per se Theandrica, tot illa essent, &c. Addo supradictis. Juxta D. Thomam Par. 3. q. 50. a. 4. *Magister sententiarum posuit, quòd Christus in triduo mortis fuit homo, quia credidit, quòd unio animæ, & carnis non esset de ratione hominis, quod falsum est.* Ergo unio animæ & carnis in homine est de ratione, seu essentia hominis, ac proinde non est extra essentiam ejusdem, consequenter non est connotatum hominis purè extrinsecum, sed est constitutivum ipsius, &c. &c.

77.

77. Infero *3tiò*. Ergo omnia illa distributivè, quæ hactenus cum Connotatistis appellavimus requisita immediata, nostra autem phrasi peculiariter requisita, sunt constitutiva denominationis objectivè sumptæ, & subjectum, & forma, & unio, vel applicatio requisita & sufficiens ad denominationem. Ergo ipsa denominatio objectiva, in re, & ex parte objecti est concretum ex omnibus illis compositum. Ergo affirmans aliquam dari alicujus denominationem, affirmat explicitè vel implicitè exponibiliter & æquivalenter omnia illa distributivè dari eo modo, quo illa dari requirit natura denominationis, juxta declarata Disp. 1. Quæst: 1. Ergo consequenter & arguitivè affirmat dari concretum ex omnibus.

78. Infero *4tò*. Ergo per principia Connotatistarum, de denominatione objectiva affirmabile est & subjectum cum forma & unione in recto, & forma cum subjecto & unione in recto, & unio cum subjecto & forma in recto. Ergo eidem concreto sunt subjicibilia in recto, in propositione affirmativa vera, & subjectum saltem cum aliis, & forma pariter, ac unio. Vel certè etiã se solis per ordine ad affirmationem inadæquatè identicam: estò id ipsum non possit regulariter fieri per quemlibet terminum formalem, talia denominativa quomodocunq; significantem, posito placito Dialectico, quòd ad veritatem propositionis affirmativæ regulariter requiratur identitas recti subjecti cum recto prædicati, quoties utriq; est suum rectũ.

79. Infero *denią*. Subjectum denominationis non purè materialiter sed denominativè

ſumptum, ſeu in eſſe denominati, hac vel illa in ſpecie denominatione, ſeu ſumptum cum denominatione, conſtituitur & ſubjecto & forma illud denominante, & unione; conſequenter Petrus materialiter & ſimul denominativè ſumptus eſt concretum ex Petro, unione, & albedine, atq; ſi concretum infert in recto, eſt ſimul & collectivè Petrus, albedo, ac unio, erit enim ſenſus: *Petrus & ſua denominatio, vi cujus habet, quòd ſit albus, eſt concretum ex Petro, unione, albedine &c.*

QUÆSTIO SECUNDA

An Connotatorum poſſibilitas efficaciter à Connotatiſtis probetur?

80. EQuidem pleriq; è Novioribus Connotatiſtis palam profiteri ſolent, ſe à teneris, & deinceps de Connotatiſtica doctrina, non adeò bene magnificèq; ſenſiſſe, ab illa etiam multo tempore abhorruiſſe; quamdiu ſcilicet viſcera ipſa doctrinæ, non ſunt perſcrutati: at poſtquam hæc intimiùs perſpexerunt, diu & operoſè ſecum expenſis, hinc rationum momentis, inde ſolutionum facilitate ac evidentia, ſe in eam ſententiam non iviſſe, ſed planè pertractos perveniſſe. Tanti ſcilicet viſa ſunt momenti, & omnia adeò convictiva, ut nec refragari liceret.

Sed

Sed certitudines, evidentiæ & cætera ejusmodi, ut in aliis passim, hìc quoq; dantur interdum respectivæ. Quod me attinet, æstimo omnia ab ingenio & soliditate authoris, aliorumq; qui ex illo profecêre magnam veri & luminis speciem præferre; interim tamen de ipso tantæ adhæsionis, tamq; ardentis pro connotatis zeli objectivo merito videamus.

81. Probant *imò*; Connotatistæ ab Authoritate. *imò* Doctor Angelicus in opusculo 48. Tract: 5. Cap: 2. ait: *dicendum quòd divisio entis in decem prædicamenta, est divisio in decem genera secundùm rem, vel quantùm ad hoc, quòd dicunt diversas res intrinsecè & realiter, sicut substantia, quantitas, & qualitas, quæ comparatæ adinvicem sunt diversæ res, vel inquantum dicunt diversas res extrinsecè, quia unum importat rem aliquam diversam, quam non importat reliquum.* 2dò. Juxta Aristotelem: *Subjectum licèt à proprietate respiciatur, est id terminus hujus respectus, tamen non est pars intrinsecè constitutiva proprietatis, quia nimirum in definitione proprietatis non latet primò & per se, sed cadit tantùm ut additum.* 3tiò; Authoritate P. Zuarez & totius antiquitatis Philosophicæ, quam *ajunt* semper stetisse pro connotatis.

82. Respondeo. *Ad 1mum.* Oppono authoritatem ejusdem D. Thomæ eodem Opusculo 48 Tract: 5. Cap: 2. *Cùm autem*, inquit, *dico, quòd similitudo Sortis habeat albedinem ejus ut fundamentum, non est intelligendum, quod similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine,*

bedine, sed solùm est ipsa albedo. Præmiserat etiam: *similitudo in me nullam rem addit supra albedinem.* Ergo & Sortis similitudinem, non dicit ipsum & solum Sortem, sed etiam albedinem Sortis, & similitudinem suam, non dicit ipsum se, sed albedinem. Non itaq; denominationem Sortis similis identificat Sorti, nec suam sibi, sed identificat etiam albedini, tanquam additamento &c. Directè Nemo inficiatur prædicamentorum aliqua esse ex eo diversa, quòd dicant res diversas extrinsecè, ut sunt denominationes quæcunq; relativæ. Nemo quoq; inficiatur per easdem denominationes, importari rem aliam diversam, quam aliæ non important. Cæterū importare, dicere nō est determinatè dicere vel importare connotativè, cùm etiam ea, quæ intrinsecè aliquid dicunt vel important, adhuc dicunt & important. Item non ait Angelicus Doctor ista esse diversa extrinsecè, sed dicere & importare res diversas extrinsecè, non quòd importantia vel subjecta, aut fundamenta, sint res diversæ extrinsecè, sed quia dicunt respectum ad res diversas extrinsecè, seu diversas extrinsecas, constat enim relativa, & denominativa, fundamenta, subjecta, esse res diversas intrinsecè.

83. *Ad 2dum.* Subjectum à proprietate respici, cujus scilicet proprietas physica est, ultro concedimus: subjectum quoq; non esse partem intrinsecam proprietatis suæ physicæ, non negamus: respicit illa transcendentaliter suum subjectum, à quo naturaliter pendet: sit etiam, quòd in definitione proprietatis non lateat primò & per se: sit, quòd cadat, ut additum: quid inde pro connotato antonomasticè tali?

84. *Ad 3tium* Staret pro ſententia Connotatiſtarum antiquitas; at conſtat plures Antiquiorum ſententias, in Recentiore Philoſophia eſſe antiquatas. Sed quænam illa antiquitas? Thomiſtica quidem & Scotiſtica Schola, in modis ſuperadditis relationes conſtituunt. Ex Societatis Noſtræ Authoribus, primus dicitur à Connotatiſtis Suarez iſtam ſententiam tradidiſſe Diſp: 47. in Metaphyſica Secti: 8. atq; verum eſt, quòd utatur ille hoc termino: *connotat* &c. ſed in ſenſu ambiguo, & interdum magis contra Connotatiſtas, ut cùm ibi num: 22. ait: *relationem in re eſſe formam adæquatam abſolutam, non tamen abſolutè ſumptam, ſed ut reſpicientem aliam* (utiq; terminum) *quam denominatio relativa includit, ſeu connotat.* En illi idem eſt connotare ac includere: unum per alterum inculcat. Et num. 23. iterum ſimiliter: *Denominatio*, inquit, *relativa includit aliquo modo terminum, ſine quo non manet actualiter, ſed fundamentaliter tantùm.* Et iterum: *quem terminum aliquo modo includit, ſeu connotat illa res.* Et num: 13. *formalis*, inquit *effectus relationis eſt actu referre ad terminum, in hoc autem effectu includitur terminus.* Quòd autem num. 9. dicat *terminum non eſſe intrinſecam partem, nec genus aut differentiam intrinſecam relationis*, quid tum? Neq; Noſtri id ipſum dicunt, quoties terminus non eſt etiam partialis forma relationis; atq; etiam cùm eſt talis forma, non eſt certè genus aut differentia relationis: inde tamen non ſequitur, quòd illam non conſtituat. Per partem

intrin-

intrinsecam, quam termino negat, intelligit fortassis partem intrinsecam relationi, vel subjecto aut fundamento illius; & verum regulariter est, imprimis autem in relationibus, quæ fundantur in actione vel passione. Unde ad minimum magnum est dubium de sensu hac in parte Eximii Doctoris. Sed neq; qui ex Antiquioribus utuntur vocabulis *connotati*, *connotantis* &c, de connotatis, qualiter illa Nostri Connotatistæ definiunt, locuti sunt, quid enim de talibus & taliter explicatis vel ille, vel quicunq; alii? Antiquitatem totam pro Connotatistica sententia non stetisse ipsemet refert Suarez, eadem sect: num: 9. *alii* inquit, *dicunt terminum esse de essentia relationis*, subditq; *quæ est communis Peripateticorum sententia. ut Cajetanus refert & Nyphus lib.* 5. *Metaph. Disp.*16. Quod attinet Antiquitatem Philosophicam Societatis Nostræ P. Ayleworth, utiq; & ipse Connotatista Tract: 2. Disp. 6. in Metaph. citatis pro sententia Connotatistarum præcisè Mæratio & Ruiz, ait *tam gravia rationum momenta adversùs Connotantium sententiam adferri solita, ut ea plerusq; omni prorsus similitudine ac specie veri carere censeatur. Hinc à Mayrone appellatur absurda & inverisimilis, à Bartol. Amico falsa & improbabilis, ab aliis aliter notatur, & universim repudiatur. Et verò*, ipsemet subjungit, *si solæ solutiones, quas argumentis adversùs hanc sententiam hactenus exhibuêre, in consilium advocentur, non video, quî ullus his Authoribus se adjungat.* Hæc Connotatista.

85. Probant 2dò argumentis negativis. *imò*.

1mò. Nullitate implicantiæ. *2dò*. Non ſunt multiplicandæ connexiones eſſentiales rerum ſine neceſſitate, quod faciunt oppoſiti Connotatiſtis, cùm nolunt terminum venire in conſtitutionem relationis, quaſi verò præcisè connexio alicujus rei cum aliqua forma aut aliqua entitate poſſet præſtare id, ut illa forma aut entitas tribuat aliquam denominationem. *3tiò*. Tantò minùs ſunt multiplicanda conſtitutiva rerum ſine neceſſitate ut multiplicantur ab oppoſitis. *4tò*. Non ſunt multiplicandæ difficultates in ſententiis, quà Philoſophicis, quà Theologicis; jam iſtæ faciliùs expedirentur admiſſis connotatis. Tum quia ſi quid habet difficultatis Connotatiſtica, id totum habet adverſa illis ſententia, ut patet ex retorſionibus. Tum quia quæcunq; adverſus connota opponuntur, facillimè ſolvuntur.

86. *Ad 1mum*. Implicantiæ connotati obviæ ſunt, nec latere Connotatiſtas poſſunt; tot ſunt, ut volumina implere poſſent; adeo momentoſæ, ut convincere omnino debeant; ita efficaces, ut vel connotata implicent, vel nihil implicet; deniq; oſtendant Connotatiſtæ ſententiam, quæ evidentiùs probet implicare, quod ex omnium ſenſu implicatorium habetur.

87. *Ad 2dum*. Connexiones ſententia Connotatiſtis oppoſita non multiplicat, ſed ubi ex requiſitis ad denominationem aliqua, de quorum aliunde connexione conſtat, invenit, atq; advertit in iis formam denominationis ſuſtineri poſſe adæquatam, terminos connexionis in partem formæ

non

non advocat, ne multiplicentur constitutiva sine necessitate, non autem ea ratione, ut forma vel alia entitas, ad quam connexio terminatur, tribuat denominationem, sed quòd ipsamet res connexa sit sufficiens forma, vel illam compleat, non generaliter & in omnibus, sed in plerisq;, in quibus attento conceptu quidditativo denominationis, potest forma denominationis per ipsam connexionem, vel rem connexam sufficienter verificari.

88. *Ad 3tium.* Meritò istud argumentum à plerisq; retorquetur contra Connotatistas. Non sunt multiplicanda connotata sine necessitate; quamvis enim isti querantur immeritò onus probandi in illos devolvi, immeritò tamen queruntur. Cùm enim Nostri ad rationem constitutivi non plus requirant, quàm ut sit requisitum essentiale, quo solo ablato &c. res tollatur, atq; in hoc adæquata ratio constitutivi per multos è Nostris consistat, illis autem sui connotati sit ista ratio inadæquata, quia præcisè generica, Connotatistæ affirmando de aliqua re, quòd sit connotatum, plus quàm Nostri asserunt de illa, cùm dicunt, quòd sit constitutivum. Deinde: utcunq; faveret illis argumentum istud negativum, si possibilitatem connotati clarè evincerent; at cùm ex dictis hìc suprà à num. 3. de impossibilitate sine comparatione clariùs constet, præstat satiùs multiplicare constitutiva, quàm pro constitutivis subrogare chimeras. Sed & necessitatem evincunt argumenta. Adde *imò* quod non se multipli-

tiplicare exiſtiment conſtitutiva Connotatiſtæ, cùm aſſerunt denominationes ſumptas concretè conſtitui ſubjecto & forma. Atqui per nos omnes denominationes, quæcunq; ſunt ex parte objecti, ſunt ex parte objecti concretæ. Ergo cùm aſſerimus denominationes conſtitui non ſolo ſubjecto: ſed & formâ, utriq; conſtitutiva multiplicamus ſine neceſſitate, vel neutri. De ſola unione quæſtio ſupereſt, ſed iſtius in conſtitutionem adferendæ tam evidens neceſſitas eſt, quàm evidens eſt hominem mortalem eſſe; modò illum eſſe, modò interire, alioqui ſi unio conſtitutivum non eſt, etiam ablata unione perſtat eſſe, quidquid fuit, omnia perſtant conſtitutiva: totum complexum non ſolùm dicit, quod dicebat, ſed omnino in ſemetipſo eſt. Quòd Connotatiſtæ dicant illam eſſe purum requiſitum eſſentiale, id non ſubſiſtit, à quo enim requireretur? ſi nullum hominis conſtitutivum, ſi neq; complexum ex illis eam requirit? Adde *2dò*. Nos equidem neceſſitate facimus, quòd plura concreti conſtitutiva, ſubjectum ſcilicet, formam, & unionem aſſeramus, nam hoc nos facere cogunt principia doctrinæ, quibus convincimur, quia eadem cogunt, ut admittamus denominationes, & alia complexa ex partibus compoſita. Sed quod illud principium eſt doctrinæ oppoſitæ, quod illos cogat ad admittendas denominationes objectivè concretas, vel quodcunq; ex pluribus complexum? Stantibus illorum principiis, locò complexorum ejuſmodi ſufficeret admittere præcisè entitates ſimpliciſſimas, concretas &

com-

cõpositas, non ex, sed nonnisi cum aliis entibus, illa unicè connotando. Sine necessitate igitur concretas denominationes admittunt, adeoq; constitutiva multiplicant.

89. *Ad 4tum.* Unicuiq; ad suam experientiam recurrendum est, sed neq; ad hanc; ad tertium Judicem provocandum, de majoritate vel minoritate difficultatum, ex hac vel illa sententia provenientium, discerneret tertius. Solutiones, quas adferunt Connotatistæ, sunt meræ principii petitiones: terminis constant, per quos æquè videtur concedi arguentibus, imò magis concedi, quàm negari, quod intendunt, nam *dici*, *requiri*, *haberi*, tam bene, imò satiùs convenit constitutivis, quàm connotatis. Pleræq; etiam subruunt potissima Connotatisticæ sententiæ fundamenta, atq; post illas adhibitas, argumenta opposita eadem, quæ immediatè sententiam, etiam solutiones oppugnant. In difficultatibus, quas objicit sententia Connotatistarum, nihil esse difficultatis constat ex allatis & adferendis illarum solutionibus. Extra chorum saliunt argumenta; nolunt oppositi intelligere, quid affirmemus, quid negemus? nè benè agant, & sententiæ meliori consentiant. Retorsiones patet jam ex præmissis nullam difficultatem facessere potuisse; sunt detortæ, affectatæ, principiis, quibus utimur, non innixæ, ad moram in disputando trahendam, & diversiones à tractu argumenti faciendas undeunde adscitæ. Cuicunq; sententiæ connotata se intrudant, habent in comitatu annexas difficultates, quas difficulta-

tibus

tibus ſententiæ ſuperaggerant: ut proinde non faciliorem reddant, implicatam magis & implicatoriam.

90. Probant 3*tiò*. Dantur conditiones phyſicæ, ſine quibus cauſa non poteſt ſimpliciter agere, vel ſaltem agere expeditè, & tamen illæ neq; ſunt cauſæ effectûs, neq; partes iſtius cauſæ. Ergo pariter dantur conditiones rerum exiſtentium puræ, quæ licèt non ſint partes earundem, requiruntur tamen ita, ut illis ſolis ſublatis, res non exiſtat. 2*dò*. Dantur cauſæ in actu 2do, quæ requirunt eſſentialiter effectũ, & tamen illo nõ conſtituuntur, alioqui non extrinſecæ ſed eſſent intrinſecæ ſuo effectui. 3*tiò* dantur termini connexionũ eſſentialiũ, ſeu requiſita eſſentialia, ad eſſe rerũ adæquatè ab illis diſtinctarum. Sed hæc ſunt connotata. Ergo &c. Minor probatur. Ex una parte non ſunt conſtitutiva rerum connexarum, cum ab illis adæquatè diſtinguantur; ex altera parte ſunt talia, ut quocunq; ex illis ſolo ablato, res pereat, ut patet in DEO, quo etiam ſolo ablato perit creatura, ut probatum habes Diſp. 2. à num. 158. 4*tò* dantur conſtitutiva inadæquata, quorum quocunq; ablato, quamvis tantùm inadæquatè diſtincto à re, res tollitur. Ergo etiam dantur requiſita eſſentialia, quorum quocunq; ſolo ablato res pereat, & tamen illa ſint ab eadem re realiter adæquatè diſtincta.

91. Reſpondeo. *Ad* 1*mum*, tranſeat Antecedens. Nego conſequentiam; arguitur à genere ad ſpeciem, vel à ſpecie ad ſpeciem, & inſuper

à re-

à requisitis causæ ad agere, ad requisita ad esse seu existere causæ; ex eo, quòd dentur requisita in causis ad suam actionem, vel etiam requisita purè physica, arguitur ad requisita essentialia. Conditiones sunt præcisè requisita, & præcisè physica; sine illis non posse agere est merum naturale non posse, divinitus saltem supplebile. Sunt deinde requisita non ad hoc, ut causæ sint & existant, sed ut agant vel expeditè agant. Jam in consequente infertur, & esse requisita, & essentialiter requisita, & non ad agere simpliciter & expeditè, sed ad existere causarum; dicitur enim, ita illas requiri, ut illis solis sublatis res seu causæ non existant, quod est falsissimum. Transivi Antecedens, quia conditiones physicè requisitæ ad agendum, sunt quidem ad agendum purè physica requisita, sed denominationis, quæ facit, ut causa sit in actu 1mo proximo & expedito, sunt constitutiva, adeoq; illis solis sublatis, tollitur denominatio causæ, in actu primo proximo, & expedito, quam conditiones eædem constituunt.

92. *Ad 2dum.* Nego assumptum, quòd causa in actu 2do requirat essentialiter effectum; non causa requirit, sed actꝰ 2dus causæ, forma scilicet denominationis, & consequenter tota denominatio causæ essentis in actu 2do, quod idem est ac dicere, non causa purè materialiter, sed causa & sua denominatio objectiva; neq; exinde sequetur, causam esse intrinsecam suo effectui, sed suæ denominationi ab illa inadæquatè per excessum distinctæ, atq; etiam ineptè ex eo, quòd effectus constitueret causam, infertur, causam futuram intrinsecam effectûs causam; sicut ineptè ex eo, quòd

totum constituatur parte, inferres: totum esse causam intrinsecam partis.

93. *Ad 3tium.* Nego Minorem, & probationi suam alteram partem. Cùm à Connotatistis idem argumentum proponitur in celebri illa forma enthymematis: *datur DEUS Noster gloriosissimus. Ergo datur connotatum*, sine periculo Atheismi, imò ne illud subeas, & pro DEO chimeram adores, expeditè nega consequentiam; intorque etiam argumentum. *DEUS Noster gloriosissimus datur. Ergo connotatum non datur*, alioqui DEUS non DEUS, sed chimera esset, si esset connotatum, nec gloriosissimus esset, si extra se connotatum antonomasticè tale esse permitteret.

94. *Ad 4tum* retorqueo. Dantur connotata antonomasticè talia, quæ connotantibus tantùm inadæquatè identificantur, ut sunt illis semiextrinseca. Ergo etiam dantur connotata antonomasticè talia, quæ connotantibus adæquatè identificantur. Directè. Nego primam & 2dam consequentiam, quia inadæquatè distincta possunt esse requisita, se totis totaliterq; rei identica; non est igitur mirum, quòd sint & essentialia ad illorum esse requisita, & ipsorum constitutiva. Jam verò denominationes, quæ perirent sola ab illis re adæquatè distincta ablata, dari non possunt, quia neq; dari adæquatè distincta possunt, quibus ex adæquatè distinctis solis sublatis debeat res ejusmodi perire, ob manifestam in terminis contradictionem. Responsiones distinctivas propositionum interim omitto, utpote non necessarias,

quam-

quamvis nostris communiter usitatas, producam paulò post, ubi ad Triarium robur probationum Connotatisticarum deventum fuerit à num. 106.

95. Probant *4tò*. Termini relationum sunt connotata. Sed isti dantur. Ergo &c. Major probatur. Termini relationum, sunt essentialia requisita ad esse relationis: deinde (quamquam hoc ipso, quòd sint ejusmodi requisita) talia sunt, ut quocunq; ex illis solo sublato, tollatur relatio, tandem non sunt constitutiva relationis. Ergo &c. Antecedentis *1ma pars* patet, quia omnis relatio essentialiter & quidditativè est ad aliud. Sed istud aliud est terminus. Ergo relatio essentialiter est ad terminum. Ergo terminus est essentiale requisitum ad esse relationis. *2da pars* probatur, quia solo termino ablato, non est, ad quod referatur relatio. Ergo neq; est ad illud relatio. *3tia pars* probatur. Terminus relationis adæquatè distinguitur à relatione. Ergo non est constitutivum relationis. Antecedens immediatum probatur. Quod est à toto esse relationis aliud, est distinctum adæquatè à relatione. Sed terminus à toto esse relationis est aliud. Ergo &c. Minor probatur. Relatio per Aristotelem est, *cujus totum esse est ad aliud*. Sed hoc aliud non est nisi terminus. Ergo &c. *Confirmatur*. Relatio sumpta cum termino non refertur ad terminum, aliàs & terminus realiter referretur ad terminum, adeoq; distingueretur à seipso. Est antiquiorum Connotatistarum argumentum, quamquam & ali-

quo-

quorum ex Novioribus. Reſpondeo Nego Majorem. Ad probationes reſpondeo in ſententia Noſtris communiore, quæ docet relationem ſumptam in abſtracto conſtitui rationibus fundandi & terminandi, ſumptas concretè fundamento & iisdem rationibus. Si interdum in aliqua relatione, ratio fundandi & terminandi, eſt indiſtincta à fundamento, fundamentum adæquatè conſtituit relationem, tam in abſtracto quam concretè ſumptam: ſimiliter ſi ratio terminandi vel fundandi, ſaltem partialiter eſt indiſtincta à termino, conſtituit utraq; relatio etiam termino. In hac itaq; ſententia probationi Majoris Nego Antecedens, quoad omnes partes, inquantum univerſaliter procedit.

96. *Ad probationem 1mæ partis* permiſſo toto ſyllogiſmo nego 2dam Conſequentiam. Relatio principii ratiocinationum eſt ad ratiocinationes, iſtæ tamen non ſunt eſſentiale requiſitum ad eſſe principii ratiocinationum, fatentibus etiam Novioribus Connotatiſtis, qui illas vocant requiſita purè Logica; dari etiam relationes prædicamentales ad terminos non exiſtentes conſtat, ex relatione propoſitionis veræ, negantis ſuum objectum exiſtere.

97. *Ad 2dæ partis probationem* nego Conſequentiam, ſolo enim termino ablato relatio eſt ad illud, quod non eſt; adhuc tamen eſt terminus, neq; enim eſſe terminum, eſt ſimpliciter & exiſtentialiter eſſe, cùm poſſit relatio dari, ad terminum etiam, qui non datur.

98. *Probationi 3tiæ partis*, cùm universaliter agat, nego Antecedens, terminus enim relationis transcendentalis distinguitur adæquatè ab omni tali relatione, jam autem sic non distinguitur ab aliqua prædicamentali, conformiter ad dicta in propositione communioris sententiæ. Probationi Antecedentis imprimìs nego Majorem, quamvis enim pars à toto esse sui totius distinguatur realiter, non tamen adæquatè, sicut & totum esse totius distinguitur à parte realiter, non tamen adæquatè. Nego etiam Minorem, quia, licèt relationis totum esse esset ad aliud, non ideo debet esse ad aliud ab ipsa adæquatè distinctum, ob rationem immediatè præmissam. Sic totum realiter refertur etiam ad suam partem, (quia realiter ab illâ distinguitur, & distinctio realis essentialiter est ad aliud) includit realiter suam partem, est illa quid majus, non includit autem realiter se ipsum, non est majus se ipso. Ergo quod includit, quo majus est, à quo realiter est aliud, ad illud realiter refertur, nec tamen est distinctum adæquatè ab illo. Quanquam P. Ayleworth, doctè & acutè suo more advertit, relativum ab Aristotele non esse definitum per id, *cujus totum esse est ad aliud*, sed per id, *cujus totum esse est esse ad aliud.* Porro differunt, *inquit*, ista, 1mum enim significat omnia in relatione inclusa esse ad aliud, 2dum verò dicit totam quidditatem relationis esse in eo, ut sit ad aliud, sive interim secundùm totum, sive non secundùm totum suum esse sit ad aliud; per talemq; conceptum adæquatè illius essentia explicatur.

99.

99. *Ad Confirmationem* dico *imò*. Non est de ratione relationis referri ad terminum, sed fundamentum, cui inest, & quod denominat referri ad terminum. 2*dò* nego assumptum universaliter prolatum, & suæ probationis sequelam, dato enim, quòd relatio constituta per terminum referretur ad terminum, non ideo terminus referretur realiter ad seipsum, neq; enim quidquid constituto convenit, debet singulis illis, vel etiam alicui ex constitutivis convenire, ut est notissimũ.

100. Probant 5*tò*, & adhuc evincere conantur, quòd terminus relationis sit extra constitutionem ipsius. *imò* similitudo duorum inter se Angelorum, & similitudo duorum inter se hominum, æquales sunt, homo enim homini similior non est, quàm Angelus Angelo, & è contra. Sed perfectio duorum Angelorum, & perfectio duorum hominum æquales non sunt, non sunt quippe in eodem gradu perfectionis. Ergo similitudo & perfectio duorum Angelorum (sic & hominum) verificant contradictoria. Ergo debent à se differre. Sed non constitutivis; cùm eadem habeant. Ergo connotatis. 2*dò* quia si termini relationum, vg. similitudinum, non esset pura Connotata, tunc paries albus similis alteri albo, esset albus, non tantùm per suam, sed alterius quoq; parietis albedinem, habens item unum aureum similem alienis centum, haberet plusquam centum aureos, &c. 3*tiò* quia dissimilitudo inter S. Petrum & Judam per illius sanctitatem, istius nequitiam, haberet eadem constitutiva, imò una es-

ſet altera. Hoc autem dici non poteſt, quia verificant de ſe contradictoria, ſimilitudo enim S. Petri cum Juda amatur à DEO, diſſimilitudo verò Judæ cum S. Petro non amatur à DEO, ſed potiùs odio habetur. *4tò* ſi Patri vg. non identificaretur, adæquatè ſua Paternitas, & filiatio filio, non eſſet ratio, cur potiùs Adamum vg. denominaret Patrem quàm Abelem, & Abelem potiùs filium, quàm Adamum. *5tò* ſecluſis connotatis & Pater eſſet Filius, & filius Pater, quia quorum eadem omnia conſtitutiva ſunt, illorum unum eſt alterum, quia illorum una eademq; adæquata eſſentia eſt. Sed ſecluſis connotatis, eadem eſſent tam Patris, quàm Filii cõſtitutiva. Ergo ſecluſis cõnotatis Pater eſſet Filius, & è cõtra. Urgeri idem, & inſtantiùs ſolet in ſimilitudine Petri cũ Paulo in natura, atq; eadẽ ratiõe probari, Petrum ſimilem Paulo eſſe Paulum, & è contra. Similiter in diſſimilitudine in natura vg. inter hominem & equum, homo diſſimilis equo eſſet equus, &c. Parum autem refert, (ſubjungit quidam ex Novioribus Connotatiſtis) quòd ex talibus conſtitutivis, aliqua nunc importentur in recto, nunc in obliquo. Tum quia quæ habent eandem omnino eſſentiam ſive in recto, ſive in obliquo importentur, ſunt tamen idem ſemper realiter. Tum quia variabilitas recti & obliqui nihil confert ad diſtinctionem entium realem, quia DEUS & Omnipotentia, ſunt idem realiter, ſive alterutrum illorum veniat, aliud in recto, aliud in obliquo, ſive nullum in recto, per iſtã variationem, non variatur illorum identitas adæquata realis.

101.

101. Respondeo *Ad 1mum*, quod non Connotatisticum est, sed opposuit sibi P. Semeri, & illud quidem non possent oppōnere Connotatistæ, quasi de suo, quia in principiis illorum, Major syllogismi alioqui verissima, est omnino falsa, quia in illorum sententia, similitudo Angeli unius cum altero, est Angelus unus connotans alterum, & similitudo hominis cum homine, est unus homo connotans alterum. Atqui falsum est, quòd Angelus connotans Angelum, sit æqualis homini connotanti hominem. Ergo falsum est, quod similitudo Angeli cum Angelo, sit æqualis similitudini hominis cum homine. Directè distinguo Majorem. Similitudo duorum inter se Angelorum est in similitudine æqualis similitudini duorum inter se hominum, concedo; est in perfectione æqualis similitudini hominum nego Majorem. Sed perfectio hominum & Angelorum non sunt æquales in similitudine prædicta nego Minorem; in perfectióne, concedo Minorem, & nego consequentiam. Perfectio hominum & similitudo in similitudine cum Angelis sunt res diversæ, perfectio quippe hominum constituitur adæquatè entitatibus illorum, similitudo autem hominum in similitudine cum Angelis non constituitur adæquatè entitatibus hominum, sed illis, & simul entitatibus Angelorum, potest itaq; una esse æqualis, altera inæqualis, sine ulla contradictione.

102. *Ad 2dum.* Nego sequelam & retorqueo. Si termini sunt connotata relationum, tunc Petrus albus similis Paulo, haberet suam &

Pauli albedinem, quia haberet omnia essentialiter requisita ad esse similis Paulo albo. Sed inter hæc non tantùm est albedo Petri, sed etiam albedo Pauli. Ergo Petrus utramq; haberet, Ergo Petrus esset habens utramq; illam albedinem. Ergo per utramq; esset albus, cum Connotatistis idem sit esse album, ac esse habens albedinem. Directa ratio negatæ sequelæ est, quia Petrus albus in esse albi, seu denominatio Petri albi, per distinctam albedinem, non constituitur albedine Pauli, sed sua; esset itaq; similis per suam & alterius albedinem, sed non ideo albus, hæc enim denominatio est absoluta à respectu Pauli & albedinis suæ; denominatio autem similis in ratione albi est denominatio respectiva, & albedinis ad albedinem, & albi ad album. Nego & alteram ejusdem objectionis sequelam, quia etsi Petrus vg. haberet unum aureum similem centum aureis, non tamen haberet adæquatè sumptam denominationem, quæ denominat illum similem, & quæ sola constituit aureum unum, in esse similis aliis centum aureis, ita sicut habens unum aureũ similem centum aureis, non habet centum aurea ipsius connotata, essentialiter ad aureum similem requisita, & sine quibus sicut esse similis non potest centum aureis, ita & haberi non posset similis sine centum aureis, alioqui Petrus haberet aureum, sed non haberet similem centum aureis, per ratiocinationem Connotatistæ objicientis, quia non haberet omnia requisita ad esse aureum similem.

103. *Ad 3tium.* Etiam istud probat in

doctri-

doctrina Connotatistarum Sanctum Petrum dissimilem Judæ pariter & Judam futurum & amabilem & odibilem Deo, illum ratione sui amabilem, istū ratione sui odibilem, & rursus illum ratione alterius scilicet sui connotati odibilem, & istum ratione alterius, scilicet sui quoq; connotati amabilem, ita sicut per illos esse deberet DEUS vg. connotans aliquid accidentarium intollibilis ratione sui, & tollibilis ratione alterius. Directè: dissimilitudo S. Petri cum Juda, & Judæ cum S. Petro, sicut ipsa, aliqua parte amabilis est, aliqua parte odibilis DEO, sine omni contradictione, ita sine omni contradictione aliqua sui parte S. Petrum amabilem DEO, & aliqua parte potest Judam reddere odibilem DEO; quodsi de tota dissimilitudine loquaris, ea quidem amabilis est respectu Petri, odibilis respectu Judæ, quatenus in ejusdem dissimilitudinis, quasi symbolam (ut ait P. Semeri) uterq; confert, scilicet S. Petrus Sanctitatem, Judas verò malitiam, adeoq; unumquemq; pro merito suæ, ut ita dicam symbolæ, eadem dissimilitudo denominat diversimodè; quia Petrus contulit sanctitatem, denominat illum amabilem, quia Judas nequitiam, denominat illum odibilem. Et rursus, quia esse dissimilem malo est aliquod bonum inessens dissimili, seu illum denominativè afficiens, ut igitur denominat bonum, ita amabilem: quia autem esse dissimilem bono est aliquid malum, taliter denominatum ab eadem dissimilitudine, reddit malum, adeoq; odibilem. Hæc dissimilitudo abstractè sumpta idem

omnino

omnino complexum est, hinc sanctitatis inhærentis Petro, inde nequitiæ inhærentis Judæ, concretè tamen sumpta, una ab altera subjectis distinctis constituta, inadæquatè distinguitur.

104. *Ad 4tum.* Argumentum probat, quod si identificaretur adæquatè Adamo Paternitas respectu Abelis, Adamus non posset non esse Pater Abelis, & è contta, iste non posset non esse filius Adami, adeoq; pari necessitate Adamus esset Pater Abelis, & Abel filius Adami, ac in Divinis, prima Persona est Pater Verbi Divini, & Verbum Divinum est Filius illius. Directè; Paternitas & filiatio, si abstractè sumantur, eadem res sunt. generatio scilicet activa eademq; passiva, non tamen Abelē, sed Adamum denominat Patrem, quia istius denominationis à tali forma accipiendæ non est capax, nisi terminus, quem actio respicit ut terminū à quo, & Abelem denominat filium non Adamum, quia hujus denominationis ab illa accipiendæ capax est non terminus à quo, sed terminus ad quem. Concretè sumptæ denominationes prædictæ distinguuntur subjectis, adeoq; sunt duo complexa inadæquatè distincta.

105. *Ad 5tum.* Idem sequitur admissis connotatis, Adamus enim haberet quidquid ex essentia denominationis requiritur ad esse filium Abelis, & Abel quoq; quidquid per suam essentiam est, esse Patrem Adami. Directè quantum ad principalem instantiam, falsum est, quòd Pater & Filius habeant eadem omnia constitutiva suarum denominationum, quia Pater constituitur præcisè

suâ

ſuâ materiâ, ſuâ animâ, ſua unione, filius quoq́; ſuâ aliâ materiâ, formâ, & unione. Denominatio quoq́; in abſtracto juxta jam dicta, eſt eadem omnino actio; denominationes verò concretè ſumptæ, ut etiã dictũ, non habent eadẽ omnia conſtitutiva, una enim cõſtituitur entitate Patris, non entitate filii, altera è contra. Aliud verò eſt Pater, aliud filius, aliud rurſus denominatio abſtracta, quæ diſtinguitur ab utroq́;, non tamen una ab altera, aliud denominatio concreta, quarum una ab altera, diſtinguitur realiter inadæquatè. De aliis inſtantiis dico. Petrus ſimilis Paulo non conſtituitur Paulo, ſed ſimilitudo ipſius in natura, ſeu Petrum eſſe ſimilem Paulo conſtituitur tum Petro tum Paulo (idem de diſſimilitudine in natura hominis cum equo) neq́; Petrus poteſt verè affirmari de Paulo, quia habent conſtitutiva, unusquisq́; ſua ab alterius conſtitutivis adæquatè diſtincta. Similitudo Petri cum Paulo in natura, & Pauli cum Petro, habent eadem omnia conſtitutiva, atq́, eſt affirmabilis una de altera. Unde ſupervacaneum eſt, quod occurrendo ſolutioni ſuperaddidit quidam ille ex Novioribus Connotatiſtis: ad recta enim & obliqua, pro ſolutione objectorum, non habemus neceſſitatem recurrendi, cùm interim non agamus de propoſitionibus denominativis, ſed de ipſamet (ut ſemper ab utraq́; parte loqui deberemus, de hac enim, non de illa eſt quæſtio) denominatione objectiva ſecundùm ſe.

106. Probant *6tò* jam accedunt ad ea, quæ ab illis ultra alia æſtimantur quaſi robuſtiſſima. In

hac

hac denominatione: *Petrus habens albedinem* denominativè purè & non concretè accepta, unio & albedo sunt connotata. Sed datur talis denominatio, quia datur à Parte rei Petrus habens albedinem. Ergo dantur & connotata. Major probatur. Tam unio quàm albedo *imò* sunt requisita essentialiter ad dictam denominationem, quia sine quocunq; ex illis, non potest etiam divinitus dari Petrus habens albedinem, quomodo enim Petrus potest actu habere albedinem vel unionem, si albedo vel unio non est in rerum natura? *2dò*. sunt talia requisita, ut quocunq; ex illis solo sublato tollatur Petrus habens albedinem. *3tiò*. Nec albedo, nec unio est constitutivum Petri habentis albedinem, quia omne constitutivum rei est verè & in recto, se solo vel cum alio affirmabile de re vel denominatione, quam constituit. Sed de Petro habente albedinem non potest verè in recto, sive se sola sive cum alio affirmari unio & albedo. Ergo &c. Minor probatur, quia de Petro habente albedinem, neq; unio, neq; albedo seorsim affirmari possunt, cùm inter Petrum, & albedinem, ac unionem nulla detur identitas; neq; etiam cum Petro verè affirmari possunt, quia inter Petrum, & eundem Petrum, albedinem, & unionem, non datur adæquata cum recto Petri habentis albedinem identitas, aliàsq; denominatio illa hoc ipso sumeretur concretè, cùm tamen aliud supponatur.

107. Respondeo *imò*. Nego *imò* suppositum Majoris, quòd controversia præsens procedat de denominatione materialiter denominativè,

tivè, cum addito purè & non concretè ſumpta. Legantur dicta Diſp: 1. à num: 119. Concedo quidem illam fieri poſſe de denominatione materialiter denominativè ſumpta, ſed ſi & inquantùm opponens per denominationem materialiter denominativè ſumptam intelligit, non denominationem purè materialiter ſumptam, (quia neq; de hoc controvertitur, ut ibidem) ſed ſubjectum cũ ſua denominatione, ſeu ſubjectum & denominationem illius. Equidem concedo denominationem taliter ſumptam eſſe quæſtionis ſubjectum; ſed an taliter ſumpta ſumi poſſit & ſumatur concretè, aut etiam ſumi poſſit & ſumatur non concretè, hoc eſt in quæſtione, & pendet à deciſione illius. Ante deciſionem illius & ante argumenta, neutrum ſupponi debet, ſed ex deciſione & illius probationibus tum demum eſt decernendum. Et quia nos Superiori quæſtione probavimus denominationem objectivam, materialiter & ſimul denominativè ſumptam, eſſe in re concretum objectivum, ex Petro, albedine, & unione, ideo negamus ſuppoſitum, quòd ex parte objecti poſſit talis denominatio ſumi, ſeu eſſe, & non eſſe concreta: probari iſtud, non ſupponi debet. Nego *2dò* ſuppoſitum ejusdem Majoris, quòd ſit quæſtio de denominatione Petri albi, prout ſubſtat huic termino: *Petrus habens albedinem*, repræſentanti Petrum in recto, albedinem in obliquo; quæritur enim de denominatione objectiva ſecundùm ſe præciſo reſpectu ad formalem ex dictis ibidem. Nego *3tiò* ſuppoſitum, quòd denominatio Petri albi ſufficienter explicetur per denominationem

Petri

Petri habentis albedinem, de quo Disp: 1. num 37. Directè negatur Minor, si vel supponit, (videtur autem supponere) vel ponit in denominatione objectiva & secundùm se, Petrum esse rectum, & albedinem esse obliquum, Petrus enim ex parte objecti non datur in recto, neq; unio vel albedo in obliquo in sensu Connotatistico ut Disp. 1. Quæst: 3. Negatam Minorem sua ratio non probat, quia Petrus habens albedinem, non est denominatio, sed denominatum; denominatio autem illius completè sumpta est concretum ex Petro, albedine, & unione.

108. Respondeo 2dò. Nego Majorem, exclusa tamen semper particula *non concretè. Probationis imam partem nego*, cum sua ratione ex dictis hic à num. 3. & supposito, quòd ut volunt oppositi, unio ac albedo non sint constitutiva Petri habentis albedinem materialiter denominativè sumpti. Ad subjectam interrogationem: *quomodo enim?* Respondeo hoc modo, quòd sine albedine & unione possint dari omnia constitutiva, totaq; & adæquata essentia Petri habentis albedinem, neq; enim dari Petrum habentem albedinem est quid plus quàm Petrum dari, qui est adæquatum constitutivum, tota & adæquata essentia Petri habentis albedinem, quia Petrum habentem albedinem dari, est Petrum dari, & nihil plus est dari, dicta enim denominatio nihil plus est, nullo alio constituitur præter Petrum, sed tantùm plus dicit, quod iterum ipsum plus dicere, non est quid plus, quàm ipse Petrus, cùm & denomi-

nátio

natio dicentis plus, non ſit quid plus, quàm ipſe Petrus, & ex eo, quòd dicat plus ad ſummum ſequitur, quòd ablata albedine plus non dicet, non tamen ſequitur, quòd erit plus vel minùs, quàm quod eſt ante ablatam albedinem. Sed ante hanc ablatam eſt Petrus habens albedinem. Ergo & ablata albedine erit habens albedinem. Hæc omnia accomodè ad doctrinam Connotatiſtarum, & ex ſuppoſitione, quòd albedo & unio non conſtituant denominationem objectivam Petri in eſſe albi. Unde falſum eſt ulterius, quòd Petrus habens albedinem etiam divinitus dari non poſſit ablata albedine, quia poſſe eſſe ſine albedine prædicatum ab ipſo inauferibile eſt, non minùs, quàm eſſe ſubſtantiam, eſſe hominem &c. ſicut ergo Petrus habens albedinem poteſt eſſe ſubſtantia, homo, etiam ablata albedine; ita habens albedinem, poteſt eſſe ſine albedine, tam enim hæc, quàm illa identificatur adæquatè Petro. Simultas potentiæ ad oppoſita per neutrum ex oppoſitis tollitur, & cum utroq; componi poteſt, quamvis non ſimultas oppoſiti cum oppoſito. Illa inſuper interrogatio: *quomodo paries actu poteſt habere albedinem, ſi non eſt albedo?* demptâ figurâ interrogationis erit hæc propoſitio: *paries non poteſt actu habere albedinem, ſi albedo non eſt*, quæ eſt ſimpliciter falſa, quia Petrus etiamſi albedo non ſit, habet actu potentiam, ad actu habendam albedinem. Deinde intentum non infert; diverſæ enim ſunt iſtæ propoſitiones: *Petrus habens albedinem datur à parte rei*, &: *Petrus eſt à parte rei habens albedinem.*

dinem. Propositio *1ma* ad summùm supponit, quòd Petrus habeat albedinem, non autem directè ponit & affirmat, sed solùm directè affirmat de Petro, quòd detur seu existat, ad quod prædicatum de illo verificandum sufficit omisso supposito Petrum existere, recto ènim existentis adæquatè identificatur suum existere, sive habeat, sive non habeat albedinem, cùm à neutro determinatè dependeat; *2da* verò positivè directè affirmat, quòd Petrus habeat albedinem, quod ex prædicato prioris nullo modo infertur.

109. *Probationis 2dam partem*, etiam nego, si albedo non est constitutivum Petri habentis albedinem; imò dato etiam, quòd esset constitutivum, illo tamen principio Connotatistarum relicto in suo vigore, quòd ad veritatem propositionis affirmativæ requiratur adæquata identitas inter rectum subjecti & prædicati, nego quòd sola sublata albedine, tollatur Petrus, qui habet albedinem; quia sublata sola albedine, rectum quod tollitur, non est adæquatè identificatum Petro, cùm tamen de Petro affirmetur, quòd tollatur. Sola albedo deberet esse rectum prædicati, sed albedo Petri non est utiq; Petrus.

110. *Ad 3tiam partem probationis*: concedimus, nec albedinem, nec unionem esse constitutivum Petri habentis albedinem; nisi addatur vel subintelligatur: *in esse habentis albedinem*. Utraq; est constitutivum non Petri, sed denominationis Petri, quâ denominatur albus. Argumentum equidem utitur disjunctione Petri vel suæ

deno-

denominationis, ſed quia in progreſſu argumenti ly *denominationis* dimittitur, vel certè Petrus habens albedinem pro eodem adæquatè cum denominatione habetur, ideo clarè adjicimus cujuſnam ſint conſtitutiva albedo & unio; ideo inter Petrum & denominationem Petri diſtinguimus, & quid huic, quid illi conveniat, tribuimus.

III. Jam ſi conſtet ſibi argumentum, & loquatur de denominatione Petri non in eſſe Petri, ſed in eſſe habentis albedinem, independenter à doctrina Connotatiſtarum & illius ſequelis, nego Majorem *1mæ parti*, concedo unionem & albedinem eſſe requiſita eſſentialiter ad dictam denominationem, ſed illam non à Petro, verùm à denominatione requiri. *2dæ parti* nego albedinem & unionem eſſe talia requiſita, ut quocunq; ex illis ſolo ſublato, tollatur Petrus habens albedinem: concedo autem eſſe talia requiſita, ut quocunq; ex illis ſolo ablato, Petrus non ſit habens albedinem, adeoq; non ſit iſta ipſius denominatio. *3tiæ parti* nego albedinem & unionem non eſſe conſtitutivum denominationis, quæ denominat Petrum eſſe album. Ulterius tranſeat de Petro habente albedinem, non poſſe verè in recto affirmari albedinem & unionem; nego de denominatione Petri habentis albedinem non poſſe illam affirmari. Tranſeat inter Petrum atq; albedinem ac unionem nullam dari identitatem; nego inter denominationem Petri habentis albedinem, & inter Petrum, albedinem, ac unionem nullam dari identitatem. Concedo denominationem eandem

dem non ſumi inconcretè, ſed concretè, ut poſt determinatam quæſtionem & probatas concluſiones, non verò per meras ſuppoſitiones, intuli & aſſerui hic num. 77. Ita ſoluta objectione nullam mihi videor perſenſiſſe difficultatem, etiam permiſſo principio Connotatiſtarum, quod non univerſaliter eſſe verum, habes probatum ſuprà Diſp. 2. à num. 86, non igitur ex neceſſario, ſed ex ſuperfluo.

112. Reſpondeo *3tiò*. Connotatiſticè (hoc eſt vel in ſimili forma, vel iiſdem terminis, quibus Connotatiſtæ uti ſolent, ad ſolutionem Noſtrarum objectionum, ut advertant, quàm improvidè ea methodo reſpondendi utantur) negando 3tiam partem probatæ num. 106. Majoris, & ſuæ probationis *imò* ſic diſtinguendo Minorem. Sed de Petro conſtituto per albedinem in eſſe habentis albedinem, non poteſt verè affirmari albedo nego, non conſtituto tranſeat. Modus reſpondendi Connotatiſticus eſt, quamvis petat principium, ut videre eſt in toto tractu reſponſionum, quas adferunt ad noſtras probationes, vg. cùm, dicimus: *Petrus non requirit eſſentialiter albedinem*, diſtinguunt: *Petrus connotans, dicens, habens, non requirit, &c.* negant; *ſecundùm ſe, carens, non connotans* &c. cōncedunt: atq; ita illi ferè ad omnia. *2dò* etiam Connotatiſticè. Sed de Petro habente albedinem non poteſt verè ratione ſui, ſcilicet Petri affirmari albedo concedo; ratione alterius, ſcilicet albedinis nego: ita ſicut ajunt de Petro ſublata albedine verificari id, quòd tollitur non ra-

tione

tione sui, sed ratione albedinis. Si igitur potest id, quod tollitur, verè affirmari de Petro, quamvis in tali casu Petrus non sit id, quod tollitur, sed sola albedo sit, quod tollitur, ita etiam quamvis Petrus non sit id, quod est albedo ratione sui, ratione tamen albedinis etiam Petrus erit albedo. *3tiò* Connotatisticè. Sed de Petro habente albedinem secundùm se sumpto non potest affirmari in recto albedo, transeat; de Petro &c. denominativè sumpto, nego Minorem. *4tò* Connotatisticè. Sed de Petro habente albedinem, quoad rectum non potest verè affirmari albedo, transeat; quoad obliquum nego. Dico semper: *transeat*; quia consequenter ad doctrinam Connotatistarum albedo deberet esse affirmabilis in recto de Petro habente albedinem, deberet enim illi adæquatè identificari ex declaratis in sententia Connotatistica hìc ad finem num. 59.

113. Respondeo *4tò* distinguendo Majorem. Omne constitutivum *ut quod*, est affirmabile de re in recto, quam tali modo constituit, transeat propter dicta Disput. 2. num. 83. & seq. Omne constitutivum *ut quo*, est affirmabile de re in recto, nego Majorem. Minore permissa distinguo consequens. Ergo albedo & unio non sunt constitutiva *ut quod* Petri habentis albedinem, concedo; non sunt constitutiva *ut quo*, nego consequentiam. Constitutivum rei *ut quod* dicitur, quod rem in esse suo illi adæquatè identico constituit, vel in esse inadæquatè identico ipsi conveniente per modum ejus, cui aliquid convenit, ut est entitas

 sub-

ſubjecti denominati. Conſtitutivum *ut quo* dicitur, quòd rem conſtituit in eſſe ſuo non quidem illi adæquatè identico, ipſi tamen conveniente per modum ejus ratione cujus tale eſſe ipſi formaliter convenit, ut eſt entitas formæ denominantis ſubjectum, & ſuæ ad illud applicationis, ratione quarum eſſe denominativum formaliter convenit ſubjecto. Sic in conſtitutione Petri habentis albedinem entitas ipſius Petri habet ſe *ut quod*, quia eſſe habentis albedinem conſtituit per modum illius, cui convenit eſſe habens albedinem; albedo autem & unio habent ſe *ut quo*, quia ſe habent, ut id, ratione cujus formaliter convenit Petro eſſe habens albedinem. Entitas Petri eſt affirmabilis in recto de Petro albo, ſecus albedo & unio.

114. Reſpondeo 5*tò* diſtinguendo Minorem. Sed de Petro habente albedinem non poteſt albedo affirmari in recto, ut de ſubjecto, concedo; non poteſt albedo affirmari de Petro in recto, ut in ſubjecto, nego. Similiter diſtincto conſequente, dico albedinem poſſe affirmari de Petro idq; in recto; modo proprio termini formalis denominativi, cùm ponitur pro prædicato, & ut denominativus affirmatur. Jam hic non affirmatur ſecundùm quamlibet partem ſignificati ex doctrina quidem Ariſtotelica de ſubjecto, ſed parte aliqua de ſubjecto & aliqua in ſubjecto, quatenus illa parte, qua ſignificat ipſummet rectum ſubjecti affirmatur de ſubjecto, aliqua verò parte in ſubjecto. Rem explicatam habes Diſp.1. num: 98.

Et

Et sic cùm dicitur: *Petrus est albus*, exponenda est propositio in hunc sensum: *Petrus est, & albedo ipsi inest*; hæc verò ipsa per istam: *Petrus est, seu datur, & albedo est, seu datur, & unio illius est, seu datur*, consequenter arguitivè, *& totum ex ipsis complexum est, seu datur*; quæ expositio & menti Aristotelis conformissima est, & explicandæ denominationi connaturalissima, atq; etiam patet ex oppositione propositionis contradictoriæ. Cum enim dicitur: *Petrus non est albus*, dato, quòd ex parte prædicati veniat seorsivè aliquod rectum, ut volunt Connotatistæ, non negatur determinatè de Petro rectum prædicati, quod ex doctrina Connotatistarum debet esse adæquatè identificatum Petro, consequenter est ipsemet Petrus, alioqui propositio illa nunquam posset esse vera, utpote semper exponenda per istam: *Petrus non est Petrus*, quæ est necessariò falsa; negat igitur Petrum de Petro tantùm indeterminatè seu disjunctivè. Atqui non tali sensu: *Petrus vel non est Petrus, vel non est habens albedinẽ*, alioqui cùm iterum per alteram hujus exponentis partem negetur aliquod rectum, in ly *habens* implicitè significatum, rursus ista exponeretur per aliquod rectum cadens iterum in Petrum vel aliud rectum habens albedinem, & sic in expositione procedi deberet in infinitum. Ergo satiùs ita, ut faciat sensum: *vel Petrus non est, vel albedo non est, vel unio inter Petrum & albedinem non est*. Si itaq; hæc propositio: *Petrus non est albus* eo modo exponenda est, contradictoria illius: *Petrus est albus*, exponenda

modo contradictorio est per copulativam affirmantem, ita, ut illam jam exposuimus.

115. Respondeo *6tò* ut Nostri communiùs solent, distinguendo eandem Minorem. Sed de Petro habente albedinem secundùm se purè materialiter, specificativè, in esse Petri (idem omnia significant) sumpto, non potest in recto verè affirmari albedo, concedo; de Petro habente albedinem sumpto reduplicativè, formaliter, denominativè, concretè, in esse albi vel habentis albedinem, nego Minorem. Similiter distinguo consequens per eosdem terminos. Distinctionis explicatio & ratio constat ex dictis Disp. 1. num. 119. & seq.

116. Instant *imò*. Vel illa reduplicatio facit denominationem concretam, vel non facit. Si facit. Ergo facit aliam denominationem ab hac: *Petrus habens albedinem*; de qua est quæstio, & cujus albedinem merum esse connotatum asserimus. Si non facit, sed relinquit illam denominationem in esse materialiter & non concretè sumptæ, redit contra illam argumentum. Respondeo non esse munus reduplicationis, ut ipsa faciat denominationem objectivam talem vel talem esse, sed ipsius, quatenus specificativa est, munus tantùm est designare & determinare, pro quo subjectum propositionis, cùm plura habeat significata, supponat per ordinem ad prædicatum verificandum: per quod ipsum efficit, ut, quod in subjecto reduplicat, fiat æquivalenter rectum, de quo rectum prædicati verificandum est, scilicet in præ-

senti

ſenti ut tota denominatio objectiva, per terminum pro ſubjecto poſitum ſignificata, ſit rectum prædicati affirmandi, nempe omnium collectivè partium denominationis. Reduplicatio enim, quâ utitur communis reſponſio, eſt reduplicatio totalis, quâ ſcilicet præſtatur, ut ſupponat pro tota denominatione objectiva, ſeu toto eſſe denominativo Petri, quod illi attribuitur per appoſitum ly *albus*, vel ly *habens albedinem*. Non ergo mutat in ſe objectum & denominationem objectivam, ſed præcisè mutat terminum formalem, objectum autem, utpote res illi prorſus extrinſeca conſiſtens in voce vel conceptu, non immutat; iſtud ſemper eodem modo eſt: partes eſſe denominativi, ſeu denominationis objectivæ eodem modo ſe habent; complexum etiam ex partibus manet pariter immutatum. Vide dicta Diſp. 1. Quæſt. 3. & 4. In præſenti itaq; reduplicatio facit ſenſum quod de eſſe toto denominativo, ſeu de tota denominatione objectiva Petri habentis in ſe albedinem, in recto affirmabilis ſit albedo, vel per copulam: *eſt* termino iſto: *inadæquatè* modificatam, vel certè cum aliis, hoc eſt, cum Petro & unione collectivè ſumptis, aut etiam ita, ut de omnibus diſtributivè partibus denominationis objectivæ, affirmari poſſit albedo & Petrus, & unio diſtributione accommoda, ſcilicet de unoquoq; partiali ſignificato id affirmando, quod eſt, in hunc ſenſum: *& Petrus eſt Petrus, & albedo eſt albedo, & unio eſt unio*. Adhuc autem hoc non obſtante dicitur affirmari poſſe albedinem de eo, quod eſt in quæſti-

one, quia in quæstione est non Petrus materialiter, & non concretè sumptus, sed materialiter, & simul denominativè hoc est & secundũ esse entitatis Petri, & secundùm esse denominativum, quod est esse album, sumptus, de quo. an sit hoc ipso concretè sumptus, an non concretè inter Nostros & Connotatistas est quæstio. *Directè* igitur ad illud dilemma respondeo, quòd reduplicatio non faciat, sed designet denominationem concretam, quam talem esse nemine cogitante decisa quæstione 1. conclusimus hic num. 77. Denominationem autem materialiter & inconcretè sumptam dicimus non esse denominationem, sed solam entitatem subjecti denominationis.

117. Instant. 2.º Hæc denominatio: *Petrus habens albedinem*, non potest subjici isti prædicato: *est Petrus, albedo, & unio.* Tum quia esset concreta. Tum quia albedinem & unionem ex parte subjecti præcisè importat in obliquo. Respondeo. Nego suppositum, quòd Petrus habens albedinem, sit absolutè & simpliciter denominatio objectiva; est tantùm pars illius, quæ potest dici denominatio purè materialiter sumpta, sed hoc quod additur, est diminuens, nec significat denominationem, sed entitatem denominati. Si verò addatur: *hæc denominatio: Petrus habens albedinẽ & materialiter & denominativè, atq; objectivè sumpta non potest subjici illis prædicatis* falsa est, quia sensum facit, quod entitas Petri habens albedinem, & simul esse ipsius denominationis albi subjici

ſubjici non poſſit Petro, albedini & unioni, quod ex toties dictis conſtat verum non eſſe. Quòd per terminum: *Petrus habens albedinem* albedo & unio explicitè importentur in obliquo, nihil obſtat. Tum quia per terminum: *denominativè ſuperadditum*, implicitè & æquivalenter reponuntur in recto: ſicut ex ſenſu Adverſariorum peradditum terminum: *concretè*. Tum quia quamvis de illa denominatione objectiva ut ſignificata per terminum, *Petrus habens albedinem*, non poſſet affirmari in recto, Petrus albedo & unio, ſufficit quòd poſſent taliter affirmari de eadem denominatione per alium terminum ſignificata, qui illa omnia ex parte ſubjecti importaret in recto, explicitè & formaliter vel implicitè & æquivalenter. Quanquam ſi, quod nego, velit objiciens ſubſiſtere ſuppoſitum, hoc ipſo, cùm dicit: *hæc denominatio objectiva: Petrus habens albedinem*, perinde erit acſi diceret: *denominatio objectiva Petri habentis albedinem*, aſſumpta propoſitio ſimpliciter eſt neganda; nam de hac denominatione poterunt illa omnia verè affirmari in recto, vel diſtributivè accommodè, vel collectivè. Quòd eſſet denominatio concreta, id verum eſſe ultro concedimus poſt concluſa de conſtitutione denominationis, non tantùm per ſubjectum, ſed etiam per formam & unionem, hic num. 75. & 76.

118. Inſtant 3tiò. Denominatio hæc: *Petrus habens albedinem* etiam materialiter & denominativè ſumpta, tollitur ablata ſola unione vel albedine. Ergo materialiter & denominativè

ſum-

ſumpta deberet albedine & unione conſtitui. Ergo de illa deberet albedo & unio poſſe verè affirmari in recto. Reſpondeo totum eſſe conceſſum, dummodo non intermittantur termini: *materialiter & denominativè*, aut iſte terminus: *hæc denominatio*, his enim intermiſſis, de Petro habente albedinem, negandum erit Connotatiſtis, quòd Petrus habens albedinem ſola ablata albedine tollatur, cùm nihil ſit, quòd albedinem & unionem evehat ad æquivalentiam recti, & ſolus Petrus ponatur in recto, qui ſola ablata albedine non tollitur, neq; etiam per illam conſtituitur.

119. Dices. Vera eſt iſta propoſitio: *ablata ſola albedine Petrus non eſt habens albedinem.* Ergo etiam iſta eſt vera: *ablata ſola albedine Petrus habens albedinem tollitur.* Reſpondeo, in rigore loquendo nego Antecedens, Petrus enim in eſſe habentis albedinem, cùm iſtud ex dictis Diſp. 1. num. 31. & ſequ: non æquivaleat iſti: *Petrus eſt albus*, non conſtituitur albedine, ſed entitate Petri, & habitione ſeu unione albedinis, conſequenter cùm neutrum ex his tollatur ablata ſola albedine, imò utramq; maneat, ablata ſola albedine manet adhuc verum, quòd maneat Petrus in eſſe habentis albedinē, adeoq; quòd ſit habens albedinem. Dato autem hìc & nunc, quòd Antecedens quoad ſenſum æquivaleat huic: *ablata ſola albedine Petrus non eſt albus*, nego conſequentiam, quia ſenſus Antecedentis erit: *ablata ſola albedine vel Petrus tollitur, vel albedo, vel unio informativa*, ſeu qualis ad informationem Petri per albedinem requi-

requiritur, ex qua utpote disjunctiva, non infertur determinatè: *quòd ablata ſola albedine Petrus habens albedinem tollatur*, quia hæc determinatè infert Petrum tolli, &c.

120. Dices. Falſa eſt iſta propoſitio: *ablata ſola albedine Petrus habens albedinem exiſtit.* Ergo vera debet eſſe hæc altera: *ablata ſola albedine Petrus habens albedinem non exiſtit, tollitur*; hæc enim eſt contradictoria prioris. Ut plenè & ſolidè reſpondeatur, relegendum eſt, tum quod eſt dictum Diſp: 1. num: 103. de duplici ſenſu hypothetico & aſſertivo termini iſtius complexi: *Petrus albus*, cùm ponitur ex parte ſubjecti in aliqua propoſitione, tum quod dictum eſt Diſp: 2. num. 127. de ſenſu iſtius termini: *ablato ſolo* etiam aſſertivo abſoluto & hypothetico, qui alter eſt magis próprius hujus loci. Sed in utroq; agamus. Dico *imò*. Propoſitio hæc in Antecedente contenta, cùm ly *ablata ſola albedine* habet ſenſum abſolutum, facit vel hunc ſenſum: *aufertur albedo, & nihil ab illa adæquatè diſtinctum tollitur, & Petrus, ſi eſt albus, exiſtit*; atq; hoc ſenſu eſt vera, quia ſingulæ partes illius ſunt veræ, ſtat enim & albedinem non exiſtere, & Petrum ſi albus eſt, exiſtere, hæc namq; eſt in materia neceſſaria, ſive exiſtente ſive non exiſtente albedine, vera, ac proinde hoc ſenſu falſum eſt antecedens. Vel facit hunc ſenſum: *albedo aufertur & nihil adæquatè &c, & Petrus eſt albus, & idem exiſtit*; atq; hoc ſenſu eſt falſa, quia eſt copulativa continens duas propoſitiones, ſcilicet iſtas: *albedo aufertur, Petrus eſt albus*, quarum utraq; ſimul

eſſe

esse vera non potest, quia prior infert falsitatem posterioris, hæc enim exponitur legitimè per istam: *Petrus est, & albedo est, & informatio Petri per albedinem est*, quæ non potest esse vera non essente seu ablata albedine, hæc enim non essente vera est potiùs hæc contradictoria: *vel Petrus non est, vel albedo non est, vel informativa unio nõn est.* Dico 2dò si ly *sola ablata albedine*, sumatur in sensu hypothetico, facit vel istum sensum: *si auferatur albedo & nihil adæquatè ab ipsa distinctum auferatur, Petrus si habet albedinem existit*, propositionis tota hypothesis, quam integrat etiam ly: *Petrus si habet albedinem* est se tollens: supponit enim & albedinem tolli, & nihilominus Petrum album esse, meo tamen sensu præfata conditionalis est vera (adeoq; falsum est Antecedens argumenti oppositi) vera inquam est ob connexionem suæ hujus partis: *nihil adæquatè distinctum ab albedine tollitur*, ex qua legitimè sequitur, Petrum existere etiam in tali casu, quo verum esset & albedinem tolli, & Petrum album esse, adeoq; Petrum & album esse, & non esse album, tota enim repugnantia in albedinem, ipsiusq; chimericam existentiam, nulla in Petrum & existentiam illius in ejusmodi suppositione reflueret: Petrus quippe neq; cum albedine, neq; cum illius carentia, sed neq; cum alterutra connectitur essentialiter, atq; adhuc in tali casu purè existeret, quamvis ratione existentis & nõ existentis albedinis illi còexisteret & non còexisteret: in sententia opposita & communiore esset propositio falsa illo sensu. Vel

certè

certè facit hunc ſenſum: *ſi auferatur albedo, & nihil ab illa adæquatè diſtinctum auferatur Petrus & habet albedinem, & exiſtit*, atq; hoc ſenſu falſa evidenter propoſitio eſt, quia falſum manifeſtè eſt, quòd ſi auferatur albedo, Petrus ſit albus, quamvis nō falſum eſſet, quòd in tali caſu auferatur, adeoq; in illa hypotheſi falsū eſſet ſuppoſitū propoſitionis: *ablata ſola albedine Petrus habens albedinem exiſtit*, non ideo, quòd ablata ſola albedine tolleretur, ut aſſerit hæc propoſitio, quia nihil adæquatè diſtinctū ab albedine tolleretur, & Petrꝰ eſt adæquatè ab illa diſtinctus: ſed quòd non eſſet albus, ut ex parte ſubjecti ſupponit propoſitio, eſſet proinde vera, ſed de ſubjecto non ſupponente. Jam quantùm ad propoſitionem in conſequente contentam, dico pariter, quòd illa, ſi ly *ablata ſola albedine* ſumitur in ſenſu abſoluto, faciat ſenſum vel hunc: *albedo aufertur, & nihil &c, & Petrus ſi eſt albus tollitur*, atq; propoſitio eſt clarè falſa, ſatiùs enim ſi albus eſt, non tollitur, vel facit hunc alium: *albedo aufertur & nihil, & Petrus non eſt albus & idem Petrus non exiſtit*, atq; iſta quoq; eſt falſa, quia ultima iſtius copulativæ eſt falſa, ut patet ex ſupra dictis. Quodſi ly *ablata albedine* ſumatur in ſenſu hypothetico faciet ſenſum vel hunc: *ſi albedo tollatur, & nihil adæquatè diſtinctum ab albedine tollatur, & ſi Petrus eſt albus, tollitur*, eſt falſa, ut colligitur ex dictis Paulò ſuprà ſaltem meo ſenſu, & aliorum ejusdem ſententiæ

de

de non connexione &c; vel iſtum : *ſi albedo &c, Petrus & eſt albus, & exiſtit*, eſt etiam falſa, quia falſum eſt in ea hypotheſi Petrum futurum albū. Unde directè. Tranſeat Antecedens, quia non omni ſenſu propoſitio in illo contenta eſt falſa. Nego conſequentiam, quia in quo ſenſu eſt falſa, non infert propoſitionem, de qua in conſequente, eſſe veram. Nego ulterius propoſitionem contentam in conſequente eſſe contradictoriam contentæ in antecedente, in quo ſenſu iſta eſt falſa. Propoſitio prior in hoc ſenſu: *ablata eſt albedo, & nihil adæquatè diſtinctum ab albedine eſt ablatum, & Petrus eſt albus, & idem exiſtit*, eſt falſa, atq; iſti contradictoria eſt: *vel albedo non eſt ablata, vel aliquid ab albedine adæquatè diſtinctum ablatum eſt, vel Petrus non eſt albus, vel non exiſtit*, cui nulla ex exponentibus propoſitionem in conſequente contentam æquivalet, ut patet ſingulas obſervanti. Rurſus falſa eſt in hoc ſenſu: *ſi auferatur albedo, & nihil diſtinctum ab illa auferatur, Petrus & eſt albus, & exiſtit*, cujus contradictoria eſt: *non ſi auferatur albedo &c, Petrus & albus eſt & exiſtit*, cujus ipſius, cùm ſit conditionalis illativa, ſenſus eſt: *ex hoc, quòd albedo auferatur, & nihil adæquatè ab illa diſtinctum auferatur, non ſequitur, quòd Petrus ſit albus, & exiſtat*, cui rurſus nulla ex exponentibus illam æquivalet, ut patet ſingulas decurrenti.

12.I Inſtant *4tò*. Hæc denominatio purè non concretè ſumpta: *Petrus actu habens albedinem*, vel poteſt ſic explicari: *Petrus actu habens albedinem in re eſt Petrus, unio, & albedo.* Ergo mani-

manifestè rectum subjecti non identificatur adæquatè recto prædicati. Vel non potest. Ergo tantùm debebit ita explicari, ut Petrus veniat in recto, albedo & unio in obliquo. Respondeo nego suppositum, quòd hæc denominatio objectiva: *Petrus actu habens albedinem* sumpta *purè non concretè*, sit verè & propriè denominatio, est enim præcisè denominatum, idq; ipsum non ut tale, sed purè secundùm se. Vox ista: *denominatio* ut dictum Disp: 1. in sensu propriissimo sumpta, & simpliciter prolata significat denominationem objectivam, vel formaliter denominanter, vel concretè & completè sumptam. Si igitur exclusis terminis: *purè non concretè* dicatur: *hæc denominatio objectiva: Petrus habens albedinem* &c dico illam posse explicari non præcisè dicendo: *Petrus habens actu albedinem in re est Petrus, unio, & albedo*, sic enim solus Petrus in recto ponitur; sed dicendo: *hæc denominatio objectiva: Petrus habens albedinem est Petrus, albedo, & unio*, sensus enim illius erit: *denominatio realis Petri habentis albedinem, est Petrus, unio, & albedo*, quæ propositio est verissima, sive Petrus, albedo, & unio affirmentur distributivè accommodè, sive collectivè. Quodsi instes: *non potest de Petro habente albedinem verè in recto affirmari unio & albedo. Ergo de hac denominatione objectiva: Petrus habens albedinem, non potest verè affirmari unio & albedo*, omisso Antecedente multoties distinguibili secundùm datas paulò suprà responsiones, nego consequentiam, Petrus enim habens albedinem non est denominatio, sed

deno-

denominatum, adeoq; ex eo, quòd de denominato non possit affirmari albedo, non sequitur, quòd etiam de denominatione non possit affirmari albedo.

122. Instant 5tò. Hæc denominatio objectiva: *Petrus habens albedinem*, non concretè sumpta, vel est eadem adæquatè, cum sumpta concretè, & tamen denominativè, vel tantùm inadæquatè. Si *1mum*? Ergo de illa poterit affirmari concretum ex Petro, albedine, & unione. Si *2dum*? Ergo de illa vg. unio poterit vel non poterit affirmari. Si poterit? Ergo prædicati rectum non erit idem adæquatè cum recto subjecti. Si non poterit? Ergo unio non erit constitutiva illius. Respondeo. Nego iterum suppositum, ut jam suprà, scilicet quòd denominatio objectiva sit in re, non concreta, vel si inconcretè & materialiter sumitur, nego quod sit simpliciter denominatio, quia si non concretè sumitur, est tantùm inadæquatè eadem cum sumpta concretè, neq; hæc de illa poterit regulariter affirmari simpliciter & absolutè, sed tantùm per copulam modificatam termino: *inadæquatè*; unio verò & albedo non poterit ullatenus prædicari de eadem denominatione inconcretè sumpta siquidem denominatio præfata pro recto solum Petrum adfert. Concedo etiam quòd illam non concretè sumptam, si nihil plus addas, & solum Petrum adferas in recto, unio & albedo non constituat.

123. Instant *6tò* Paries A. est habens albedinem, prædicatio est accidentalis. Sed si ex parte sub-

ſubjecti veniret in recto paries, albedo, & unio, non eſſet accidentalis, quia æquivaleret huic: *paries eſt paries, albedo eſt albedo, unio eſt unio*, quæ eſt veritatis neceſſariæ. Ergo &c. Retorqueo & ſubſumo Minorem. Sed ſi ex parte ſubjecti veniret paries, connotans unionem & albedinem, non eſſet accidentalis, quia æquivaleret huic: *paries connotans unionem & albedinem, eſt paries habens connotativè albedinem & unionem*, ac ſi adducta in objectione eſt, etiam iſta eſt veritatis neceſſariæ. Directè cùm dicitur: *paries A. eſt habens albedinem*, ex parte ſubjecti non veniunt in recto albedo & unio, in his ipſis terminis, & primò obvia ipſius expoſitione ut dictum Diſp: 1. Sed ſolus paries, & prædicatio eſt accidentalis: æquivalet non illi, quam adfert objectio, ſed iſti: *paries A. eſt, datur, & albedo ipſi informativè ineſt*. Æquivaleret illi expoſitoriæ, ſi de ſubjecto ex parte ſubjecti materialiter & denominative importato, quidditativè affirmaretur, unio, albedo, & Petrus; ſenſus, etiam primò obvia expoſitione eſſet hic: *Petrum eſſe album, eſt Petrum eſſe, & albedinem eſſe, & unionem eſſe*, vel *Petrum eſſe Petrum, albedinem eſſe albedinem, unionem eſſe unionem*. Sed cùm affirmatio ſit præciſè de parietè A. ſecundùm ſe, nõ debet exponi eo modo.

124. Inſtant *7mò* in hac prædicatione: *lac eſt album & idem eſt dulce*, nullatenus albedo & dulcedo veniunt in recto, aliàs vera eſſet: *lac & albedo, eſt lac & dulcedo*. Reſpondeo tranſeat aſſumptum, quid verò inde? poteſt etiam diſtin-

ſtingui. Nullatenus veniunt in recto, ut de ſubjecto, concedo; ut in ſubjecto, nego. Non igitur per æquivalentiam ad iſtas: *lac eſt albedo, & lac eſt dulcedo*, ſed per æquivalentiam ad iſtam : *lac eſt lac, ac albedo eidem ineſt, & dulcedo eidem lacti ineſt.*

125. Inſtant *deniq;*. Non poteſt explicari in noſtra ſententia, quid ſit in re unus Angelus ſimilis alteri? nam ſi dixeris unum eſſe: clarè eſt falſum, nam uno & ſolo Angelo creato, erit Angelus unus, nec tamen alteri ſimilis. Si dixeris eſſe duos: quomodo igitur unus, ſi duo? aut duo, ſi unus? Reſpondeo argumentum procedere inſtar ſophiſticæ illius interrogationis: Socrates & Plato eſtne homo? ſi reſpondeas: non eſſe, infert Sophiſta. Ergo vel Socrates vel Plato non eſt homo. Si reſpondeas: eſſe. Ergo qui Socratem & Platonem occidit, hominem occidit, non homines. Retorqueo telum contra Connotatiſtas. Si enim dixerint unum Angelum ſimilem alteri eſſe duos Angelos, quæram *imò*: quomodo unus, ſi duo, vel duo, ſi unus? Inferam *2dò*. Ergo unius Angeli ſimilis alteri conſtitutiva ſunt duo Angeli. Quodſi dixerint eſſe unum Angelum, reponam quod illi: nempe poteſt Angelus eſſe unus, & non eſſe ſimilis alteri. Dicent quòd ſit unus Angelus connotans alterum: ſed *imò* non quæro qualis ſit, connotans, an non connotans? ſed quæro quid ſit in re? *2dò* unus Angelus connotans alterum, vel eſt unus vel duo? ſi duo, quomodo unus? ſi unus, contra eſt. Poteſt Angelus unus eſſe, &

& tamen non eſſe connotans alterum. Directè duplex denominatio intervenit: prima vi cujus Angelus denominatur unus; altera, vi cujus denominatur ſimilis alteri. Et quidem, quia non quæritur explicatio: *quid ſit unum Angelum eſſe ſimilem alteri*, ſed præcisè *quid Angelus unus ſimilis alteri?* bene reſpondebitur, quòd ſit unus Angelus. Cùm verò opponitur: *poteſt unus Angelus eſſe, & non eſſe ſimilis alteri*, quid inde inferes? deberes inferre: Ergo Angelus unus ſimilis alteri non eſt unus Angelus; ſed non rectè, nam ſive Angelus unus, ſit, ſive non ſit ſimilis alteri, eſt adhuc unus. Si verò quæreretur explicatio, quid ſit unum Angelum eſſe ſimilem alteri, quærerentur duo: quid ſit eſſe unum? & quid ſit eſſe ſimilem alteri Angelo? Reſpondeo: eſſe unum eſt præcisè Angeli entitatem eſſe. Eſſe ſimilem alteri, eſt unum Angelum dari, & habere naturam, quæ & qualis eſt Angeli, & alterum Angelum dari, & habere naturam, quæ & qualis eſt Angeli. Non eſt igitur unum Angelum eſſe duos Angelos, quod ſignificat identitatem unius cum duobus, ſed duos Angelos eſſe, ſeu dari, exiſtere, & ambos naturam Angeli habere. Vel ſi malis, reſpondeo unum Angelum ſimilem alteri eſſe unum, ſimilitudinem autem illius ac denominationem in eſſe ſimilis, eſſe duos Angelos.

126. Probant 7mò. Implicat partem actualem eſſe æqualem toti. Sed ſi non darentur connotata, pars actualis eſſet æqualis ſuo toti. Ergo &c. Minor probatur. Quod habet eadem

& totidem constitutiva, quæ & quot habet totum, illud est æquale toti. Sed pars actualis & totum haberent eadem & totidem constitutiva. Ergo essent sibi æqualia. Minor probatur. Ablata sola quacunq; totius parte, tam pars actualis tollitur, quàm ipsum totum. Ergo quælibet pars totius constituit partem actualem, nec insuper quidquam plus. Respondeo retorquendo. Proportio dimidii ad dimidium est æqualis proportioni totius ad totum. Sed dimidium importatum in recto connotans alterum in obliquo, est proportio dimidii ad dimidium, & totum importatum in recto, connotans alterum in obliquo, est proportio unius totius cum altero. Ergo dimidium importatum in recto, connotans alterum in obliquò, est æquale toti suo in recto, importanti alterum totum in obliquo. Ergo dimidium totius est æquale toti. Rursus retorqueri potest de parte actuali connotante reliquas partes, & de eadem concretè sumpta. Directè transeat Major propter dandas infrà responsiones. Nego Minorem. Probationi *imò* Nego Majorem, non enim ista sunt sibi æqualia, sed prorsus eadem, quæ habent eadem omnia & totidem constitutiva. *2dò* nego Minorem, quia aliud est pars actualis, & aliud denominatio objectiva partis actualis, sive actualis partialitas ipsius; hæc est æqualis toti, imò ipsummet totum, denominatio enim ejusmodi est accidentalis parti, secundùm se non connexæ cum existentia reliquarum partium: deinde est ratio formalis, vi cujus simul cum alia comparte dat

se in

ſe in entitatem totius: jam hæc ipſa ratio formalis formaliſſimè conſiſtit in eo, quòd ſe una pars det actu in entitatem totius, & altera quoq; actu, & ſic de aliis, adeoq; actualitas partium conſiſtit formaliter in actuali partis ſecum ipſa identitate, & actuali deinde alterius partis identitate ſecum ipſa, quæ ſingulis accommodè adæquata, ſcilicet unicuiq; ſua, eſt toti inadæquata, quod conſequenter totum, quia complexum ex utraq;, eſt ratio formalis, ſeu forma, ob quam, & à qua partes actu ſunt & denominantur actuales compoſiti partes. Probationi Minoris nego Antecedens, falſum enim eſt, quòd ablata quacunq; ſola parte totius, tollatur quælibet pars actualis, ſolùm enim, quod aliud eſt, deſinit eſſe actualis, tollitur ipſius actualitas, & denominatio partis actualis, quæ eſt parti denominatæ ſemiextrinſeca; iſta tolli poteſt & debet per ablationem cujuſcunq; alterius partis, pars quoq; debet non eſſe actualis, ſed non ideo debet ipſamet tolli & perire, iſtud enim: *tollitur*, ipſum rectum directè & determinatè afficit rei iſtius, quæ dicitur tolli, maximè ſubſiſtente principio Connotatiſtarum: *ad veritatem affirmativæ &c.* jam autem partem actualem deſinere eſſe partem actualem non dicit determinatè tolli entitatem partis, ſed indeterminatè vel ipſius vel ſuæ compartis entitatem, & conſequenter identitatem actualem cum toto.

127. Reſpondeo 2*dò* Connotatiſticè. Implicat partem actualem conſtitutam toto eſſe æqualem toti, nego; non conſtitutam toto, tranſe-

at. Similiter diſtincta Minore nego conſequentiam. 2dò. Implicat partem actualem ratione ſui eſſe æqualem ſuo toti concedo; ratione ſui & alterius, nego. 3tiò implicat partem actualem eſſe æqualem quoad rectum concedo; quoad obliquum & rectum, nego, & ſic de aliis ſimilibus. Quæ reſponſiones ſecuturis quoq; inſtantiis poterunt applicari.

128. Reſpondeo 3tiò, & ut communiter Noſtri, diſtinguo Majorem. Implicat partem actualem purè materialiter ſumptam ſeu præcisè ſecundùm ſuam entitatem &c. concedo Majorem; partem actualem materialiter, & ſimul denominativè ſumptam, hoc eſt tum ſecundùm ſe, tum ſecundùm eſſe denominativum &c. nego Majorem. Similiter diſtincta Minore nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis patet ex paulò ſuprà traditis. Non me latet, quòd aliqui ſentiant partem in eſſe partis actualis ſufficienter & adæquatè conſtitui ſua entitate & unione, tanquam actuali quodam exercitio componendi totum; ſed imprimìs, iſtud univerſaliter dici non poteſt, quia dantur tota, in quibus nullam habent ſecum phyſicam unionem partes illorum, ut ſunt aggregata, quæ licèt quidem videantur numeralia, inquantum partes in ipſis numerabiles ſunt, hoc tamen non obeſt, quominus ſint vera & nemine cogitante compoſita, nam etiam tota phyſicè unitas partes habentia, partes easdem numeraliter habent, neq; tamen tota, quæ conſtituunt, ſunt aliquid à ratione

ne

ne numerante dependens, & ipsa numerabilitas non dependet ab illa, tametsi enim pro termino habeat actus numerantes, nihilominus ad asse suum actus numerantes non exigit, alioqui ternarius vg. ante actum numerantem, non constaret tribus unitatibus. Actus quoq; numerans supponit, non ponit numerum, numerus enim ut definivit Euclydes: *est multitudo unitatum*; jam sicut unitas non constituitur per aliquem actum rationis in esse unitatis, ita neq; multitudo unitatum in esse multitudinis. Deniq; unio quamvis sit adæquata ratio parti componendi se, seu uniendi cum altera parte, non est tamen ratio formalis, vi cujus pars det se in entitatem totius, seu vi cujus sit in actuali exercitio componendi totum, & se illi ex parte sua totaliter identificandi; atq; etiam si in toto physico partem actualem in ratione talis constituit unio sua physica, etiam per paritatem in toto aggregato pars ipsius in esse actualis constitui debet unione proportionata, scilicet aggregationis, quæ ab ipso aggregato prorsus est indistincta.

129. Respondeo *4tò* cum communi Nostrorum. Implicat partem actualem specificativè, hoc est acceptam præcisè secundùm suam entitatem (quæ denominatur pars) esse æqualem suo toti, concedo. Implicat partem actualem reduplicativè, formaliter vel concretè sumptam, esse suo toti æqualem, nego Majorem. Similiter distincta Minore nego consequentiam. Pars actualis primo modo sumpta, est ipsa entitas rei, quæ

denominatur pars actualis, atq; hæc entitas esse æqualis toti non potest, cùm totum illam includat, & alterius quoq; compartis entitatem, quam pars non includit. Pars tamen reduplicativè formaliter sumpta (multò magis concretè accepta) scilicet forma, quæ illam denominat, & est ipsi ratio formalis essendi partem, eamq; actualem, potest esse æqualis toti, utpote prorsus indistincta à toto.

130. Instant *imò*. Totum actuale formaliter & reduplicativè sumptum debet esse majus sua parte etiam actuali. Ergo & pars actualis etiam reduplicative & formaliter sumpta debet esse minor toto suo actuali. Respondeo: transeat Antecedens distinguibile per eosdem terminos. Nego consequentiam, quæ retorqueri potest in toto concretè, & parte actuali concretè sumpta. Totum actuale formaliter & reduplicativè sumptum, est totalitas actualis totius; eadem forma, scilicet eadem totalitas est etiam forma partis actualis, eademq; est simul majoritas totius supra partem, sive illud formaliter sive specificativè sumatur (parum enim istud refert, cùm totius denominatio à totalitate sit metaphysica, à forma realiter adæquatè identificata, & tantùm per rationem, eamq; fortassis solummodo ratiocinantem distincta, jam autem denominatio partis actualis ab eadem totalitate sit ipsi realiter semiextrinseca, & ab illa realiter inadæquatè distincta) & minoritas partis infrà totum. Ergo unius denominationis forma ab alterius denominationis forma distin-

distingui non debet, consequenter una alterâ neq; major esse, neq; minor. Hinc ratio disparitatis per se emanat: totum enim & specificativè & formaliter reduplicativè sumptum est eadem res adæquatissimè, adeoq; neutra plus addit supra alteram; jam pars formaliter reduplicativè accepta, seu partialitas actualis partis, addit realiter plus supra entitatem partis, scilicet aliam compartem, vel compartes, quibus constituitur totum.

131. Instant 2dò. Pars ut constituens actu totum, non est totum. Sed pars actualis, ut actualis, est pars ut actu constituens totum. Ergo pars actualis ut actualis non est totum. Minor probatur inductione. Miles ut actu existens in exercitu non est exercitus, musca ut actu existens in universo, non est universum; tertia Persona in Trinitate ut tertia, non est prima & secunda Persona; Michaël ut coëxistens Gabrieli, non est Gabriel: alioqui simpliciter miles esset exercitus, musca universum, Persona tertia esset prima & secunda, Michaël esset Gabriel. Firmatur *1mò*. A termino restricto valet ad irrestrictum. Sed pars reduplicativè formaliter est terminus restrictus, pars simpliciter est terminus irrestrictus. Ergo &c. *2dò* quia si propositio interpositâ reduplicatione est vera, etiam seclusa reduplicatione debet esse vera, ut quia Petrus, quà rationalis est homo, etiam seclusa reduplicatione est homo. *3tiò*: quia Michaël ut componens actu binarium esset binarius, Gabriel quoq; ut componens eundem binarium esset binarius. Ergo Michaël & Gabri-

Gabriel identificarentur uni tertio, ſcilicet eidem binarjo. Ergo & ſibi. Ergo Michaël eſſet ſimpliciter Gabriel. Reſpondeo *imò* retorquendo de parte concretè ſumpta, item de requiſitis eſſentialibus, quia videtur inveriſimile, ut quæ & quot ſunt requiſita eſſentialia ad totum exercitum, eadem & totidem ſint requiſita eſſentialia ad militem, qui eſt pars una, imò particella totius exercitus; ut ad eſſe unius muſcæ, quæ eſt pars totius univerſi, requiratur totum univerſum; ut ad eſſe unius partis tantundem eſſentialiter requiratur, quantùm ad eſſe totius. Reſpondeo etiã Connotatiſticè, ut ſupra. Pars ut actu conſtituens totum non eſt ratione ſui totum, concedo; ratione alterius, ſcilicet ratione illius, quod connotat, nego. Rurſus ratione recti, ratione obliqui; quoad rectum, quoad obliquum; pars ut conſtituens totum, & conſtituta per totum; & rurſus pars ut conſtituens totum, & non conſtituta per totum &c.

132. Reſpondeo 2*dò*. Non bona fide contra diſtinctionem urgetur, nam addebatur conſultò *reduplicativè formaliter vel concretè*, ut determinatè reduplicatio caderet ſupra formam vel concretum. Jam in præſenti argumento reduplicatio materialis aſſumitur, unde diſtinguenda eſt Major: ly *ut* ſumendo reduplicativè formaliter vel concretè nego; ly *ut* ſumendo reduplicativè materialiter concedo. Sed pars actualis ut actualis, eſt pars ut actu conſtituens totum, ly *ut* utrobiq; ſumendo reduplicativè formaliter vel concretè, concedo; ly *ut* ex parte ſubjecti ſumen-

mendo pro reduplicatione materiali, ex parte prædicati pro formali vel concreta aut è contra, nego Minorem, & consequentiam.

133. Prima & 2da inductio consistunt in æquivocatione, nam militem esse in exercitu, sumi potest trifariam. *imò* inauctoratum esse exercitui; & hæc denominatio est moralis, consistens in contractu unius cum altero vg. Ducis cum milite, & obligatione istius ad militandum, illius ad stipendium persolvendum, orta ex contractu. *2dò* ubicationem militis, locationem esse in loco exercitûs, sicut & muscæ in universo; atq; ista denominatio formaliter sumpta, constituitur ubicatione militis ad partem loci, & ubicationem totius exercitûs in toto circumjacente ipsius loco. *3tiò* esse partem actualem exercitûs; & hujus denominationis forma est totus exercitus, sicut & concretum est miles & totus exercitus ipsum quoq; militem includens. Idem de forma quæ denominat muscam partem actualem universi.

134. Persona in Sanctissima Trinitate tertia per suam essentialem connexionem præsuppositivam primæ & secundæ Personæ, à quarum utraq; essentialiter procedit, per suam solius entitatem, est quasi exigitivè tertia; actualis autem & ordinalis ipsius, ut ita dicam, tertietas est tota Trinitas Personarum, nec tamen ideo Persona Spiritûs S. est secunda vel tertia, aut tota Trinitas, sed nonnisi forma ipsius denominans illam formaliter tertiam. Sic & Michàël ut còëxistens Gabrieli per ly *ut* reduplicando formam vel concretum

cretum est coëxistentia, seu simultanea existentia Michaëlis & Gabrielis, seu binarius ex Gabriele, & Michaële existentibus, qui equidem binarius neq; est Michaël præcisè, neq; Gabriel præcisè. Uterq; isti binario identificatur, ut uni tertio, sed inadæquatè, ex quali identitate non sequitur identitas adæquata, vel etiam inadæquata istorum, quæ taliter identificantur uni 3tio, ut est notissimum. Sic etiam neq; sequitur identitas inter militem & exercitum, muscam & universum &c.

135. *Ad confirmationem unam.* Pars simpliciter & pars formaliter reduplicativè non se habent ad se ut terminus irrestrictus ad restrictum, termini enim irrestricti significatum de significato termini restricti est simpliter affirmabile, ut ratio universalis de suo particulari; jam verò pars simpliciter non est ita affirmabilis de parte reduplicativè formaliter sumpta, ita sicut neq; album simpliciter de albo formaliter reduplicativè, quia ut album formaliter reduplicativè est forma albi, scilicet albedo, de qua non est affirmabile simpliciter album, ita etiam pars simpliciter, non est affirmabilis simpliciter de parte formaliter reduplicativè sumpta, quia de partialitate seu forma denominante partem, seu de complexo omnium partium non est affirmabile simpliciter & sine ulla modificatione, quòd sit pars; ratione metaphysica utriusq; attenta, nec una est altera, nec una est sub altera, sed illa ratio est diminuta in parte formaliter denominativè sumpta, termini enim istius: *pars* significatum diminuitur per illud additamentum: *reduplicativè formaliter*, quia ly *pars* & entitatem, quæ denomi-

natur pars, & partialitatem, quæ illi dat denominationem partis, significat, jam pars cum illo addito, solam partialitatem significat, quæ in sensu metaphysico est quid minus. Habes etiam instantiam in toto simpliciter, & toto inadæquato; videtur esse hic terminus restrictus, & est revera diminutus per tale additamentum. Dato verò non concesso: à termino restricto, valet ad irrestrictum, sed viâ affirmabilitatis, quia ex affirmatione restricti vg. specifici valet arguere ad affirmationem de eodem subjecto prædicati irrestricti vg. generici: non verò viâ subjicibilitatis, neq; enim rectè intuleris: *omne animal rationale est homo. Ergo omne animal est homo*; talis verò est illatio arguentis in præsenti hæc: Michàél ut reduplicativè formaliter còéxistens Gabrieli est Gabriél (quanquam nonnisi inadæquatè.) Ergo Michàél est Gabriel.

136. *Ad 2dam Confirmationem* dico, doctrinam in illa contentam veram esse de reduplicatione illativè causali, non verò de reduplicatione purè designativa, quam Antiqui vocabant specificativam, prout patet in istis: *aqua ut calefacta calefacit, ferrum ut ignitum urit, paries ut albus immediatè disgregat visum, Petrus ut connotans lapidem non potest esse sine lapide*, quæ quamvis veræ sunt cum reduplicatione, falsæ tamen sunt illâ seclusâ, nam falsum simpliciter est, quòd aqua calefaciat, ferrum urat, paries immediatè disgreget visum, Petrus non possit esse sine lapide.

137. *Ad 3tiam Confirmationem.* Nego 1mam Consequentiam ob rationem paulò superiùs datam, cùm reduplicatio sit purè materialis, quæ si formalis esset vel concreta, concluderet quidem formam, quæ denominat Michaëlem, binarii partem actualem, & formam, quæ pariter denominat Gabrielem identificari binario, ex Michaële & Gabriele adæquatè, sibi quoq; identificari adæquatè, quod est verum, non tamen Michaëlem Gabrieli, quia neuter identificatur adæquatè binario aut formæ etiam apposita reduplicatione materiali.

138. Instant *3tiò*. Pars actualis ut (suppleo, nè eadem repetam, reduplicativè formaliter vel concretè) actualis est adhuc propriè pars, neq; enim additum ly *actualis* (formaliter & reduplicativè) alienat terminum, sed magis confirmat, & corroborat, ut causa actualis (ut talis formaliter reduplicativè vel concretè) est causa simpliciter & propriè talis. Ergo pars actualis (reduplicativè formaliter vel concretè) est adhuc minor suo toto. Retorqueo ut suprà. Pars actualis ut actualis est adhuc propriè pars. Ergo pauciora requirit essentialiter ad esse partem actualem, quàm ad esse totius. Item pars actualis concretè est adhuc propriè pars. Sicut causa actualis concretè est ad huc propriè causa. Directè nego Antecedens. Ly *actualis* additum cum reduplicatione formali vel concreta in denominationibus Metaphysicis, in quibus forma & subjectum denominationis

tionis ſibi adæquatè realiter identificantur, terminū non alienat; ſecus in denominationibus phyſicis, aut ſemiintrinſecis, adæquatè, aut inadæquatè diſtinctis, forma & ſubjecto conſtitutis. Sic etiam cauſa actualis ut actualis ſub formali reduplicatione non eſt propriè cauſa, quia ſub tali reduplicatione eſt ipſamet actio cauſæ, quæ non eſt propriè cauſa.

139. Inſtant *4tò.* Si pars actualis ut actualis (ſupple ly *ut* ſumendo pro reduplicatione formali vel concreta ſeu totali) conſtitueretur toto, vel reliquis partibus, eſſet pars adæquata totius, conſtitutivum illius adæquatum, adæquata eſſentia. Rurſus totum eſſet conſtitutivum partis ut actualis, adeoq; totum eſſet pars partis, ſaltem ut forma eſt pars ſui concreti, conſequenter pars major eſſet ſuo toto. Reſpondeo retorqueo ut ſuprà. Directè nego ſequelam, quia pars actualis formaliter reduplicativè non eſt pars, ſed forma & actualitas partis, quæ ipſa eſt adæquata toti, & conſtitutivum adæquatum ipſius, & tota eſſentia, non autem entitas partis; totum quoq; iſtius actualitatis eſt non pars, ſed adæquatum conſtitutivum, atq; iſta actualitas eſt quidem forma concreti iſtius, quod conſtat parte & actualitate illius, ſed ſuo ſubjecto, ſeu entitati partis ſemiintrinſeca, adeoq; non eſt pars iſtius concreti in re & ex parte objecti, ſed totum concretum, in ſe ſubjectum denominationis includens, formam autem non includens, ſed eſſens identicè adæquatè forma denominans partem in eſſe partis actualis.

140. Instant 5tò. Binarius A. æqualis binario B. ut æqualis esset inæqualis, quia esset quaternarius, quia duplici binario constitutus. Sed implicat æquale ut æquale esse inæquale, non aliter ac album ut album non esse album. Ergo &c. Respondeo *imò* retorqueo ut antè. *2dò*. Nego sequelam, quia etiam binarius B. ut reduplicativè formaliter æqualis binario A. esset quaternarius, adeoq; æquale ut æquale esset adhuc æquale æquali ut æquali, quamvis æquale ut æquale, æquali specificativè esset inæquale, quod in re non est æquale esse inæquale, sed æqualitatem binarii A. esse inæqualem binario B. esse tamen ipsius æqualitati æqualem, satiùs identicam adæquatè. Sic etiam, si in ly *album ut album*, fiat per ly *ut* reduplicatio formalis, potest fieri, ut album non sit album, nam reduplicativè formaliter est ipsamet albedo, quæ non est alba.

141. Instant 6tò. Implicat partem actualem materialiter sumptam esse æqualem toti. Sed si non darentur connotata, pars actualis etiam materialiter sumpta, esset æqualis suo toti. Ergo dantur, imò implicat non dari connotata. Minor probatur. Pars actualis etiam materialiter sumpta constitueretur omnibus suis compartibus. Ergo &c. Antecedens probatur. Quacunq; comparte etiam sola ablata, non daretur pars actualis materialiter sumpta. Ergo &c. Antecedens probatur. Pars actu componens totum tollitur, quacunq; sola comparte ablata. Sed pars actualis etiam materialiter sumpta, est pars actu componens totum

totum. Ergo &c. Major probatur. Quacunq; parte sublata, nulla pars actu componit totum, quia quacunq; parte sublata non est totum. *Confirmatur.* Sola entitas vg. animæ rationalis non est pars actualis, alioqui anima S. Petri esset pars illum actu componens. Ergo sola entitas animæ rationalis non est pars actualis etiam materialiter sumpta Consequentia probatur. De quo verè negatur genus, de illo verè negatur & species. Sed pars actualis est genus, pars actualis materialiter sumpta est illius species, pars enim actualis dividitur in partem actualem materialiter, & partem actualem formaliter & reduplicativè. Ergo &c. Respondeo *1mò* retorqueo de parte actuali materialiter sumpta etiam in sententia Connotatistarum, quia pars actualis etiam materialiter sumpta, & consequenter præcisè ratione sui, adeoq; independenter à connotatione aliarum partium, connotaret nihilominus alias compartes, quia esset pars actualis simpliciter, adeoq; actu componens totũ. *2dò* terminos Connotatisticos ad distinctionem, adhibeo. *3tiò.* Nego Minorem, probationi illius nego Antecedens, & hujus probationi etiam Antecedens. Istius probationi nego Minorem, cùm procedat de parte actuali, non quomodocunq;, sed purè materialiter sumpta, seu præcisè secundùm suam entitatem, secundùm quam sumpta præcisè non componit actu totum, sed tantùm potentialiter, hoc est potest componere totum. Nego item ejusdem syllogismi Majorem, & ejus probationi consequentiam, aliud enim est, ut in simi-

ſimili dixi, quòd quacunq; parte ſublata nulla pars actu componat totum, aliud quòd quacunq; parte ſublata tollatur pars materialiter ſumpta, ſeu entitas partis; ex primo non ſequitur ſecundum. Entitas animæ S. Petri, ſola ſublata unione non componit totum, neq; tamen ſola ſublata unione tollitur.

142. *Confirmationi* nego Conſequentiam, probationem retorqueo: *pars non eſt ſimpliciter totum. Ergo non eſt totum etiam inadæquatè ſumptum. Æthyops abſolutè non eſt albus. Ergo etiam non eſt ſecundùm dentes albus.* Directè nego Minorem, pars enim actualis præcisè materialiter ſumpta neq; eſt ſimpliciter & abſolutè pars, neq; actualis, ſed tantùm entitas apta eſſe pars, & actualis eſſe. Diviſio partis actualis in materialiter & formaliter ac reduplicativè talem, non eſt diviſio generis in ſuas ſpecies, ſed diviſio ſignificati in duo impropriè ſignificata nomine partis, nam pars actualis materialiter ſumpta eſt ſolummodo entitas ſecundùm ſe apta eſſe pars, & actualis eſſe, quæ aptitudo non reddit illam ſimpliciter partem, & tantò magis actualem; ſicut aptitudo ad eſſe Regem, non reddit ſimpliciter Regem, & ſic de aliis ultrò obviis. Pars etiam actualis formaliter & reduplicativè non eſt propriè pars, ſed forma denominans partem actualem, ſicut album formaliter tale eſt albedo, quæ ſimpliciter non eſt alba, gratia denominans amicum DEI, non eſt amica DEI, & ſic de innumeris. Sicut ly album divi-

divideres in album 2dùm dentes, ut Æthyop. & marmor albicantibus venulis diſtinctum. Hæc igitur ad argumenta, in quibus ſummum Connotatiſticæ ſententiæ robur, quorum omnia ſimplici & una poſſunt negatione expediri. Uſus reduplicationum in ſolvendis illorũ argumentis probat providè datam eſſe cautelam Diſp. 1. num: 85.

143. Probant 8vò ab inconvenientibus ſequelis, potiſſimum ex Theologia petitis, & *imò* ex materia de Sacramentis, quòd Baptiſmus conſtitueret omnia Sacramenta; aſſiſtentia Parochi conſtitueret Sacramentum Matrimonii conſequenter ipſius perſona, ubicationes, durationes, intentio contrahentium plerumq; peccaminoſa, ſexus ipſe, conſenſus abſolutus, qui ſubinde in eſſe abſoluti, ſi aliàs eſſet conditionalis, deberet conſtitui verificatione conditionum conſiſtentium interdum in vaccis, bobus, equis, peccatis enormibus, cùm talia in conditionem conſensûs adducerentur; Sacramentum Euchariſtiæ ſubſtantiâ panis ſaltem ut pro priori ad conſecrationem exiſtente; Sacramentum Pænitentiæ vera realitate peccatorum; Sacramentum Unctionis ægritudine periculoſa. 2*dò* quòd peccatum in ratione malitiæ & offenſæ infinitæ conſtitueretur DEO. 3*tiò* quòd Deus, quà oppoſitus peccato eſſet peccatum, quà ſanctior Judâ eſſet Judas, & peccatum quoq; qua oppoſitum DEO eſſet DEUS. 4*tò* quòd veritas infinita eſſet aliquomodo hæreſis, ut ſi falſitas illius conſtitueretur DEO, &c. Talia verò in conſtitutionem prædictarum denominationum admittere, eſ-

ſet Sanctiſſima Fidei myſteria,' res ſacerrimas & ipſum Deum ludibriis hæreticorum, offenſioni piarum aurium, malevolorum ſcandalis exponere.

144. Reſpondeo *imò*. In veritatibus ac imprimìs Theologicis explicandis non debere attendi ad ea, quæ vel ſtultitiæ, vel malitioſæ aliorum voluntati imputari debent, non verò doctrinæ, quis enim neſcit, multa in Eccleſia fieri & doceri, quæ vel in doctis, vel malevolis abſurda vel ridenda, vel etiam execranda videntur? docentur nihilominus, & fiunt, docenturq; veriſſimè & fiunt ſanctiſſimè. 2*dò* hac in re non eſt felicior Connotatiſtica ratio philoſophandi. Tum quia ad minimùm paria imò etiã majora per conſequentiam doctrinæ adſtruit, de quibus poſtea, & quæ longè probabiliùs ex illa conſequuntur. Tum quia etiã in his ipſis, quæ noſtræ ſententiæ hìc & nunc objiciuntur, quamvis minùs videatur, adhuc tamen ſatis abſurdum erit, quòd quæ Noſtri pro conſtitutivis, Connotatiſtæ admittant pro requiſitis eſſentialibus, ut ad Sacramentum Matrìmonii in iisdem caſibus vaccas, boves, aſinos; ut DEUS ſit Sanctior Judâ, requirat eſſentialiter malitiam Judæ &c. Tum quia præcipua abſurda in ipſiſſimis communi omnium aſſenſu conſtitutivis Sacramenti poſſent interdum reperiri, ut quòd ipſiſſimæ Sacramentorum formæ poſſunt eſſe peccaminoſæ, ut cùm à Miniſtro Sacramenti ſacrilegè proferuntur, ut ſi in forma Sacramenti ex deliberato dictio non quidem ad eſſentiam formæ ſpectans, nihilominus ſub obligatione peccati mortalis proferenda

da omittitur. Ipſe matrimonialis conſenſus poteſt idem eſſe ſimul conſenſus in enormiter illicita, concipi per verba & actus internos blaſphemos &c. fiet igitur, ut res de ſe ſacerrima, ſit in ſe grave peccatum, ſignum practicum gratiæ &c.

145. Interim ad ea, quæ de Sacramentis objiciuntur, dico: multos eſſe, qui Sacramenta à Baptiſmo diſtincta docent non conſtitui Baptiſmo, ſed ad ſummùm charactere Baptiſmali indelebili: dato, quòd deficiente ſolo Baptiſmo, valor aliorum ex Sacramentis deficeret, ſpectaret ille ad conſtituendam proximam capacitatem ſubjecti. Sed quidquid ſit de hoc univerſaliter, quantum in hac materia, *imò* quæ in ſequelas ex Noſtra ſententia oriundas trahuntur, pleraq; ſunt, quæ ad apprehenſionem vulgi, & in ſpeciem tantùm aliquid abſurdi præſeferre videntur, ut quòd vaccæ, boves, conſtituerent Sacramentum: an forte quid nobilius perfectiusq; vaccis & bobus, ſunt moduli illi actionum, ut ablutiones, unctiones, ſonus verborum &c. quàm vaccæ, aut boves ſubſtantiæ completæ animatæ &c? an non etiam Sacramento aliquid ſacratius eſt totum hypoſtaticum divinum, quòd tamen in communiſſima ſententia poſſunt & boves, & vaccæ conſtituere? 2*dò* quia admiſſis talibus in conſtitutionem Sacramenti, ſaltem eo præciſè titulo, quòd illud conſtituerent, non ideo ſequitur futurum, ut ſint ſignum practicum gratiæ, eamq; cauſent, cùm ſatis conſtet, non quodcunq; convenit conſtituto, debere convenire interdum etiam alicui

uni constitutivo, tantò minùs cuilibet sigillatim. *3tiò* cùm ista non sint requisita, multò minùs essentialiter requiruntur ad esse Sacramenti, vel constitutione illius ex natura sua, sed merè arbitraria per denominationem purè extrinsecam, ab arbitrio & libera institutione Divina. Si quid res invidiæ meritò haberet, an non in Deum refundi satiùs posset, talia ad finem Sacramenti requirentem? Interim sunt omnia acta diviniſſimè, & quamvis in constitutivum essent adlecta, nullam meritò institutioni & sententiæ invidiam facerent. Mihi tamen probabiliùs est adlecta non esse, quia per me Sacramentum adæquatè constituitur materiâ & formâ humano modo positis atq; etiam institutione, & voluntate Divina libera per suam modalitatem completa, atq; cum iis, quæ extra materiam & formam Sacramenti sunt, tantummodò essentialiter connexa, quæ proinde tanquam puri termini connexionis in constitutionem non veniunt. Sed hæc Theologiæ relinquenda.

146. Ad reliqua respondeo *imò*. Peccatum in ratione offensæ Divinæ nego constitui entitate DEI, juxta communiorem & probabiliorem. *2do.* Modus quidem loquendi, quo dicitur interdum DEUS quà oppositus peccato esse peccatum, non mihi placet, cùm sine talibus modis loquendi res sufficienter explicari possit, atq; etiam omnis objectio Connotatistarum dissolvi ea methodo, quâ usus sum particulariter hac ipsa quæstione, neq; Deum dicendo esse peccatũ, quamvis peccato oppositum, neq; ipsam etiam opposi-

tionem

tionem esse absolutè & simpliciter peccatum, sed tantùm esse complexum ex peccato & sanctitate, quod ipsum complexum, mihi probabiliùs in recto suas partes non adfert; cæterùm cùm satis inter disputantes constet, quid illi in hac & similibus materiis, cùm particulis reduplicativis uti solent, quid inquam intelligant, non certè Deum oppositú, sed ipsius oppositionē aliqua parte ajunt esse peccatum, non est quòd apud doctos phrasis ista crisim aliquam mereatur. Idem ad alios loquendi modos, qui pro inconvenienti sequela obtruduntur.

147. Probant deniq; particulariter dari connotata semiextrinseca. Datur, *inquiunt*, binarius ex DEO & anima Petri; datur totum compositum. Atqui illud respectu Petri, istud respectu partis actualis est connotatum, illudq; non prorsùs extrinsecum, cùm non distinguatur adæquatè illud à Petro, istud à parte. Ergo &c. Minor probatur. Utrumq; illud respectu sui connotantis est requisitum essentiale, nam neq; sine illo binario secundùm quamcunq; partem sumpto Petrus, neq; sine toto secundùm quamcunq; partem sumpto potest etiam divinitùs pars esse actualis, ita quidem, ut quacunq; sola seu binarii, seu totius parte sublata tollatur Petrus, tollatur pars actualis. Respondeo nego primam partem Minoris, ad probationem nego quòd dictus binarius sit tale requisitum, ut quacunq; sola illius ablata parte tollatur Petrus, quia sola illa binarii parte ablata, quæ est DEUS, non tollitur Petrus. Totum quoq; non est id, cujus

quacunq; parte sola ablata tollatur pars actualis, adeoq; totum non est constitutivum partis actualis. Ex eo, quòd quacunq; sola parte ablata, pars, quamvis non tolleretur, esse tamen actualis desineret, non sequitur, quòd pars actualis constituatur toto & qualibet ipsius parte, sed tantùm quòd actualis partialitas partis, quæ est præcisè forma partis actualis.

148. Ex istis omnibꝰ colligitur connotatorum antonomasticè talium, neq; existentiā neq; possibilitatē esse efficaciter ita probatam, ut pro re evicta haberi possit, nedum debeat: an verò saltem illà efficatià probata sit, qualem intrinseca probabilitas requirit? aliorum judicium esto.

QUÆSTIO TERTIA

An detur vel possibilis sit distinctio Connotativa.

149. DIstinctio connotativa per suos Authores est inter objectiva prædicata vel ambo connotativa (ut inter dissimilitudinem Petri cum DEO, & similitudinem Petri cum Paulo) vel inter unum absolutum, alterum connotativum, ut inter Petrum & similitudinem ejus. In re autem, *inquiunt*, hæc distinctio connotativa non est inter ipsa recta secundum se præcisè sumpta, sed inter ipsa obliqua ac connotata, vel certè inter rectum unius prædicati, & obliquum alterius prædica-

dica-

dicati. Nec ferè illi plura in explicationem prædictæ diſtinctionis; ſed cùm in explicatione adverterint illam non eſſe inter recta præcisè ſumpta, debuiſſent clariùs exponere an etiam interveniat inter recta, quamvis non præcisè ſumpta, tamen connotantia, videtur enim diſtinctio inter illa intervenire, quæ coñotativè diſtinguuntur, non verò inter illa, quæ non connotativè, ſed verè realiter entitativè diſtinguuntur: obliqua certè vg. dulcedo & albedo ejusdem ſaccari diſtinguuntur à ſe realiter entitativè, ſaccarum fortè album deberet connotativè diſtingui à ſaccaro dulci, cùm potiſſimũ iſta ſua diſtinctione Connotatiſtæ utantur ad ſalvanda contradictoria, quæ de uno eodemq; diſtincta connotante, vel uno eodemq;, modò ſecundùm ſe accepto, modò connotante, oppoſiti debere verificari contendunt; atq; revera eo modo illam veteres explicabant. An iſte ſit omnium ex Novioribus Connotatiſtis ſenſus, haud ſcio, cùm non omnium lucubrata præ oculis habeam; quæ præmiſi de illa, ſunt enuntiata unius, qui certè in rem Connotatiſticam ultra aliunde tranſumpta etiam de ſuo contulit aliqua: jam de diſtinctione connotativa non plura protulit in ſuis ſummulis, quas ſolas ad manum habeo num: 36. Quare ad ſenſum communiorem me refero, atq;

150. Dico. Implicat diſtinctio connotativa. Probatur *imò*. Implicant connotata. Ergo & diſtinctio connotativa, hujus enim poſſibilitas

litas vel existentia essentialiter supponit existentiam vel possibilitatem connotatorum.

151. Probatur 2dò Denominatio objectiva distincti connotativè, adæquatè identificatur vel enti connotanti soli, vel illi & connotato. Si 1mum? Ergo etiam ablato solo connotato, dabitur distinctio connotativa rei, cujus fuit connotatum, futura quidem sufficiens post ablationem connotati, ad illud ipsum prædicatum verificandum, ad quod verificandum fuit sufficiens ante ablationem connotati, dabitur quippe & distincti connotativè, & ipsius distinctionis connotativæ ante & post ablationem tota & adæquata essentia. Si verò 2dum? Ergo non est connotativa, sed inadæquata realis constituta ex connotante & connotato, qualis inter extrema in eodem constitutivo communicantia. Firmatur. Distinctio realis connotativa, vel esset superaddita Petro albo secundùm se sumpto, vel non esset. Si esset superaddita. Ergo in re esset Petri albedo vel unio, cùm supponamus, nihil illi aliud superadditum. Ergo sicut albedo, ita hæc denominatio distincti connotativè non identificabitur adæquatè Petro. Si non esset superaddita. Ergo esset adæquatè identificata Petro saltem ex parte sua. Ergo Petrus sive haberet albedinem, sive non haberet superadditã, distingueretur connotativè ab omni non albo.

152. Probatur 3tiò. Hæc distinctio connotativa, distinctorum connotativè recta vel multiplicat, vel non. Si non multiplicat. Ergo Petrus secundùm se & Petrus connotativè nullo modo

distin-

distinguuntur, siquidem Petrus à se connotativè distinctus non est alter & alter, sed idem adæquatissimè Petrus. Ergo ulteriùs talis distinctio ad verificanda recta prædicatorum contradictoriorum de eodem Petro erit inutilis. Ergo quod verificatur de Petro secundùm se, verificabitur etiam ablato solo connotato, & quod verificari non potest de eodem Petro secundùm se, neq; verificabitur, neq; verificari poterit de Petro connotativè à se distincto. Si verò multiplicat recta connotativè distincta. Ergo Petrus secundùm se, altera erit & distincta entitas, quidditas, essentia à Petro connotante, eruntq; ex uno duo Petri, alter connotans, alter non connotans. Ergo iterum quot DEUS connotata habebit, tot erunt dii saltem connotativè, & quasi semidei. Dicent. Distinctio inadæquata vg hirci à cervo idem corpus commune habentium, vel multiplicat corpus animatum animâ hirci, & corpus animatum animâ cervi, vel non Si multiplicat. Ergo sunt duo corpora inadæquatè distincta, adeoq; non unum utriusq; corpus. Si non multiplicat. Ergo corpus animatum unâ animâ, non distinguitur à corpore animato alterâ animâ Respondeo quòd non multiplicet; illationem exinde factam etiam concedo. Non enim corpus à corpore, sed tantummodo unum compositum ab altero composito inadæquatè distinguitur, & composita multiplicantur ita, ut si non sint duo, saltem sint semiduo.

153. Probatur *4tò.* Vel distinctio connotativa esset negabilitas unius de altero secundum

dùm rectum, vel non esset. Si non esset. Ergo neq; esset vera distinctio, ut enim per Connotatistas non esset vera & absolutè identitas, quæ non esset affirmabilitas unius de altero secundùm rectum, ita non esset distinctio, quæ non esset vera negabilitas unius de altero secundùm rectum. Si esset. Ergo rectum connotantis albedinem de recto connotantis vg. dulcedinem posset verè negari. Ergo saccarum album posset verè negari de saccaro dulci. Ergo duæ contradictoriæ poterunt esse simul veræ, quia & per Connotatistas, & per omnes vera est ista affirmatio: *saccarum album est saccarum dulce.* Rursus cùm non tantùm Petrus connotans albedinem, distinguatur à se connotante aliam qualitatem, sed etiam à se ipso secundùm se sumpto, poterit iterum de Petro connotante negari Petrus secundùm se, vg. *Petrus connotans albedinem non est Petrus*, quia revera Connotatistæ dicunt vg. Petrum connotantem albedinem esse adæquatam denominationem Petri albi, & eundem Petrum secundùm se præcisè non esse adæquatā denominationē Petri albi atq; hoc fine, ut evitare possint verificationem contradictoriorum simultaneam de omnino identificatis, adsciscunt in suppetias distinctionem connotativam. Porro de quibus verificari possunt contradictoria, illa etiam de se negari possunt, ut patet ex forma sylogismi secundæ figuræ.

154 Probatur 5tò. Distinctio cōnotativa vel est rationis distinctio, atq; ita non erit sufficiens ad sustinenda contradictoria realia, & pro statu

physi-

physico; vel est media inter realem & rationis, atq; ita omnia contra ipsam militant argumenta, quibus impugnari solet distinctio media; vel est distinctio simpliciter & absolutè realis. Ergo erit vel distinctio inadæquata, seu extremorum aliquam inter se identitatem realem habentium, vel erit adæquata realis, seu extremorum, nullam inter se identitatem realem habentium; media inter istas non datur. Sed distinctio realis connotativa non esset adæquata, quia extrema illius habent secum identitatem adæquatam, Petrus connotans, & Petrus secundùm se, vel saccarum album & saccarum dulce. Non esset etiam inadæquata, quia vg. Petrus secundùm se, & Petrus connotans albedinem, nullam habent inter se per illos distinctionem realem etiam inadæquatam, quia non reperitur in uno constitutivè, quod constitutivè identicè non reperitur in altero. Ergo &c.

155. Probatur *6tò*. Eadem distinctio conotativa si distingueret Petrum secundùm se à Petro connotante, vel distingueret ratione sui in sensu Connotatistarum, vel ratione alterius. Si ratione sui in sensu Connotatistico (hoc est Petrum in sua ipsius entitate) distingueret Petrum secundùm se à Petro connotante, non præcisè connotativè sed entitativè, quid enim esset entitativè distingui, si non est in sua entitate distingui? Si ratione alterius. Ergo Petrus posset ratione alterius non esse Petrus. Petrus enim secundùm se non distinguitur à Petro, Petrus connotans Paulum distinguitur à Petro. Ergo Petrus connotans Paulum

non

non est Petrus. Ergo Petrus ratione alterius, scilicet ratione connotati Pauli, non est Petrus.

156. Probatur 7mò. Implicat identitas connotativa. Ergo & distinctio, cùm omnis alioqui distinctio habeat sibi correlativam identitatem. Antecedens probatur. Identitas connotativa vel esset inter extrema distincta realiter, habentia idem omnino connotatum, qualis vg. cogitari potest inter Petrum & Paulum eadem unione cum eadem albedine unitos, (quod non implicat) atq; ita omnes creaturæ identificarentur secum connotativè, quia omnes connotant unum DEUM, & cùm omnis identitas sit affirmabilitas unius identificati de alio, vel se solo, vel cum alio, quælibet creatura vel se sola vel cum alia potest affirmari de altera, vi connotationis ejusdem DEI. Sicut enim distinctio connotativa fundat negabilitatem unius distincti connotativè de altero pariter distincto, ita identitas fundat affirmabilitatem; atq; sicut de distinctis connotativè possunt absolutè negari distincta ab illis connotativè, ita vi identitatis connotativæ possent esse identificata connotativè absolutè, & verè de se affirmari. Vel identitas connotativa esset inter extrema identificata realiter adæquatè, connotantia tamen distincta à se connotata; atq; ita non differret à distinctione connotativa, nec erit ratio, ob quam talis identitas dici possit connotativa identitas, non enim ratione extremorum connotantium, cùm ista identificantur sibi realiter adæquatè & entitativè; non ratione connotatorum, cùm

hæc

hæc etiam & ab extremo connotante, & à ſemetipſis entitativè diſtinguantur. Vel identitas connotativa eſſet inter extrema realiter diſtincta, & inter connotata realiter diſtincta; atq; hæc clariſſimè repugnant, hæc enim non eſt identitas, ſed diſtinctio entitativa ſimul & connotativa. Vel deniq; eſſet identitas inter extrema realiter adæquatè ſibi identificata, & connotata pariter realiter ſibi identificata; atq; ita eſſet duplex identitas entitativa, ſcilicet & recti cum recto, & obliqui cum obliquo; non igitur eſſet connotativa.

157. Probatur *deniq;*, quia ſemel admiſſa diſtinctione connotativa negari non poterit etiam differentia ſpecifica, ac diverſitas connotativa, pro connotatorum differentia ſpecifica, vel etiam diverſitate, neq, enim ratio major eſſe poteſt, ob quam diſtincta realiter connotata refundant in connotantia diſtinctionem, & non etiam differentia, vel diverſitas illorum differentiam vel diverſitatem connotativam; imò extendi eadem connotativitas poterit etiam ad ipſam formalitatem entis, ipſius proprietates, prædicamenta & ſpecies omnes, atq; ita purum non eſſe dici poterit ens connotativè, accidens poterit dici ſubſtantia connotativè, & è contra &c. taliq; ratione dabitur nova quædam Metaphyſica & Philoſophia connotativa, cum rerum omnium confuſione &c.

158. Objicitur *imò.* Datur diſtinctio inadæquata vg. Petri ſecundùm ſe, à ſe ipſo ſumpto cum Paulo. Item datur diſtinctio inadæquata, quæ vg: materiam communem animæ Petri & animæ

mæ Pauli inadæquatè diſtinguit tum ab ipſo Petro, tum à materia Petri ſeu ab illa ipſa ſumpta cum anima Pauli. Ergo etiam datur diſtinctio connotativa diſtinguens connotativè rem ſecundùm ſe ab hac ipſa re cum connotato, & rem cum uno, ab hac ipſa re cum altero connotato accepta. Reſpondeo. Nego conſequentiam. *imò* quia diſtinctio realis inadæquata, neq; ſupponit quidquam impoſſibile, neq; ſecundùm ſe eſt impoſſibilis. Jam diſtinctio connotativa in ſenſu Connotatiſtarum, & ſupponit impoſſibile, ſcilicet connotatum antonomaſticè tale, & ſuam inſuper adfert impoſſibilitatem. *2dò*, quia diſtinctio inadæquata in re nõ diſtinguit rem eandẽ ſecum, adæquatè ab illa ipſa, ſed vel includens ab incluſo, ut totum à parte; vel incluſum ab includente, ut partem à toto; vel unum ab alio diſtincto realiter, habente tamen aliquid commune identicè cum priore, ut diſtinguit compoſitum ex materia & anima Petri à compoſito ex eadem materia & anima Pauli. Per abuſum autem dicitur: *quòd Petrus vg. ſecundùm ſe diſtinguatur à ſe cum alio vg. cum Paulo*; eſt propoſitio, ut ſe in ſuis terminis præfert, falſa, neq; enim Petrus cum quocunq; demum ſumatur, diſtinguitur à ſe ipſo, quia cum quocunq; ſumatur, ſicut eſt Petrus eademq; ſua adæquata eſſentia, ita ſemper ſibi adæquatè identificatur. In re itaq; non eſt ita, ſed Petrus re ipſa diſtinguitur inadæquatè realiter à binario vg. ex Petro & Paulo, & cùm dicitur ſecundùm ſe ſumptus diſtingui à ſe ſumpto cum Paulo, aliud intelligen-

dum

dum non est, nisi quòd secundùm se sumptus distinguatur à complexo ex se & Paulo. *3tiò* quia distinctio inadæquata versatur inter extrema, quorum sunt constitutiva non omnia eadem; jam verò distinctio connotativa versatur inter extrema, quæ habent eadem omnia constitutiva, siquidem vg. Petri secundùm se, & Petri aliud connotantis, imò etiam diversa connotantis, eadem omnia sunt constitutiva.

159. Objic. *2dò*. Potest una eademq; entitas verificare contrarias, imò & contradictorias denominationes diverso respectu. Sic Petrus uni est dexter, alteri sinister; major uno, altero minor, alio nec major nec minor, sed illi æqualis. Sic unus actus contritionis est amor DEI, non est amor, sed potius odium peccati. Ergo potest una entitas etiam distingui connotativè &c. Consequentia probatur. Quæ verificant contradictoria diverso respectu, à se distinguuntur. Sed non realiter entitativè sive adæquatè sive inadæquatè. Ergo connotativè. Respondeo. Nego consequentiam, cujus probationi distinguo Majorem. Quæ verificant contradictoria verè & absolutè talia, illa distinguuntur, concedo. Quæ verificant contradictoria tantùm secundùm quid, restrictè, & conditionatè talia, nego Majorem; ac pariter distincta Minore nego consequentiam. Contradictoria absolutè talia sunt, quæ cùm de eodem omnino realiter subjecto prædicantur, efficiunt propositiones verè contradictorias, adeoq; quarum non possit utraq; simul vera, & utraq; simul esse

esse falsa, atq; illa sunt, quorum unum idem, & eodem, ejusdemq; termini respectu affirmat vel quasi affirmat, alterum verò idem omnino realiter negat eodem, ejusdemq; termini seu extremi respectu. Contradictoria secundùm quid, restrictè, & conditionatè talia sunt, quæ de omnino eodē realiter subjecto enuntiata non efficiunt propositiones contradictorias, suntq; illa, quæ idē, sed vel nō eodem vel nō ejusdē termini respectu affirmant & negant, at vel diverso vel diversi termini respectu, unde fieri potest, ut propositio de omnino eodem subjecto, idem tali modo affirmans, & altera negans, non sint simpliciter contradictoriæ, & ambæ possint esse simul veræ. Prima contradictoria arguunt distinctionem realem eorum, de quibus verificantur, proinde non sunt verificabilia de eodem omnino realiter, alioqui utraq; ex contradictoriis propositio esset vera, secus de quibus verificantur secunda: illorum subjecta possunt etiam de se negari, supposito quòd verè de utroq; prædicentur, secus istorum. Ita in actu contritionis non potest negari de amore DEI odium peccati, de Petro uni dextro, alteri sinistro, non potest negari ipse Petrus. Primum patet per syllogismos 2dæ figuræ, alterum etiam per eosdem, quatenus si unum ex prioribus de uno affirmetur, de altero negetur, poterit & debet de unius præmissæ subjecto, alterius præmissæ subjectum negari, essetq; syllogismus in sua regulari forma; non item in tali forma esset, si ex aliis illis contradictoriis unum affirmaretur, alterum de eodem negaretur,

retur, ut patet in hoc ſyllogiſmo: *Petrus eſt dexter Paulo. Sed Petrus non eſt dexter Jacobo. Ergo Petrus non eſt Petrus.*

160. Objic. 3*tiò*. In actione vg. reſpectus cauſæ, & reſpectus producti effectûs ſunt diverſi reſpectus, nam actio reſpicit cauſam, ut ſuum principium, adeoq; illam denominat producentem, effectum reſpicit ut id, quod vi illius ponitur à cauſa, adeoq; iſtum non denominat producentem, ſed tantum productum. Sed quæ ſunt diverſa, etiam ſunt diſtincta. Ergo reſpectus illi ſunt diſtincti. Atqui non entitativè; cùm eidem entitati actionis uterq; adæquatè identificetur entitativè. Ergo ſunt diſtincti connotativè, ſcilicet ratione terminorum, quos reſpiciunt. Reſpondeo, diſtinguo Majorem. In actione reſpectus ad cauſam & reſpectus ad effectum ſunt diverſi realiter, nego; ſunt diverſi per rationem, concedo. Sed quæ ſunt diverſa realiter, ſunt etiam diſtincta realiter, & quæ ſunt diverſa per rationem, ſunt etiam diſtincta per rationem, concedo Minorem. Sed quæ ſunt diverſa per rationem, ſunt etiam diſtincta realiter vel è contra, nego Minorem, & conſequentiam, ac dico tales reſpectus communiter quidem dici diverſos, ſed diverſitate rationis, non verò reali, vel quacunq; alia nemine cogitante, cùmq; dicitur poſſe contradictoria dici de eodem reſpectu diverſo, non eſt ſenſus, quòd tales reſpectus ſunt diverſi realiter, ſed tantummodo per rationem. In re autem non eſt reſpectus diverſus, ſed unus idemq; ad terminos tamen realiter diſtin-

ctos terminatus, atq; tunc falsum est prædicata dici simpliciter & propriè diverso respectu, sed nonnisi per abusum phrasis, eodem enim realiter respectu affirmantur & negantur, sed respectu terminorum distinctorum, quorum distinctio, non interveniente ulla etiam connotativa refusa in respectus distinctione, contradictionem absolutam prædicatorum elidit, ita, ut possint etiam eidem subjecto convenire. Unus idemq; realiter respectus in contritione, nunc ad DEUM est amor ipsius, nunc ad peccatum est odium ipsius, neq; tamen saltem uterq; iste terminus est verùm contritionis connotatum, neq; enim saltem peccato solo ablato sive physicè, sive etiam moraliter tollitur actus contritionis, odiumq; peccati. Quòd ablato DEO tolleretur amor DEI, imprimìs solo ablato non tolleretur; deinde non tolleretur eo ablato etiam præcisa exclusione, eò, quòd sit amor DEI (nam amari possunt etiam quæ non sunt, & quibus nulla cum illis, multominùs essentialis amori connexio) sed ex eo, quòd sit amor creatus, adeoq; essentialiter in suo esse dependens à DEO.

161. Objic. 4tò. Quia cognitio DEI vel offensa respiciunt terminum infinitum, sunt & dicuntur infinitæ terminativè. Ergo etiam una entitas connotans plures terminos rectè dicetur distincta vel multiplex connotativè. Respondeo, nego consequentiam, denominatio enim in Antecedente contenta est tantummodo secundùm quid, ita diminutè, ut non significet in re plus, quàm

quàm quòd terminus cognitionis & offensæ sit Infinitus, unde tamen nulla refluat in offensam vel cognitionem infinitudo; jam distinctio connotativa est propriè talis distinctio, atq; plus significat, quàm quòd connotata rei distinguantur inter se realiter, quia ex distinctione illorum refluit in idem connotans distinctio sufficiens ad verificanda contradictoria vera & realia de eodem connotante, & quia esse distinctum connotativè adæquatè identificatur enti connotanti per Assertores illius.

162. Objicitur 5tò. Fundamentum præcisionum formalium inter unum prædicatum, & alterum ipsi adæquatè identificatum est ipsamet entitas relata nunc ad hæc, nunc ad illa connotata. Ergo entitas nunc cum his, nunc cum aliis connotatis. Ergo distincta à seipsa vel realiter inadæquatè vel connotativè. Atqui non realiter inadæquatè; aliàs non esset distinctio rationis, quia hæc esse debet inter adæquatè realiter identificata. Ergo distincta connotativè. Respondeo transeat Antecedens cum suo consequente, mihi utrumq; falsum, ut tradidi in Philosophia. Nego 2dam illationem. Entitas ad diversa quoq; connotata seu terminos realiter relata, à se neq; realiter inadæquatè neq; connotativè distinguitur; eadem adæquatè utraq; respicit, eodemq; sibi adæquatè identificato respectu, quamvis iste respectus, sit diversorum terminorum, qui per suam diversitatem & distinctionem nullam prorsus diversitatem vel distinctionem in tales respectus refundunt.

163. Infertur connotativam distinctionem non esse firmum & consistens sustentaculum possibilitatis connotatorum adversus argumenta illam impugnantium, cùm enim & ipsa nullo solidè probabili fundamento innitatur, & sit pariter impossibilis, sicut & connotatum antonomasticè dictum, tantùm abest, ut aliquod possibilitati connotatorum subsidium adferat, ut etiam ipsius possibilitatem pluribus contradictoriis, & consequenter majori chimericitati involvat.

QUÆSTIO QUARTA

Quid de Connotatis, ut à P. Ayleworth explicatis?

164. AUthor iste in Metaph: Tract: 2. Disp: 6. subtilius aliquid, & suo ingenio dignum in rem connotatisticam est meditatus. Connotatum strictè tale & ipse supponit ibi num: 11. esse id, quod cùm extra rei essentiam sit, ad rei tamen essentiam est requisitum, videturq́;, ut clarè colligitur ex Disputationis progressu & præcipuè argumentorum dissolutione, etiam affirmare, quòd idem requisitum ejusmodi sit, ut illo quoq́; etiam solo sublato res sit peritura, saltem certo modo; scilicet ut *ait* repræsentativè accepta, de quo clariùs infra. Ad hujus rei explicationem.

165. Supponit *imò* tripliciter ex parte

sub-

subjecti objectum exprimi posse. *1mò* in recto seu principaliter, ut animal rationale in hac voce: homo. *2dò* in obliquo, seu minùs principaliter, per modum uniti, seu unius cum subjecto, seu cum recto subjecti, aliquod unum cum illo constituentis, verbo: per modum formæ metaphysicæ vel physicæ vel Logicæ vel moralis unitæ recto subjecti unione identica, vel physica vel morali, vel cujuscunq; demum afficientiæ, quâ forma denominans afficere solet & debet subjectum, quod denominat. Taliter vox: *album* exprimit albedinem. *3tiò* de connotato, seu, adhuc minùs principaliter, quàm quando in obliquo, instar rei necessariò quidem à nobis concipiendæ, cùm rectum & obliquum, seu subjectum & forma denominationis concipitur, sed concipiendæ instar rei non unitæ, separatæ, disparatæ, deniq; per modum puri termini, ut voce: *cæna* concipitur tempus, non tanquam comestioni identicè physicè aut moraliter unitum, sed solummodò quasi purus terminus, quo comestio exercetur, & sine cujus connotatione, seu consignificatione, cæna cognosci non potest.

166. Supponit *2dò* verbum *est* essentialiter esse copulam, seu nexum intentionalem subjecti cum prædicato, eumq; vel identicum, vel unitivum ut jam dixi ex eodem Authore Disp: 1. num. 110. Eadem *inquit* vox: *est*, indicativa est essentiæ, essentia enim desumitur à verbo: *est*, & rei essentia nihil aliud est, quàm rei esse, seu id, quod res est, unde totum, & id tantùm de rei essentia est, quod per copulam: *est*, de re prædicari

potest, prout res ex parte subjecti subest voci, sub qua disquiritur, quid de rei essentia sit? quia essentia rei, à voce: *est*, seu esse desumitur: quidquid autem res est, de re per vocem *est* esse asseritur.

167. Supponit 3tiò nihil de propositionis subjecto, verbo: *est* prædicari posse, nisi quod subjecti recto aliquomodo unitur, unione nimirum vel identica, vel physica, vel morali, quia ad propositionis veritatem requiritur, ut prædicatum subjecto ita conveniat, quemadmodum prædicatione ei convenire asseritur; omnis autem propositio unit intentionaliter suo subjecto, quidquid de illo asserit, *imò* quia verbum: *est*, ideo vocatur copula & nexus, quòd per illam prædicatum subjecto uniatur, & copuletur. 2dò quia aliquid affirmare de subjecto est illud subjecto attribuere, seu asserere illud subjecto convenire, eiq; identicè vel aliquo certè modo inesse &c. Quibus præsuppositis concludit dari connotata strictè talia; & in probationem primam, secundam, ac 3tiam adducit aliqua ex iis, quæ superiori quæstione sunt producta, & soluta.

168. Ex omnibus istis conficitur *imò*: per istum Authorem aut definitivam connotati, aut saltem indicativam illius propositionem hanc esse debere: *quod in conceptu quidditativo rei venit de connotato, seu minùs quàm in obliquo, illud est connotatum rei.* Sed quia, si dixeris: *de connotato*, relinquitur obscurum, quod fuit aliquatenus explicandum; si item dixeris: *minùs, quàm in obliquo*, proferes adhuc aliquid obscurius & Grammaticis

maticis

maticis Philosophisq; ignotum, cùm neq; isti, neq; illi cognoscant casum quempiam nominis, qui neq; rectus sit neq; obliquus, & sit obliquo adhuc minor; hinc clariùs fortè, & nihilominùs ex mente Authoris dices: *illud, quod in conceptu quidditativo rei venit in obliquo per modum puri termini, vel in obliquo disparato, est connotatum rei strictè tale.* Propositionem autem definitivam, vel saltem indicativam constitutivi hanc esse: *illud, quod in conceptu quidditativo rei venit in ipsius recto, vel quamvis in obliquo, tamen per modum uniti cum recto, est constitutivum rei.*

169. Conficitur *2dò* connotatum ab eodem Authore explicatum differre à connotato, quod nostri, ut rigidiores Connotatistæ tuentur, isti enim *imò* omne illud, quod in conceptu rei quidditativo purè in obliquo, quamvis per modum rei illi unitæ, atq; per modum formæ venit, excludunt à constitutione rei, sed referunt ad connotata; mollius quiddam suggerit subtilis iste Author. *2dò* idem Author res logicè & repræsentativè acceptas affirmat expressè constitui etiam illo disparato obliquo, quamvis non constituantur res metaphysicè & verificativè acceptæ. Porro res logicè, repræsentativè, denominativè accepta per illum est totale illud objectum significatum, quodcunq; & quomodocunq; conceptu rei evolutivo de necessitate concipiendum est; jam verò res accepta metaphysicè verificativè, entitativè, est res accepta præcisè secundùm suam essentiam, seu secundum illa, quæ de re in recto vel in obliquo

iden-

identificativè vel unitivè per verbum: *est*, sunt affirmabilia, seu secundùm ea tantùm, quæ cum recto per modum unius concipiuntur. Nostri Connotatistæ plus volunt, quia rem denominativè, imò & verificativè acceptam negant constitui quocũq; significato, quod non venit in recto. *3tiò* quia idem Author affirmat ablato solo connotato manere totam essentiam rei, non tamen eo modo, ut illa possit à nobis concipi cum sufficientia ad quidditativam illius intelligentiam, aut verificationem propositionis, in qua de subjecto res eadem affirmatur. Videtur ergo præcisè velle illud obliquum disparatum esse connotatum, quod Nostri Connotatistæ, & Nos quoq; Logicum appellamus. Jam Nostri Connotatistæ, volunt ad ablationem solius connotati, non manere totam essentiam denominationis, & quidquid manet, quod essentia fuit, sublato connotato ampliùs essentiam pristinæ rei non esse, quod longè imperceptibilius est, & totam ferè Philosophiam invertit. His præmissis

170. Dico *imò* per hanc sententiam rectè explicari connotata Logica, quæ dari nemo dubitat; item connotata physica, ut relationum transcendentalium, & rerum connexarum terminos, quoties concipiendæ sunt à nobis sub formalitate relativa vel connexiva, atq; etiam hæc ipsa dari omnes concedimus, &c.

171. Dico *2dò*. Connotata physica strictè talia etiam taliter explicata, neq; dantur actu, neq; dari possunt. Probatur *imò*. Pari ratione, quâ

quâ ratiocinatur prædictus Author, dici posset quòd Petrus albus ablata sola albedine non desinat esse albus metaphysicè, verificativè, entitativè, sed tantummodò logicè, repræsentativè, denominativè. Quod enim per copulam: *est* unientem & non identificantem repræsentetur albedo in conceptu quidditativo Petri albi, non efficit, ut albedo sit de essentia Petri albi, neq; enim quæ alicui uniuntur etiã physicè, si nõ uniuntur identicè, sunt de illius essentia. Nec obstat, quòd juxta suppositionem illius 2dam essentia dicatur ab esse, seu à significato copulæ *est*, neq; enim omne significatum copulæ: *est*, arguit identitatem illius, quod affirmat, cum eo, de quo affirmat, cùm verbum; *est*, in propositione possit nectere subjectum cum prædicato, *imò* in obliquo. 2*dò* per adjectivum, sive verbum, sive nomen. 3*tiò* etiam per rectum, ut cùm dicitur: *generatio unius est corruptio alterius*, non significando identitatem, sed vel unionem vel concomitantiam, vel quamcunq; habitudinem, cui significandæ vel per Institutores significationis vocum, vel per vulgi aut Philosophorum præscriptionem, est applicata modis explicatis Disp: 1. Quæst: 5. Ergo copula: *est*, inquantum copula, non est illud esse, à quo dicta essentia est, sed ab illo esse, vi cujus (ut ille ipse inquit) res est id, quod identicè est.

172. Probatur 2*do*. Quòd illa, sine quibus relata transcendentaliter vel connexa cognosci non possunt, saltem per nostrum cognoscendi modum sint extra essentiam subjecti, adeoq;

illud

illud ad summum & tantùm repræsentativè, non verò etiam metaphysicè & entitativè sumptum constituant, inde est, quia si intellectus noster omnia rerum talium prædicata essentialia quidditativa, illis adæquatè identificata excutiat, reperiet ex illis aliquod esse, quod juxta suum cognoscendi modum sub propria sua formalitate cognoscere intellectus noster non poterit, quin aliquid aliud prorsus extraessentiale cognoscat. Unde non mirum esset, si tali extraessentiali solo non cognito, illud cognosci ex parte actûs non posset, istud enim fortassis ex nostri intellectûs particulari constitutione provenit: non etiam mirum, si solo illo ablato aut veriùs non repræsentato, res repræsentativè accepta non maneret, aut veriùs ut talis à nostro intellectu non posset attingi, entitativè tamen metaphysicè & verificativè accepta maneret. At vg. in comestione, in Petro, si omnia utriusq; & utriq; adæquatè identificata prædicata excutias, nullum repereris, quod non possit cognosci in comestione sine tempore vespertino, in Petro sine lapide, sine Paulo &c. Ergo si in talibus vg. in comestione, in Petro, repereris deinde aliquod prædicatum post omnia adæquatè identificata excussa, quod non possit ab intellectu cognosci, quin aliquod distinctum à comestione & Petro, ac maximè ut existens, cognoscatur, ut est vg. in aliqua comestione prædicatum: *cænæ*, in Petro prædicatum: *dissimilis lapidi*, *similis Paulo*, quin cognoscatur respectu cænæ tempus vespertinum, respectu dissimilis lapidi lapis, similis Paulo Pau-

lo Pau-

lo Paulus, evidens revera eſt, quòd comeſtioni non ſit adæquatè identificatum eſſe cænam, pariter Petro eſſe ſimilem Paulo, & diſſimilem lapidi. Ergo evidens ſignum eſt, quòd prædicatum: *cænæ*, debeat præterea alicui identificari, nimirum tempori veſpertino, neq; adæquata eſſentia comeſtionis ſit adæquata eſſentia cænæ: pariter Petrum eſſe ſimilem Paulo, diſſimilem lapidi, ſit quædam eſſentia (neq; enim omnino caret omni eſſentia) quæ non eſt præcisè eſſentia Petri adæquata, adeoq; debet ſuæ eſſentiæ habere conſtitutivum aliquod adæquatè diſtinctum ab eſſentia Petri. Ergo ulterius ſublato ſolo tempore veſpertino, ſolo Paulo vel lapide, non tantùm eſſe cænæ, eſſe Petrum ſimilem tolletur ſecundùm eſſe repræſentativum logicum &c. ſed etiam metaphyſicum, entitativum, verificativum; aliàsq; non eſſet ratio, cur comeſtio eſſe cæna, Petrus eſſe ſimilis Paulo, diſſimilis lapidi, non poſſet verè affirmari, etiam non cognito tempore veſpertino, Paulo, vel lapide.

173. Probatur *3tiò*. Quidquid de ſimilitudine Petri cum Paulo ſumpta in abſtracto, eſt affirmabile per copulam: *eſt* identificativè, vel unitivè, illud eſt conſtitutivum, non connotatum prædictæ ſimilitudinis ſumptæ non tantùm repræſentativè, verùm etiam entitativè. Sed Paulus eſt quid affirmabile de ſimilitudine Petri cum Paulo ſumpta in abſtracto per copulam: *eſt*, etiam identificativè, hæc enim ſimilitudo eſt ratio formalis, vi cujus ut Paulus eſt homo, ita Petrus eſt homo; jam autem ratio formalis, vi cujus Paulus eſt homo,

mo,

mo, est ipsum istud hominem esse adæquatè identificatum Paulo, adeoq; ipse Paulus. Ergo Paulus est constitutivum, non connotatum prædictæ similitudinis, sumptæ non tantùm repræsentativè, verùm etiam entitativè.

174. Probatur *4tò*. Independenter à quocunq; demum conceptu Petri, vel Petrus in re est similis Paulo, ablato solo entitativè Paulo, vel non est. Si est. Ergo ablato Paulo Petrus in re & entitativè est adhuc similis Paulo, quamvis ut talis concipi non posset à nobis sublato Paulo, sed cur concipi non posset? Si non est re ipsa similis Paulo in tali casu. Ergo similitudo ipsius etiam in re & entitativè tollitur solo Paulo ablato, alioqui si neq; Petrus tollitur, neq; illius similitudo, & Petrus est, & similitudo quoq; Petri cum Paulo est, atq; Petro inest. Petrus igitur habet, quidquid formaliter & per locum intrinsecum requiritur ad illum esse similem, quid enim in re plus esse potest, Petrum esse similem Paulo? si non est Petrum esse, & similitudinem illius esse, hancq; illi inesse. Huc deniq; faciunt omnia argumenta, quæ contra connotata protulimus, atq; responsio istius Authoris cùm unicissimè consistat in impugnata immediatè ipsius doctrina, quà solà ad omnium objectionum dissolutionem utitur, manent eadem argumenta per hasce probationes confirmata.

QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA

Quid de Sententia Sententiæ Connotatiſticæ & Oppoſitæ Combinatrice?

175. QUidam in Principe & claro Provinciæ Collegio Theologiæ Profeſſor, inter Connotatiſtas, & (ut iſti appellant) Anticonnotatiſtas, in materia de Sacramentis anno ſuperiore extradita, ſe Mediatorem & Combinatorem conſtituit. Sed fortaſſis à Connotatiſtis, non à Noſtris in mediationem vocatus, vel expetitus; parum enim vel nihil diſtat ab illa, multùm ab iſta parte, adeoq; à Medio & Mediatore recedit non parum. Totum illius Tractatum, de hac ipſa materia habere, ut optâſſem, non licuit; licuit habere excerptam ſectionem 9. cui titulus: *combinatio Anticonnotatiſtarum cum Connotatiſtis.* Mitto, in quibus laudabile certè intentum ſuum explicat; utriusq; deinde ſententiæ argumenta refert; ac tandem pro combinatione præmittit.

176. Sciendum inquit *imò*, ac explicat, quòd denominatio alia ſit formalis, alia objectiva, quid hæc? quid illa? quodnam totale objectum denominationis formalis? ex quibus quid ſit probandum, quid ſecùs videatur, legere eſt Diſp: 1. Quæſt: 1.

177. Scien-

177. Sciendum inquit 2dò, quòd in unum idemq; objectum diversimodè, hoc est diversis actibus possit tendere noster intellectus, proinde etiam (res est de actu denominantè) vg. in parietem, unionem & albedinem potest tendere vel æqualiter, vel in unum ex illis principaliter: scilicet attingendo unum in recto, cætera verò attingendo in obliquo. Porro illud dicitur attingi in recto, quod attingitur vel ut subjectum, ut vi hujus tendentiæ possit aliquid de illo affirmari vel negari, vel ut prædicatum, seu ita, ut ipsum possit affirmari vel negari de aliquo. Deinde non explicato quid sit attingi in obliquo, asserit, & probat, quòd rectum & obliquum non detur à parte rei nemine cogitante. Sed *imò*. Non semper per actum significatur principaliter, quod attingitur in recto per terminum denominativum: regulariter forma denominationis attingitur in obliquo, & tamen significatur principaliter, ut patet ex dictis Disp. 1. num. 43. ac insuper ex propositionibus, in quibus de aliquo subjecto affirmatur terminus denominativus, ut in hac: *Petrus est albus*, in qua, & quavis simili, ex ipsa intentione elicientis propositionem, atq; ipsius propositionis natura principaliùs attingitur ex parte prædicati albedo & unio, quàm rectum illius. Nam ex vi propositionis, qui illam elicit, magis intendit significare, quòd Petro albedo inhæreat, quàm quòd Petrus sit Petrus, seu rectum Petri, per hoc enim nihil novi, ultra quod supponitur in subjecto, docetur, neq; ista parte affirmatio

matio

matio doctrinalis, sed purè identica est; istud autem, quòd albedo Petro inhæreat, est id, quod doctrinalius judicat, atq; ad hoc judicandum motivo affirmationis pro priori & indiget & inducitur visu vg. vel testimonio, aut alio quocunq; ut proinde Petrus, & sua secum identitas, materialiter & non adeò pertinenter se habeat, principaliùs & pertinentiùs Petri unio cum albedine. Desiderare quoq; alius posset, quis & qualis sit ille modus & ratio attingendi, ratione cujus possit vel objectivum de aliquo, vel aliquid de illo affirmari vel negari? 2dò. Cùm per Authores modi vg. affirmandi sint plures, per ipsum Aristotelem alius quem vocat *de subjecto*, alius quem *in subjecto*, per Recentiores alius *ut quod*, alius *ut quo*, non quodcunq; ita concipitur, ut possit affirmari vg. de aliquo, concipitur in recto, quia quod affirmatur *ut quo*, non debet omnino concipi in recto; sic & quod prædicatur *ut quod*, sed tantummodo *in subjecto*. Deinde in propositione terminum denominativum accidentalem, vel potiùs objectum illius negante de subjecto vg. *Petrus non est albus*, quamvis præcisè Petrus ponatur in recto ex parte prædicati, quatenus propositio contradicit affirmatiuæ: *Petrus est albus*, non tamen præcisè negatur objectum recti, scilicet de Petro Petrus, alioqui propositio esset necessariò falsa. Negatur itaq; aliquid, quod ponitur in obliquo. Ergo aliquid, quod non attingitur in obliquo, adhuc ita attingitur, ut possit negari de aliquo, neq; tamen ideo attingitur in recto. Quod eti-

am

am initio *sciendi* dicitur, in unum idemq; obje-ctum diversimodè, hoc est diversis actibus posse tendere intellectum, videtur non posse probari, cùm in idem objectum possit & per rectum & per obliquum eodem indivisibili actu tendere intellectus, ut vg. *Petrus idem cum Petro.*

178. Sciendum inquit *3tiò*, quòd denominatio objectiva possit sumi tripliciter; vel concretè, vel materialiter, vel formaliter. Cùm sumitur concretè, tam materia, quàm forma importantur in recto; dum materialiter, materia; dum formaliter, forma vel quasi forma; cætera in obliquo, atq; dum non æqualiter sumuntur, de illis concretum affirmabile non est, nam neq; corpus vg. unitum animæ, neq; anima unita corpori est homo. Addit deinde non esse audiendos, qui merè ad placitum, quia ex nullo prorsus fundamento, confinxerunt sibi regulam quandam Dialecticam, quòd in concretis accidentalibus importetur subjectum in recto, forma in obliquo, nam falsissimè dicitur: *paries habens albedinem est concretum accidentale*, siquidem subjectum non est concretum, neq; substantia est concretum accidentale. Sed paries habens albedinem est subjectum albedinis, est substantia. Ergo paries habens albedinem non est concretum accidentale. In omni concreto tam materia, quàm forma importatur in recto. Sed *imò*. In denominatione objectiva, & intra illam nihil in recto vel in obliquo importatur, cùm ex ipsius Combinatoris sensu neq; rectum neq; obliquum detur in ipsa

re

re & objecto: ista sunt denominationum formalium non objectivarum. 2dò loquendo jam de denominatione formali, seu termino logico denominante, omnis terminus denominans est terminus concretus, ut dictum Disp. 1. num. 30 & seq. Falsum quoq; est, quòd omnis terminus denominativus concretus importet omnes partes denominationis objectivæ in recto: in contrarium est omnium ante Noviores Connotatistas sensus, ut legere est in omnibus impressis seu Philosophorum seu Theologorum libris. Proferatur in contra vel unus, qui tanta generalitate doceat vel docuerit, per omnem terminum concretum, & materiam & formam importari in recto. Neq; Nostris ad oppositum asserendum opus fuit alio fundamento, quantùm ad vocales terminos, ultra uniformem Authorum sensum, qui vel est primævæ institutionis argumentum, vel præscriptionis per Philosophos & Theologos factæ optimus, est interpres. Versamur in re à placito dependente, cui tamen etiam fidei ipsius dogmata se accommodant. Mentales termini in modo suo tendendi vocalibus correspondent. Argumentum Combinatoris in contra factum vel procedit de concreto objectivo & denominatione objectiva; ac concedo, quòd paries habens albedinem ex parte objecti non sit concretum accidentale, quia est tantùm pars & subjectum illius, ac proinde paries (ut etiam Petrus) habens albedinem non constituitur albedine, sed potiùs paries vel Petrus habens albedinem constituit cum albedine

& unione ſuam denominationem, quæ eſt parietem vel Petrum eſſe album. Hoc inquam concedo; ſed nego ſuppoſitum, quòd concretum objectivum vel denominatio objectiva aliquid ex parte ſua importet in recto, vel in obliquo. Vel procedit de termino & denominatione formali iſta: *paries habens albedinem*, atq; dico illam eſſe terminum concretum eumq; accidentalem, ratione rei ſignificatæ ex dictis Diſp. 1. loco citato; idq; ipſum non falſiſſimè ſed veriſſimè dicitur, quòd denominatio formalis hæc: *paries habens albedinem* ſit terminus concretus accidentalis. Quo autem fundamento Adverſarii dicant per omnem terminum formalem concretum, materiam & formam importari in recto, quærimus edoceri, nè fortè ſit, qui dicat regulam hanc, quaſi dialecticam merè ad placitum, quia nullo prorſus fundamento Connotatiſtas ſibi confinxiſſe.

179. In ſciendis *4tò* aſſerit omne concretum conſtitui partibus, ex quibus concreſcit, hinc implicare, ut ſolo ablato connotato, manentibus autem omnibus conſtitutivis concreti, non maneat totum, atq; in hac parte veram *ait* eſſe ſententiam Anticonnotatiſtarum , neq; id negari poſſe à Connotatiſtis, ſed iſti ſuæ doctrinæ tenaces, cùm ex una parte nulla nova ratio adferatur, Noſtris autem convinci ſe non fateantur, ex altera parte, cùm illi ſciant optimè etiam concretis & totis eſſe ſua extrinſeca eſſentialia requiſita, cum quibus illa connectuntur, atq; in hac re nullum ſit diſcrimen inter compoſita & incompoſita, negabunt

gabunt solo ablato connotato perire ita totum, ut ipsius quoq; constitutiua omnia vel saltem unum non pereat. Addit ibidem, quodsi paries albus sumatur denominativè, seu pro eo, quod denominatur album, non constituatur albedine & unione, quas importat in obliquo, quia paries albus non est paries & albedo. Cæterùm scire adhuc ex sciendis vellem: paries habens albedinem ex parte objecti, an ex parte actûs importet albedinem in obliquo? objectivanè denominatio? an verò tantùm denominatio formalis, seu per Combinatorem actus intellectûs illam denominans? Si primum; jam igitur dabitur ex parte objecti & nemine cogitante & rectum & obliquum, contrà quàm didicimus *ex sciendis 2dò*, & denominatio objectiva hæc: *paries habens albedinem* non erit, quidquid attingitur per actum denominantem, contrà quàm *ex sciendis imò* accepimus. Si verò 2dum. Ergo ex parte objecti paries habens albedinem, neq; se in recto, neq; albedinem importat in obliquo: quid igitur conferet, quòd per actum denominantem in recto vel obliquo sumatur, cùm ad hoc, ut paries ex parte objecti sit albus & albedinem habens, nihil conferat, quòd per actum denominantem attingatur aliud in recto, aliud in obliquo, adeoq; cùm in hoc ipso, quòd à parte rei sit albus, habens albedinem, non dependeat ullo modo ab actu formali denominante, neq; illum simpliciter requirat, & multominùs essentialiter. Cùm deinde *ex sciendis 2dò* edocti simus per rectum & obliquum res ipsas in se non

immutari, fortassis à parte rei parietem album esse, nihil importando in recto vel obliquo, & parietem, & albedinem & unionem esse, & consequenter concretum ex illis esse. Etiam istud scimus, quòd paries, qui denominatur, neq; sit albedo, neq; unio; sed per hoc nondum scimus, quòd paries sit albus. Sicut etiam concretum *ex*, scimus non esse albedinem, non unionem, non parietem, omnes enim istæ propositiones: *concretum ex &c. est paries, concretum ex &c. est albedo, concretum ex &c. est unio,* sunt falsæ, unde consequenter ratio quâ probatur, quòd paries habens albedinem non constituatur albedine, scilicet quia non est albedo, nihil infert, nã & concretũ ex albedine non est albedo, neq; tamen rectè intuleris: Ergo nõ constituitur per albedinem: ex quo adhuc patet, non idem esse constitui per aliquid, ac illud esse. His ad præscientiam præmissis, ad combinationem acceditur.

180. *Prima combinatio.* Utraq; sententia verum dicit. Dicunt Connotatistæ verum, dum asserunt, quòd paries albus sumptus denominativè non constituatur albedine, nec Anticonnotatistæ videntur huic contrariari, siquidem nihil prætendunt, nisi quòd paries albus sumptus concretè constituatur pariete & albedine, quod utiq; Connotatistæ non negant. Ergo utraq; sententia verum dicit, sed in alio sensu. *Contra est.* Res non ita est, ut esse supponitur. Nam Connotatistæ loquuntur vg. de pariete albo sumpto materialiter quidem, sed non purè, verùm simul denominativè. Si loquerentur de illo purè materia-

teria-

terialiter ſumpto, verum dicerent, quòd non conſtituatur albedine, neq; quantùm ad hoc contrariamur. Sed iſtud verùm, eſt extra ſtatum Quæſtionis; plus illi volunt, paries enim purè materialiter ſumptus, ablata ſola albedine nullatenus perit: eſt præcisè entitas parietis, tam bene in ſe conſiſtens cum albedine, quàm ſine illa. Igitur loqui debent de materialiter & ſimul denominativè accepto, ſeu ut habente denominationem, ut denominato, ſeu de pariete & ſimul ipſius denominatione in eſſe albi. Vel igitur per parietem album purè materialiter ſumptum, idem intelligitur, quod per ſumptum materialiter denominativè, vel aliquid per hunc aut iſtum plus vel minùs. Si omnino idem. Ergo ſicut paries præcisè materialiter, & præcisè ſecundùm ſe & ſuam entitatem non tollitur ablata albedine, etiam materialiter denominativè ſumptus non tolletur. Si verò non omnino idem. Ergo aliquid plus vel minus alterutro modo ſumptus eſt, vel ſaltem, ut illi loquuntur, dicit. Noſtri quoq; non loquuntur de Petro albo denominativè concretè ſumpto, quaſi verò vel de illo taliter ſumpto quæſtionem inſtituant, aut concludant, ſed loquuntur de pariete albo materialiter quidem & denominativè accepto, & in ſtatu quæſtionis, & in ipſa illius reſolutione præſcindendo, quòd ita acceptus ſit aut non ſit ex parte objecti concretum, atq; deinde poſtquam argumentis evincunt parietem album materialiter denominativè acceptum, non ſolo pariete, ſed etiam albedine debere conſtitui, infe-

runt parietem materialiter denominativè acceptum, tandem ex parte objecti esse debere concretum ex pariete, unione, albedine, req; ista ut evicta, vel ut ipsis videtur, longè verisimiliùs probata, tum deinde ad refutandas objectiones Connotatistarum utuntur. Vide dicta Disp. 1. à num. 117. & hic num. 79.

181. *Secunda combinatio* consistit in hoc ut utraq; sententia aliquid alteri concedat. Anticonnotatistæ, *inquit* concedan Connotatistis, quòd ablata sola albedine non sit paries denominativè albus, seu habens albedinem, quin tamen per hoc paries albus constituatur albedine, adeoq; illud solenne suum principium: *Quo solo &c.* restringant ad rem talem, quæ est quidem totum complexum concretum, implicat enim ut ablato solo connotato totius, manentibus omnibus partibus totius, non maneat totum concretum complexum, non autem dictum principium procedat de talibus entitatibus, quæ ad ablationem unius alicujus entitatis debeant perire. Nam ad ablationem unius & solius Dei perit vg. Angelus aut anima rationalis, quia ad hoc ut pereat vg. Angelus vel anima rationalis, nihil plus debet auferri, nisi DEUS, non quidem in tali suppositione, quasi ablato solo DEO & manente Angelo pereat Angelus; nec in tali, quasi ablato solo DEO & Angelo pereat Angelus, siquidem etiam ablatis lapide & Angelo perit Angelus, nec tamen ad ablationem lapidis perit Angelus, sed in tali suppositione, quòd ablationem solius DEI conse-

qua-

quatur ablatio Angeli, ita, ut manentibus aliis adæquatè distinctis à DEO & Angelo, si pereat DEUS, debeat perire & Angelus, adeoq; tunc ad ablationem solius DEI tanquam connotati extrinseci pereat Angelus. E contra *inquit* philosophandum est de toto, scilicet quòd ad ablationem solius composito extrinseci, si supponantur omnia cætera constitutiva distincta adæquatè à connotato manere, implicat, ut pereat totum, sed sicut in re indivisibili ad ablationem solius connotati extrinseci consequenter quidem perit res, ita tamen, ut falsum sit, quòd protunc pereat solum connotatum, siquidem cum connotato perit res, ita in re divisibili vel toto, ad ablationem solius connotati extrinseci, vel pereant omnia constitutiva illius, si omnia sint connexa cum prædicto connotato, vel pereat unum saltem ex illis, quod est connexum. Hæcq; doctrina procedit de illis connotatis, quæ sunt termini essentialis connexionis, ita, ut ablato tali connotato pereat è rerum natura res dicens connexionem essentialem cum illo. Nam in denominationibus ablato illo solo, à quo provenit denominatio, non perit ipsa res denominata, sed nonnisi illa res, quæ antea denominabatur talis, non denominatur ampliùs talis, quia deest id, à quo res illa accipiat denominationem. Sic ablata sola albedine non perit paries, qui denominabatur albus, sed jam ampliùs non denominatur albus.

182. Noviores Connotatistæ habent, ob quod pergrati Combinatori vivant, cùm certè

tè præsenti combinatione modum illis sua tuendi suggerat, aut magis rememoret, utpote & à P. Suarez jam insinuatum ad finem suæ in Metaph: Disputationis de relatione, & ab illorum Majoribus sanctè servatum in illis terminis: *perit quoad denominationem, non perit quoad rem*. Modus enim loquendi, quo utuntur, & asserunt ablata sola albedine perire parietem album, perimit præcipuum & ferè solùm, illorum principium: *ad veritatem propositionis affirmativæ &c.* quia sola ablata albedine, si verum est quòd paries albus tollatur, debet paries adæquatè identificari cum re, quæ tollitur, & est verum rei, quæ tollitur, rectum. Atqui sola albedo, sola ablata albedine perit. Ergo paries, qui sola ablata albedine perit, debet esse rectum adæquatè identificatum albedini, cùm autem non sit, & propositio illa affirmativa per illos vera sit, consequens est ut ad illius veritatem non requiratur adæquata identitas recti subjecti cum recto prædicati. Jam iste modus, qui per combinationem suggeritur, quamvis in re idem præstet, non tamen saltem adeo clarè præstat.

183. Nos Anticonnotatistæ, ut vocamur, nec tantillum debemus combinationi. Principium illud: *Quo solo &c.* non inducimur, ut alio sensu, quàm quo hactenus, usurpemus. Idem nobis est: *Quo solo ex omnibus adæquatè ab illo distinctis ablato &c.* atq; *quo ex omnibus adæquatè distinctis ablato, & omnibus adæquatè ab illo distinctis manentibus, &c.* in eodem sensu illud conservatum

vatum volumus, cum addita explicatione, de qua ſuo loco, idq; æquè in connexis, atq; non connexis, reſpectu rei, de cujus conſtitutione inquiritur, eodemq; ſenſu ly *ſolo ablato* ſumere Connotatiſtæ debent, ut aliàs dictum. Hæc una & ſola vera ac Dialecticè recta expoſitio eſt, quam à nobis combinatio deſertam vellet gratuitò, cùm nulla ad id ratione allata nos compellat, vel ſaltem invitet.

184. Senſus excluſivæ: *Quo ſolo &c.* quem prætendit & obtrudit combinatio, eſt affectatus, arbitrarius, ac inſubſiſtens. *imò* quia illo ſtante non poſſet probari connexionem vg. Angeli cum DEO, non eſſe DEO conſtitutam, atq; connexionem Angeli cum DEO, non eſſe verè in recto affirmabilem de DEO, cùm enim ex illorum ſenſu, ablato ſolo DEO pereat Angelus, conſequenter pereat Angeli connexio cum DEO, quæ ratio illis ſupererit probandi, quòd connexio Angeli cum DEO, etiam ipſo DEO non conſtituatur? Noſtro autem ſenſu ſubſiſtente, adhuc ratio probandi ſubſiſtit, quia etiam ablato ſolo DEO, in manente Angelo datur dependentia eſſentialis à DEO, & quodammodo exigentia eſſentialis exiſtentiæ Divinæ, quia totum, quidquid requiritur ad iſtam exiſtentiam, manet cum entitate, & in entitate Angeli manentis, ſicut manet tota exiſtentia frigoris in aqua, etiam cùm frigore ſpoliatur.

185. Non ſubſiſtit 2*dò*. In connexis ut conſequatur ablatio illorum ex ablatione ſui termi-

termini, neq; debet, neq; rationabiliter poteſt ſupponi, quòd ſolus auferatur terminus connexionis, quia oppoſitum ſatiùs ſupponi debet, ſcilicet quòd non poſſit auferri terminus connexionis ſolus, ſeu non poteſt auferri terminus connexionis quin ipſa quoq; res connexa intereat. Niſi hoc ſupponatur ex ablatione termini connexionis, nulla eſt illatio ad ablationem rei connexæ.

186. Non ſubſiſtit *3tiò*, quia ſtante eodem ſenſu non poſſet efficaciter probari connexio Angeli cum DEO, quòd enim ablatis Deo & Angelo, omnibus autem aliis adæquatè diſtinctis manentibus pereat Angelus, tam non indicat connexionem Angeli cum DEO, quàm non indicat ſimilis ſuppoſitio vg. Angelo & lapide ſublatis, cæteris verò omnibus manentibus, Angelum connecti cum lapide, vel cum binario ex Angelo & lapide. Ad hoc colligendum, quòd ex DEI ablatione ſequatur perire Angelum, planè impertinentiſſimè ſe habet, quòd omnia adæquatè diſtincta ab Angelo & DEO maneant; ſive cætera maneant, ſive non, dum pereat DEUS, perit Angelus, ſi tum ſupponitur DEUS ita ſolus perire, ut nihil ab illo & Angelo adæquatè diſtinctum intereat.

187. Non ſubſiſtit *4tò*, quia videtur non bonâ conſequentiâ ſuppoſitio combinari, ſupponitur enim, quòd DEO & Angelo ſublatis, cæteris autem adæquatiſſimè diſtinctis manentibus &c. quæ verò illa, ablatis DEO & Angelo poſſent ſalvâ ſuppoſitionis conſequentiâ manere diſtincta à DEO & Angelo? non poſſunt certè cogi-

cogitari alia, quàm reliquæ creaturæ. Quodsi per Combinatorem non potest supponi, ablato solo DEO Angelum manere vel non perire, non potest consequenter supponi, ablato solo Deo alia adæquatè distincta, scilicet alias creaturas manere, solo enim sublato DEO, si necesse est tolli Angelum, necesse est tolli & omnem aliam creaturam, cùm minimùm pariter ac Angelus, aliæ quoq; creaturæ essentialiter connectantur cum DEO. Quod dicitur: *ad hoc, ut pereat Angelus, nihil plus auferri debet, nisi DEUS,* ut simpliciter profertur, falsum est; certè enim requiritur essentialiter etiam carentia formalis ipsius Angeli, in quocunq; demum consistat. Quodsi sensus asserti est: *ad hoc, ut sequatur per locum extrinsecum perire Angelum, nihil plus auferri debet, nisi DEUS,* equidem adhuc, si actio creativa Angeli ab illo distinguitur, falsum esset; sed verum esto: istud non significat plus, quàm eo ipso, quòd auferatur Deus, Angelum quoq; ex consequenti periturum. At optimè advertit acutissimus Ulloa in Logica Majore Disp. 4. eo ipso deficere A. quòd deficiat B. non esse solo deficiente B. deficere A. quia termino huic: *eo ipso* satisfit per connexionem. Nimirum primum significat in illo, ex cujus ablatione, eo ipso sequitur ablatio alterius, habere adæquatam in se sufficientiam ad inferendam alterius negationem, adeoq; non indigere quantùm ad hoc, alio adventitio supplemento. Jam solo ablato ex duobus uno, significat illud, quod tollitur non esse adæquatè distinctum ab eo, quod solum auferri

ferri

ferri supponitur. Ad ablationem solius DEI consequi ablationem Angeli, non est ablato solo Deo tolli Angelum, sed est solum esse DEUM, ad cujus ablationem sequitur auferri Angelum, quod quidem falsum est, si actio creativa Angeli ab illo distinguitur, & datur modalitas completiva volitionis DEI liberæ, quâ efficaciter vult creare Angelum. Ipse quoq; binarius ex DEO & Angelo habet, ut illo ablato, sequatur auferri & Angelum, qui binarius si potest dici connotatum semiextrinsecum Angelo, ut volunt Connotatistæ, non erit ratio, cur non possit dici etiam terminus connexionis Angelo connexo semiextrinsecę.

188. *Tertia combinatio* reponitur in eo, ut Connotatistæ etiam concedant aliquid Anticonnotatistis, nempe quòd ad ablationem albedinis, non solùm pereat denominatio objectiva parietis albi, sed etiam, quòd albedo constituat denominationem objectivam albi, saltem latiùs sumptam, hoc est sumptam pro toto illo objecto, quod attingitur à denominatione formali, clarum enim est, quòd totum illud objectum constituatur omnibus illis, quæcunq; attinguntur à denominatione formali, cùm etiam illa per eam denominationem formalem attingantur. Ad quod Connotatistis persuadendum, aliqua deinde subjungit, quæ nos non concernunt. Cæterùm combinatio ejusmodi nihil præstat, quia istud neq; Connotatistæ unquam negant, aut negârunt, neq; qui illis adversantur eò præcisè tendunt, ut objectum totale, quod quomodocunq; attingitur, per terminum formalem deno-

denominantem, constituatur taliter attactis, cùm per se clarum sit tale objectum interdum esse & continere plus quàm denominationem objectivam, & ipsum plus ultra illam contentum, non quodlibet esse requisitum essentiale physicum, sed multa purè logica.

189. Posita triplici illa combinatione, tum deinde confert se ad solvenda argumenta pro nostra sententia adduci solita. Sed si se Combinatorem constituit, cur non & Connotatistarum argumenta dissolvit? Videamus etiam, qua ratione dissolvat? Ad argumenta ex illo principio: *Quo solo &c.* respondet *imò* retorquendo. Ablatis solis unibilibus aufertur unio in ratione actu unientis: ablata sola, & unicissima parte auferuntur reliquæ partes in ratione partium: ablato solo effectu perit ratio causæ producentis: ablatâ solâ formâ perit ratio subjecti. Respondeo *Ad 1mum.* Unio ex parte sua etiam tum unit actu unibilia, hæc autem ex parte sua actu non uniuntur ob incapacitatem unionis ejusmodi ex defectu existentiæ, quam natura denominationis requirit supposita connexione essentiali unionis cum unibilibus. *Ad 2dum.* Concedo ablata sola parte una reliquas tolli in ratione partium actualium, hoc est tolli formam, quæ illis conferat istam denominationem constitutivam ejusdem denominationis. *Ad 3tium* dicendum est idem, quod dicetur ad sequentem retorsionis instantiam. *Ad 4tum.* (quod suppono procedere de subjecto actuali, alioqui retorsio nullam vim etiam in speciem habet) nego assumptum

ptum retorſionis, vel enim per ſubjectum actuale intelligitur ſubjectum formam actu ſuſtentans, ſeu in illam paſſivè influens, vel intelligitur ſubjectum unitum formæ. Porro tam ablatâ ſolâ formâ, manente conſequenter entitate ſubjecti & influxu paſſivo in formam, ſubjectum eſt actu ſuſtentans formam, quàm ablatâ ſolâ formâ ſubjectum eſt unitum formæ, quia habet omnia utriusq; denominationis etiam concretè ſumptæ conſtitutiva.

190. Dices. Quomodo ſubjectum ſuſtentat formam, ſi hæc non exiſtit? quomodo unitur formæ, quæ non eſt? Reſpondeo in ſuppoſitione impoſſibili modum quæri non debere, ſupponitur enim quòd nullo modo fieri poteſt per omnem poſſibilem ſuppoſitionem, tamen fieri per impoſſibilem: hypotheticè ſcilicet, ſi quod impoſſibile eſt, fieret, ut forma tolleretur, ſubjectum autem cum ſuſtentatione illius maneret, ſubjectum tunc ſuſtentat, forma non ſuſtentatur, ſubjectum formæ unitur, forma non unitur ob defectum conſtitutivi conſtituentis hoc concretum: *ſuſtentata, unita forma*, quod tamen concretum ex naturâ ſuæ denominationis conſtitutivè requirit exiſtentiam formæ. Idem de cauſa manente cum actione, ſublato ſolo effectu.

191. Dices denominationes iſtas eſſentialiter eſſe mutuas, idem enim eſt, quòd ſubjectum ſuſtentet formam, illi ſe uniat, cauſa producat effectum, ac quòd forma ſuſtentetur à ſubjecto, uniatur ſubjecto, effectus producatur à cauſa,

ſa, ſiquidem mera locutione activa & paſſiva hæc differunt. Reſpondeo eſſe mutuas; ſed conſervato in utraq; locutione eodem ſenſu, in hoc enim caſu, ſicut verum eſt, quòd ſubjectum, quantùm eſt ex parte ſua actu ſuſtentet, actu uniatur formæ, cauſa quantùm ex parte ſua actu producat effectum, ita etiam forma, quantùm ex parte ſubjecti actu ſuſtentetur, uniatur, effectus quantùm ex parte cauſæ actu producatur, non tamen ex parte ſua forma ſuſtentetur, uniatur ſubjecto, effectus ex parte ſua producatur. Unde principium petitum ex locutione activa & paſſiva ſalvatur, quamvis à Connotatiſtis acceptabile non ſit, nè fortè Petrus habens equũ ſit equus habitus à Petro.

192. Reſpondet 2dò directè, principium illud: *quo ſolo &c.* valere quidem in complexis & concretis, non tamen in connexis, quia per particulam excluſivam: *ſolo* applicatam termino connexionis, non excluditur res connexa, hæc enim ablato ſolo termino perit: non valere item in denominatis, in his enim ablato ſolo, à quo provenit denominatio, non perit res denominata, ſed tantùm non denominatur. Et hæc quidem in illa ſectione aſſeruntur, non probantur; an alibi probentur, haud ſcio. Contra eſt *imò*, quia quæcunq; ratio evincit, quòd illud principium valeat in concretis vel complexis, etiam evincit in connexis & denominatis, nulla enim eſt ratio diſcriminis, vel oſtendatur; imò ratio eſt paritatis, quia particula excluſiva in omnibus illimitatis vel eodem modo limitatis eandem for-

mam

mam expoſitionis habere debet ut dictum Diſp. 2, in Controverſia Dialectica. Si dixerit, diſparitatem eſſe, quia pars concreti infertur in recto illius, non item forma in recto denominati, terminus connexionis in recto rei connexæ; diſparitas nulla erit, quia per hanc reſponſionem non oſtenditur valere illud principium in concretis & complexis, ſed ex alio principio ponitur partem eſſe conſtitutivam complexi, quia ſcilicet ponitur in recto totius, & de illo eſt verè affirmabilis in recto, ſaltem cum alio. Contra *2dò*, quia quòd res ponatur in recto, quòd affirmetur in recto, eſt id prorſus extrinſecum rei, cum quo extrinſeco res non connectitur. Certè de quo verè affirmabile eſt, quòd conſtituatur entitate A. illius conſtitutivum eſt entitas A. quamvis per talem affirmationem de ſuo conſtituto non affirmetur in recto. Contra *3tiò*, quia etiam ablata ſola una parte pariter dici poſſet, totum quidem non perire, ſed non denominari totum, quia aliqua parte formæ denominantis caret eſſentialiter requiſita ad denominandum, bovem vg. cùm anima ipſius interit, manere quidem, ſed tantùm non denominari animatum. Contra *4tò*. Sicut per Combinatorem implicat non manere totum, ſi omnia conſtitutiva dentur, ſolo ablato connotato, ita implicat rem non denominari, ſi dentur omnia conſtitutiva & rei denominatæ, & rei per ly: *denominatur* ſignificatæ, quidquid demum in re ſit iſta res, omnia enim rei conſtitutiva, vel univerſaliùs adæquatum rei conſtitutivum eſſe,

&

& rem non esse, non repugnat præcisè ex eo, quòd res sit aliquod complexum, vel concretum, sed ex universalissimo principio communi concretis & inconcretis, complexis & incomplexis, connexis & inconnexis, denominatis & non denominatis, scilicet ex eo, quod implicet quamcunq; demum rem non esse, si & cùm adæquata illius essentia est. Atqui sola ablata albedine dantur omnia constitutiva, & rei denominatæ, & rei per ly: *denominatur* significatæ, nullum enim constitutivum avulsum est. Ergo ablata sola albedine & res denominata datur, & denominatur.

193. Dicet: ablata sola albedine non denominari album, quia res quidem, quæ denominabatur est, sed forma, quæ dabat denominationem, non est. Contra est *imò*. Ergo etiam ablato solo subjecto, quod denominabatur, illud quidem non est, adhuc tamen denominatio illius est, quia forma, quæ dabat denominationem, adhuc est, & tantùm subjectum, quod accipiat denominationem non est. Contrà 2*dò*. Sit ita: quia forma non est, quamvis omnia alia ad denominationem requisita permaneant, res nõ denominatur. Ergo aliquid ipsi deest, quod est totalis vel partialis essentia rei istius: *denominatur*, si enim adæquata esſẽtia rei istius est, etiam res ipsa ista, quam significas, per ly *denominatur*, est. Atqui hoc, quod non est, est albedo. Ergo illa est totalis vel partialis essentia rei istius: *denominatur* Atqui per ly *denominatur* significatur denominatio materialiter sumpta, ut volunt Connotatistæ, & Combina-

binator. Ergo denominationis etiam materialiter ſumptæ, albedo vel totalis vel partialis eſſentia eſt. Contrà 3tiò. Iſtius conceptûs: *denominatur*, aut vocis, eſt aliquod ſignificatum & objectum, non enim eſt mera vox & nihil ſignificans. Ergo debet eſſe aliquod iſtius rei ſignificatæ conſtitutivum; quod cùm neq; ſit forma, neq; unio, debet eſſe res denominata. Hæc itaq; vel eſt adæquatum, vel inadæquatum conſtitutivum rei ſignificatæ per ly *denominatum*? Si eſt adæquatum. Ergo ablata albedine & res ipſa denominata datur, & ipſum illius objectivum denominari datur, quia & rei denominatæ, & ipſius ly: *actu denominatur*, tota eſſentia datur. Ergo res denominata & eſt, & denominatur. Si verò eſt conſtitutivum inadæquatum. Ergo præter illam rem denominatam eſt aliud conſtitutivum inadæquatum; quod certè non aliud erit præter formam. Contrà 4tò. Cùm forma, vg. albedo acceſſit parieti, jam in antè quoad ſuum ſubſtantiale ac artificiale eſſe conſtituto, albedo dedit illi denominationem, prædicatum ſcilicet parieti adæquatè identificatum, quod antè non habuit (quis terminorum utcunq; intelligens hæc non rideat?) ideo enim deinde ablata albedine paries non habet denominationem per Combinatorem, quia ablata eſt forma, quæ illi det denominationem, illam ſcilicet quam ipſi aliàs adæquatè identificaverat. Si Petrus det ſemel Paulo pecuniam, quamvis eam ipſi dando, eam illi non identificaverit, ſed præciſè in manu & poſſeſſione illius repoſuit, quamvis deinceps Petrus in-

tereat

tereat, neq; ſit, qui illi det pecuniam, illam tamen retinet Paulus ſemel acceptam. Quidni forma pereunte retineat paries denominationem, quæ illi ita data à forma eſt, ut in rem illi adæquatè identificatam, in illius ipſius parietis eſſe, eſſentiamq; tranſierit? an fortè manus eſſe tenacior apprehenſæ pecuniæ poteſt, quàm res rei ſibi adæquatè identificatæ? Contrà 5tò. Accipere, habere denominationem, denominari à forma adæquatè identificatum fuit parieti exiſtente albedine, dare denominationem parieti adæquatè fuit identificatum albedini. Ergo & 1mum & 2dum fuit identificatum entibus à ſe mutuò realiter ſeparabilibus; 1mum parieti, 2dum albedini. Ergo & ipſum 1mum & 2dum ſunt mutuò ſeparabilia realiter, identificata enim adæquatè ſeparabilibus à ſe realiter, & ipſa ſunt à ſe realiter ſeparabilia. Ergo ablato ſolo dante denominationem poteſt manere actu accipiens, habens denominationem, & non tantùm in ante, ſed etiam nunc, & perſtans eſſe præſenter denominatum vg. album, quamvis auferatur, & non maneat dans denominationem. Vide dicta hic ſuprà à num: 47.

194. Reſpondet adhuc 3tiò ablata ſola albedine tolli fundamentum & meritum objectivum ad dandam rei cum veritate denominationem formalem, per terminum formalem denominativum. *Contra eſt*: iſtud fundamentum objectivum non tollitur ſola ablata albedine, quia hac ſola ablata, manet tota eſſentia & omnia conſtitutiva fundamenti iſtius objectivi. Vel ſi non ma-

nent omnia. Ergo ablatum aliquod constitutivū est. Atqui sola ablata albedine, nihil est ablatum, præter ipsam albedinem, quod sit adæquatè ab illa distinctum. Ergo illa istius fundamenti adæquatum vel inadæquatum constitutivum est. Præterea istud fundamentum & meritum objectivum, vel est distinctum realiter à denominatione objectiva, vel non. Si est indistinctum: Ergo omnia argumenta, quibus probatum est, Quæst: 1. denominationem non constitui adæquatè subjecto, adeoq; constitui inadæquatè formâ, probant etiam hoc fundamentum & meritum constitui formâ. Si verò distinguitur adæquatè realiter à denominatione, *imò* quo id ipsum fundamento? *2dò.* Ergo solo ablato isto fundamento objectivo, manebit denominatio objectiva, vel hac ablata manebit fundamentum, adeoq; quamvis subjectum denominatione objectiva carebit, adhuc manebit fundamentum objectivum ad dandam illi cum veritate denominationem formalem, adeoq; ablata denominatione Petri albi, & ablata sola albedine, Petrus erit albus, idq; etiam sine connotato. Adde, quòd per tale fundamentum res explicare, & ad argumenta reponere, sit mera vocabula multiplicare, quid enim potest rationabiliter intelligi per istud fundamentum objectivum in præsenti, nisi res ipsa denominationis? sicut per fundamentum objectivum, vi cujus aliquid verè per formalem denominationem appellari possit esse homo, non potest aliud intelligi, quàm ipsemet homo. Quodsi fortè per fundamentum velis intelligere

mo-

motivum objectivum; iterum per motivum objectivum, vel intelliges identicum ipsi terminativo, & simul verificativo, atq; ita albedo erit quid identicum isti denominationi, adquam affirmandam, verè potest intellectum movere; vel dices, extrinsecum, & non identicum, atq; sic argumenta insoluta relinques.

195. Ad fundamentum petitum ex implicantia, ut manentibus omnibus constitutivis res non maneat, respondet acceptando responsiones Connotatistarum negantium, quòd in illorum sententia, manentibus omnibus suis constitutivis maneat res. Vel enim connotatum est terminus connexionis respectu rei, & sic aut omnia constitutiva illo solo ablato intereunt, aut saltem aliquod; vel non est terminus connexionis, & sic res quidem manet, sed non denominatur. Responsio nihil addit ultra superiùs dicta in utraq; parte, adeoq; iisdem est argumentis contra illam, quibus paulò antè, instandum. Addo juxta doctrinam respondentis præmissam in *sciendo 4tò* implicat, ut ablato solo connotato, manentibus omnibus partibus totius & omnibus constitutivis vel omnibus illis, ex quibus concrescit, non maneat totum; & in hoc, *inquit*, sensu vera est sententia Anticonnotatistarum, neq; oppositum huic poterunt dicere Connotatistæ. Ergo etiam implicat, ut solo ablato connotato cujuscunq; alterius rei, manentibus autem omnibus constitutivis rei, res hæc non maneat: ex quacunq; enim ratione Antecedens & Anticonnotatistis est verum, & Connotati-

notatistis innegabale, ex eadem ratione Consequens quoq; & illis est verum, & istis est innegabile. Ergo ablato solo termino connexionis, manentibus omnibus constitutivis rei connexæ, implicat ut res ista non maneat, ac manente constitutivo adæquato, vel omnibus constitutivis rei istius, quæ est actu denominari, manet actu denominari.

196. Ad argumentum petitum ex eo: *quòd semel est adæquatè identificatum rei, semper illi identificatum esse permanet, quamdiu illa manet*, respondet, quòd paries albus, quod habet prædicatum sibi adæquatè identificatum, illud etiam habet tunc, dum non est albus. *Contrà est.* Paries cùm & quamdiu est albus, habet hoc prædicatum, quòd sit albus, sibi adæquatè identificatum. Ergo etiam tunc, cùm non est albus, habet idem prædicatum sibi adæquatè identificatum, quòd sit albus. Ergo etiam tunc, cùm non est albus, est albus. Respondet hoc prædicatum: *paries albus*, seu id, quod habet hanc denominationem, identificari adæquatè parieti albo, non tamen illi identificari adæquatè, quod dat hanc denominationem: *paries albus*. Cæterùm non contenditur argumento, an istud, quod parieti dat denominationem hanc: *albus*, identificetur adæquatè parieti, sed an quod est parietem esse albũ, actu objectivè denominari album, sit adæquatè identificatum parieti? Ergo quia ablata albedine manent omnia prædicata adæquatè identificata parieti ante ablatam albedinem, manet etiam hoc

præ-

prædicatum, quod eſt non tantùm eſſe id, quod fuit album, quod denominabatur album, ſed etiam eſſe id, quod actu eſt album, & actu denominatur album, & actu habet formam denominantem, ac ab illa accipit denominationem actu, hæc enim omnia prædicata erant ante ablatam albedinem adæquatè identificata parieti.

197. Ad illud argumentum Noſtris familiare: *paries albus vel eſt quid plus ultra parietē, vel nihil. Si nihil. Ergo quandocunq; datur paries, eſt albus. Si plus. Ergo hoc plus eſt albedo, & paries albus illâ conſtituitur.* reſpondet, quòd paries albus, ſeu id, quod habet hanc denominationem, non eſt aliquid plus ultra parietem, ſed eſt ipſe paries, non tamen quandocunq; dabitur paries, habebit hanc denominationem, quia paries albus non eſt id, quod dat hanc denominationem, & quod eſt plus ultra parietem. *Contrà eſt.* Iterum non contendit argumentum, an paries ſit quid plus ultra parietem, qui denominabatur, neq; de eo, quod illi dat hanc denominationem, ſeu de albedine, utrum ſit quid plus quàm paries, ſed quæritur de pariete denominato albo, ſeu qui actu denominatur, eſtq; re ipſa albus. Hoc igitur: *paries actu albus, actu denominatur albus*, ex parte objecti ſumptum, vel eſt quid plus, quàm paries, vel non eſt? Si non eſt. Ergo ſicut paries non tantùm habuit hoc, quòd fuerit paries ante ablatam albedinem, ſed etiam quòd fuerit albus, & conveniebat ipſi, quòd ſit albus, & denominatur albus, ita etiam poſt ablatam albedinem non tantùm eſt paries, non tantùm eſt id, quod denominabatur albu

albus, quod fuit albus, sed etiam est paries, est actu albus, actu denominatur albus. Si verò est quid plus. Ergo hoc esse debet forma, quæ dat istam denominationem non extrinsecè, sed intrinsecè, dando se in entitatem istius rei, non quæ est parietem esse, sed quæ est actu esse album, & actu denominari album.

198. Connititur idem Combinator, argumenta Connotatistarum reddere de suo vel fortiora, vel saltem argutiora, atq; arguit *imò*. Negatis connotatis de una realiter entitate verificarentur prædicata contradictoria, vg. de anima rationali unita corpori verificatur, tum quòd sit homo, tum quòd non sit homo. Verificatur 1mum, ut Anticonnotatistæ, *inquit*, fatentur, & tali deducitur syllogismo. Quod constituitur anima rationali, corpore, & unione, est homo. Sed anima rationalis unita corpori constituitur anima, corpore, & unione. Ergo anima unita corpori est homo; & similiter corpus unitum eidem animæ est homo, ac rursus unio, uniens corpus, & animā, est homo. Quo posito sic ulterius arguit. Anima rationalis unita corpori est homo. Ergo viceversa homo est anima unita corpori. Subsumit. Sed corpus unitum animæ est homo. Ergo corpus unitum animæ est anima unita corpori. Ex quo syllogismo patet, *inquit*, evidenter falsum esse, quòd anima unita corpori non sit homo. Verificatur quoq; 2dum, quia id deducitur *inquit*, hoc syllogismo in Cesare. Homo non est indivisibilis, non est spiritus, est quid compositum. Atqui ani-

ma

ma rationalis unita corpori, eſt indiviſibilis, eſt ſpiritus, non eſt quid compoſitum. Ergo anima rationalis unita corpori non eſt homo. Idem confirmat ita. Si anima rationalis unita corpori eſſet homo, etiam verum eſſe deberet, quòd Perſona Verbi unita humanitati ſit Chriſtus, quod tamen eſt falſum, quia ſicut Chriſtus eſt homo, & quoddam compoſitum ex natura humana, & Perſonalitate Verbi, ita Perſona Verbi eſſet homo, eſſet compoſita ex natura humana, & perſonalitate, & ſicut verùm eſt, quòd Perſona unita humanitati eſt DEUS, & non eſt identicè homo, ita &c.

199. Reſpondeo nego ſuum aſſumptũ, cum ſua inſtantia, neq; ex Anticonnotatiſtis ullum eſſe ſcio, qui fateatur, vel aliquando ſit faſſus, quòd anima rationalis unita corpori ſit homo, niſi fortè hæc aliquando faſſus eſt ipſe opponens, quando unus ex Anticonnotatiſtis fuit, ut fuit: iſtud ſatiùs & ad ſua dogmata conſequentiùs admittere Connotatiſtæ poſſent & deberent ex dicendis in Corollario totius Diſſertationis. Syllogiſmus à Combinatore propoſitus, ad iſtud fatendum certè Noſtros non cogit. Nego *imò* illi Majorem quia collectio omnium requiſitorum eſſentialium ad eſſe hominis conſtituitur anima rationali, corpore & unione, cùm inter requiſita eſſentialia ad eſſe hominis, ſint etiam corpus & anima, & unio, neq; tamen collectio talis eſt homo, ut declaro ita. Homo eſt totum phyſicum per ſe, ſubſtantiale, purè creatum. Collectio prædicta non eſt totum phyſicum, quia non omnes

illius

illius partes ſecum phyſicè uniuntur: non eſt unum per ſe, quamvis enim aliquæ illius partes faciant unum per ſe, non tamen omnes: non eſt totum ſubſtantiale, quia continet in ſe etiam accidentia, ut actiones productivas & conſervativas, aliam corporis, aliam unionis, aliam animæ rationalis; non eſt purè creatum, cùm inter illius conſtitutiva ſit etiam DEUS, qui eſt eſſentiale requiſitum ad eſſe hominis. Ergo prædicta collectio non eſt homo. Nego *2dò* eidem ſyllogiſmo Minorem, ſive enim præcisè loquaris de anima unita corpori, falſum evidenter eſt, quòd illa ſit homo, eſt præcisè pars hominis, de qua non eſt abſolutè affirmabile, quòd aliis compartibus conſtituatur; ſive loquaris de anima unita corpori materialiter denominativè ſumpta, ſeu de hac denominatione objectiva: *anima unita corpori*, etiam falſum eſt, quod Minor ponit, anima enim unita corpori ſeu denominativè in eſſe unitæ, ſeu denominatio iſta illius etiam concretè ſumpta, quamvis in ſententia Noſtra, conſtituatur animâ & unione, non tamen corpore, cùm corpus neq; ſit ſubjectum iſtius denominationis, eſſet alioqui anima, neq; ſit forma denominationis, aut applicatio formæ, eſſet alioqui unio. Quod dictum de anima, idem proportionatè & accommodè dicendum de corpore unito, & de unione uniente.

200. Quæ deinde ſuperſtruuntur, ſponte concidunt fundamento non ſubſiſtente, falſum enim eſt, imum illud Antecedens: *anima rationalis unita corpori eſt homo*; unde nec Conſe-

quens

quens illatum ſubſiſtit, nec Minor deinde ſubſumpta, ejuſdem argumenti. Qui ſyllogiſmus declarat animam rationalem unitam corpori non eſſe hominem, bene probat falſitatem Antecedentis, neq; à nobis unquam conceſſi, neq; à Combinatore probati, quamvis non ſit omnino in Ceſare. Major enim non eſt omnino & totaliter negativa, quia non negat ſed affirmat hominem eſſe quid compoſitum, & hac parte eſt in Cameſtres. *Ad Confirmationem* dico, mirum eſſe, quòd doctiſſimus Theologiæ Profeſſor propoſitionem: *Perſona Verbi Divini unita humanitati eſt Chriſtus*, concedat eſſe falſam, quæ eſt omnium Theologorum & fidei; quamvis enim Chriſtus ſubinde ſignificet totum hypoſtaticum, ſubinde tamen & ut plurimùm adfert in recto etiam ſolam Perſonam, ut cùm dico: *Chriſtus eſt DEUS*, *Chriſtus eſt Filius DEI*. Nec obſtat, quòd Chriſtus ſit homo, neq; enim inde ſequitur Perſonam eſſe conſtitutam naturâ humanâ & Perſonalitate Verbi, ſed tantùm ſequitur Perſonam Chriſti eſſe ſuppoſitum habens humanitatem, ſeu unitum humanitati, ita ſicut cùm dicitur: *Verbum factum eſt Caro*, *DEUS factus eſt homo*, non eſt ſenſus, quòd Verbum, quòd DEUS, ſit conſtitutum naturâ humanâ, ſed quòd DEUS, quòd Filius terminans Deitatem, factus ſit ſuppoſitum terminans humanitatem, & Perſona naturæ humanæ, carnis, &c.

201. Profert deinde reſponſiones Anticonnotatiſtarum ad ſuum illud argumentum. Reſpondent, inquit, *imò*: quòd illa prædicata: *eſt*

& non

& nõ eſt homo, diverſimodè verificentur de anima unita corpori, ly enim *homo* verificatur de anima unita corpori in ſenſu reduplicativo, id eſt prout unita corpori, ly autem: *non homo* de anima denominativè ſumpta. Cujusnam ex Anticonnotatiſtis iſta ſit reſponſio, me quidem latet: ſcio illam non eſſe Noſtris communem. Communis negat animam unitam corpori, ſeu reduplicativè ſeu denominativè ſumptam eſſe hominem. Nam reduplicatio illa: *anima ut unita*, vel eſt reduplicatio purè materialis, & ſenſus illius eſt, animam rationalem eſſe hominem, quod abſolutè & philoſophicè falſum eſt, quamvis metonymicè dici poſſit ſubinde aliquid ſimile, ut in Eccleſiæ Litaniis dicitur: *S. Petre ora pro nobis*, ubi totum ponitur pro parte, S. Petrus pro anima S. Petri; vel eſt reduplicatio purè formalis, & caderet in entitatē unionis animæ cum corpore, quæ certè non eſt homo; vel eſt reduplicatio concreta, & cadit in concretum ex anima & unione, quod iterum non eſt homo, homo enim ſupponens pro natura humana eſt compoſitum conſtitutum adæquatè, anima, unione, & corpore: concretum autem illud adæquatè conſtitutum anima & unione, non eſt compoſitum conſtitutum adæquatè ex anima, corpore, & unione, quia abſolutè non conſtituitur corpore. Anima quoq; denominativè unita, eſt anima & unio illi ineſſens, illamq; denominans, quorum neutrum ſeorſim, non etiam utrumq; collectivè eſt homo.

202. Contra illam, neſcio cujus, reſpon-

ſponſionem inſtat. Non ſolùm anima entitativè ſumpta eſt immortalis, ſed etiam prout unita, quia per unionem ad corpus non amittit anima, ſua prædicata eſſentialia, unde etiam, cùm eſt unita, cùm importat corpus & unionem in obliquo, adhuc eſt immortalis. Ergo anima prout unita non eſt homo. Reſpondeo tranſeat totum, quia conſequenti oppoſitum non aſſero, neq; aſſerit communis Noſtrorum ſententia. Jam qui utitur iſta reſponſione, quam impugnat argumentũ, reſponderet cum diſtinctione Antecedentis. Non ſolum &c, ſed etiam prout unita, per ly *prout* reduplicando deſignativè animam, unionem & corpus, atq; adæquatum ex iſtis concretum, idq; per ordinem ad prædicatum iſtud: *immortalis*, nego Antecedens; deſignando ſolam unionem vel ſolam animam, vel præcisè animam & unionem, concedo Antecedens. Similiter diſtincto conſequente diceret per ly, *prout* in primo ſenſu deſignari per ordinem ad hoc prædicatum: *immortalis* in Antecedente totum illud concretum, de quo falſum eſt dicere, quòd ſit immortale, & verum eſt dicere: *eſt mortale*, *eſt homo*. Ad rationem pro antecedente diceret, per ly *prout*, reduplicari & animam, & corpus, & unionem, & totum illîs adæquatè conſtitutum, non verò ſolam unionem; deſignari item illa omnia, non ut mera non impeditiva immortalitatis animæ, ſed ut ſubjicibilia prædicato: *homo*, & prædicato: *mortalis*. Vide dicta Diſp: 1. num: 85. Addo etiam per ly *anima ut unita* non idem ſignificari (quod arguens & argumen-

gumen-

gumentum supponit) ac cùm dicitur: *anima cùm est unita;* particula: *cùm* hactenus non est adscita inter reduplicativas, aut illis æquivalentes.

203. Respondent, inquit *2dò*: verificari illa prædicata, secundùm distinctionem realem inadæquatam, quæ suscipit contradictoria, siquidem de anima unita corpori, id est de anima importata in recto, & de corpore & unione importatis in obliquo dicitur, quòd sit homo, quæ omnia certè sunt homo; jam cùm dicitur: *non est homo*, dicitur de sola anima importata in recto, quæ distinguitur inadæquatè ab anima, corpore & unione, illa in recto, his in obliquo importatis. Instat contrà. Illa prædicata dicuntur de solo recto. Ergo &c. Antecedens probatur. Hoc prædicatum: *homo*, non potest dici de corpore, & unione importatis in obliquo, quia rectum prædicati non est verè affirmabile, nisi de recto subjecti, quia rectũ prædicati in omni propositione affirmativa non disjunctiva identificatur recto subjecti. Ergo hoc prædicatum: *homo*, dicitur de solo recto, nempe animâ. Atqui de eodem recto verè etiam dicitur, quòd nõ sit homo. Ergo verificantur de eodem contradictoria. Responsionem istam non approbo, ut jam patet ex dictis. Interim tamen si illa procedit de denominatione formali & complexa, seu de ipso formali subjecto propositionis, est sine dubio falsa, quia denominatio ista formalis: *anima unita corpori*, certò non est homo, est præcisè actus mentalis aut vocalis; si verò procedit de denominatione objectiva, ut substante denomi-

natio-

nationi formali, eſt vera, conſequenter ad doctrinam ipſius oppugnantis traditam combinatione tertia, ponuntur juxta reſponſionem iſtam omnia in recto, facitq; ſenſum reſponſio: *omnia illa collectivè, quæ ſive in recto, ſive in obliquo importantur per terminum iſtum: anima unita corpori, ſunt homo*; atq; ita falsò ſupponitur, quòd per talem reſponſionem ſola anima ponatur in recto, ut ſupponit argumenti ımum Conſequens. Quodſi procedit de denominatione objectiva ſecundùm ſe accepta independenter ab omni reſpectu ad terminum formalem denominantem, reſponſio eſt falſa, quia iſta denominatio adæquatè conſtituitur anima & unione, non conſtituitur corpore, negandumq; toti argumento ſuppoſitum eſt, quòd in taliter ſumpta denominatione & intra illam, vel anima ſit requiſitum, vel unio aut corpus ſit obliquum, cùm iſtæ denominationes recti, obliqui per ipſum oppugnantem, non dentur à parte rei, ex parte objecti, nemine cogitante.

204. Reſpondent, inquit *3tiò*: negando, quòd anima unita corpori ſit homo, licèt enim animâ unita corpori conſtituatur anima, unione, & corpore, quia tamen unum non niſi conſtitutivum dicit in recto, nempe ſeipſam, ideo non eſt homo. quia ly *homo* cùm ſit concretum & compoſitum ſubſtantiale, omnia conſtitutiva importat in recto: jam autem anima unita corpori eſt compoſitum accidentale, dicens in recto animam, in obliquo corpus & unionem. Contrà urget *imò*, quia jam probatum, quòd anima unita

cor-

corpori ſit homo, quia conſtituitur anima corpore & unione. Contra 2dò. Implicat, ut ex iisdem omnino conſtitutivis ſint plura conſtituta, inter ſe non tantùm diſtincta, ſed etiam diverſa, aliàs ſicut inter ſe conſtituta ſunt diverſa, ita quodvis ex illis deberet eſſe diversũ ab omnibus ſuis conſtitutivis. Unde univerſaliter implicant plura cõſtituta diſtincta diverſa, habentia eadem prorſus & identicè conſtitutiva, ſiquidem quæ conſtituta habent unam partem communem, diſtinguuntur inadæquatè, & identificantur inadæquatè. Ergo quando duo conſtituta, non unum, ſed omnia conſtitutiva haberent ſibi identicè communia, tunc deberent ſibi adæquatè identificari. Neq; obeſt, quòd anima rationalis unita corpori dicat duo conſtitutiva in obliquo, quia hoc ipſum non obeſt, ut anima rationalis identificetur omnibus ſuis conſtitutitivis, tam in recto, quàm in obliquo importatis. Satiùs ergo, nè anima rationalis dicatur homo, dicendum, quòd anima rationalis unita corpori non conſtituatur corpore, & unione importatis in obliquo, ſed illa reſpiciat ut eſſentialia requiſita, ſeu connotata, quibus ablatis, eadem anima rationalis non eſſet unita corpori.

205. Reſponſionem approbo, non tamen illius rationem. Nego enim animam unitam corpori etiam denominativè & concretè ſumptam conſtitui corpore. Nego item, quòd anima in recto dicat ſeipſam, dicit illam in recto actus ipsã in recto ſignificans. Nego quòd etiam compoſitum quodcunq; dicat ſuas partes in recto; neq; in obli-

in obliquo dicit, neq; in recto. Nego quòd anima unita corpori ſit compoſitum. Nego quòd ſit accidentale, accidentalitate oppoſita ſubſtantialitati, quia compoſitum tale eſt & dicitur, quod conſtituitur una ſaltem parte, quæ ſit accidens phyſicum. Si eſſet compoſitum, & accidentale, eſſet ad ſummùm accidentale per oppoſitionem ad eſſentiale, quatenus illi contingens eſſet, eſſe unitam corpori.

206. *ima in contra urſio* impugnans ſubſtantiam reſponſionis jam eſt ſoluta paulò ſuperiùs. *2dæ urſioni*, cùm non addatur: *ex iisdem omnino & omnibus conſtitutivis*, nego aſſumptum, nam poteſt fieri, ut iisdem omnino conſtitutivis, duo etiam diverſa conſtituantur, modò non conſtituantur iisdem omnibus: ita duo compoſita ex materia & unione, iisdem omnino, formis autem diverſis conſtituta, ſunt diverſa, habent tamen eadem omnino duo illa conſtitutiva, quamvis non omnia. Sequela etiam quæ judicatur ab oppugnante inconveniens, reipſa non eſt, poteſt enim conſtitutum ab omnibus ſuis conſtitutivis, ſaltem diſtributivè ſumptis eſſe diverſum, ut homo compoſitus adæquatè ex anima, corpore, & unione, eſt quid diverſum, quia ab omnibus & ſingulis differt genere, neq; enim aut anima, aut corpus, aut unio eſt animal; oppoſitum autem ponitur in ſequela illimitatè. Unde dictum univerſaliter, ex dictis non ſubſiſtit univerſaliter, cùm iterum illimitatè proferatur, neq; addatur: *eadem prorſus & omnia*. Enthymema ſubjunctum totum

transfeat; ex eo inferri non poterit, quòd anima unita corpori sit homo, quia nego quòd animæ unitæ corpori & hominis sint eadem omnia constitutiva, ut jam dixi. Illud. *neq; obest*, responsionem meam & communem non impetit, quia nego, quòd anima unita corpori, dicat vel importet aliquid in obliquo, vel recto ex parte rei ipsius.

207. Ad objectionis conclusionem, quæ incipit: *satiùs ergo.* concedo, nè anima rationalis sit homo, dicendum esse, quòd non constituatur se ipsa, corpore, & unione; neq; istud dico: quid dicam, clarè exposui num. 199. Nego autem dicendum esse, quòd illa respiciat corpus & unionem, ut connotata, qualia propugnat objectio, quia ad eum finem, & nulla est necessitas admittendi illa ut requisita essentialia, ac ut connotata, & nullum argumentum Combinatoris persuadet; satiùs non admittendum persuadent similis formæ argumenta, vg. Anima rationalis non requirit essentialiter corpus & unionem, quia etiam naturaliter potest esse sine corpore & unione. Sed anima unita corpori est anima rationalis, neq; enim per hoc, quòd sit unita corpori desinit esse anima rationalis. Ergo anima unita corpori, non requirit essentialiter corpus & unionem. Quod istis ablatis desinat esse unita corpori, non arguit, quòd anima unita corpori requirat illa essentialiter, sed quòd denominatio illius objectiva ista requirat, unionem quidem ut formam sui constitutivam, corpus autem, ut ter-

minum

minum connexionis, quam cum illo habet unio ex communiore sententia, in qua hactenus processit solutio. Admissis etiam connotatis, non est quod oppugnans refugiat dicere animam unitam corpori esse totam quidditatem hominis, & ipsum hominem, nè admissis connotatis multiplicentur sine necessitate hominis constitutiva.

208. Arguit 2.ò Negatis connotatis, aut distincta adæquatè identificantur sibi adæquatè, aut identificata adæquatè uni 3tio non identificantur inter se adæquatè. Petrus enim habens equum, & equus, quem ille habet, distinguuntur à se realiter adæquatè, & tamen & Petrus habens equum, & equus habitus a Petro identificantur realiter adæquatè uni 3tio; quia identificantur adæquatè eidem realiter uni essentiæ, scilicet iisdem omnino constitutivis. Nam Petri habentis equum sunt constitutiva Petrus, equus, & habitio equi; equi etiam habiti à Petro pariter sunt eadem. quod ipsum demonstratur tali syllogismo expositorio: *Hæc essentia, hæc constitutiva: Petrus, equus, habitio, sunt Petrus habens equum. Sed equus habitus à Petro, est hæc essentia, hæc constitutiva: Petrus, equus & habitio equi. Ergo equus habitus à Petro, est Petrus habens equum.* Major, *inquit*, nequit negari ab oppositis, quia omnia constitutiva prædicantur verè de suo constituto, & è contrà. Eadem ratione deducitur, quòd veræ essent sequentes propositiones, à quibus mens Catholica abhorret: *Christus dissimilis Judæ, est Judas dissimilis Christo. DEUS oppositus peccato, est peccatum oppositum DEO.*

209. Etiam hoc argumentum ſicut & illud propoſitum num. 198. non attulit quidquam novi; communis eſt objectio, uno & ſolo illo Syllogiſmo quaſi demonſtrativo aucta. Nego ſequelam argumento. Tranſeat Petrum habentem, & equum habitum diſtingui realiter adæquatè, quia verum equidem eſt, quòd quoad entitates ſuas ita diſtinguantur, non tamen quoad denominationem, tam formaliter, quàm concretè ſumptam, ut conſtat ex toties dictis & repetitis. Nego Petrum & equum identificari adæquatè uni ʒtio, uni eſſentiæ, iisdem omnino & omnibus conſtitutivis. Nego per Anticonnotatiſtas, Petri habentis equum conſtitutiva eſſe Petrum, equum, & habitionem equi; abſolutè Petrus habens equum, quoad ſuam entitatem conſtituitur adæquatè ſuo corpore, ſuâ animâ, ſua unione, in eſſe autem habentis equum, ſua entitate & habitione, non verò equo. Proportionatè de equo habito eſt dicendum. Syllogiſmo illi expoſitorio nego Majorem, cujus innegabilitatem ſua ratio non infert. Nego & Minorem ejusdem argumenti. Nego deniq; futuras veras illas propoſitiones, quas in Tyronum terriculamentum adducunt ſubinde Connotatiſtæ. Satiùs in ſententia illorum verum erit, quòd Chriſtus diſſimlis Judæ requirat eſſentialiter Judam eſſe malum: quòd DEUS oppoſitus peccato, nihilominus eſſentialiter requirat, ut creaturæ peccent. Quomodo DEUS, ſi hoc requirit? quomodo peccato oppoſitus, ſi illud eſſentialiter requirit? quomodo Chriſtus diſſimilis Judæ, ſi eſſentialiter

liter requirit proditionem Judæ? Non esset certè illi dissimilis, si eam ipsi suavisset, quamvis effectu non secuto; quomodo dissimilis, si eam etiam essentialiter requisivit? Si hæc non à Doctissimo Professore opponerentur, & eo quidem, qui in Philosophiæ Cursu Anticonnotatistarum sententiam est professus, dicerem ex Nostræ sententiæ inscitia, objecta esse & objici, sed cùm aliter se res habeat, aliud subesse debet, quod ego non assequor.

210. Respondent *inquit*, (fortassis olim in Philosophia sic ipsemet respondebat,) hoc argumentum esse meram fallaciam, confundentem rectum cum obliquo, nam licèt verum sit, quòd Petrus habens equum, & equus habitus à Petro, habeant eadem constitutiva, nihilominùs rectum unius constituti non est rectum alterius constituti; cùm igitur recta distinguantur inter se adæquatè, ideo falsum est dicere. *Petrus habens equum est equus &c.* Contrà arguit. Licèt sit verum, quòd recta illa non identificentur secum adæquatè, tamen hoc totum constitutum, quod est *Petrus habens equum*, identificatur adæquatè huic: *equus habitus à Petro.* Sicut quamvis corpus & anima distinguantur à se, tamen quia tota essentia hominis est anima, corpus, & unio, ideo omne id, quidquid habet hanc identicè essentiam, est homo, aliàs si non, tunc aliquid distingueretur à se adæquatè. Ergo pariter omne, quidquid habet hanc essentiam, identicè &c; proinde distinctio rectorum impertinenter se habet, cùm

ſtante illa, tam Petrus habens equum quàm equ9 habitus a Petro, eandem prorſus habeant eſſentiam. Ex ipſis etiam terminis videtur abſonum, ut Petrus habens equum, qui eſt adæquatiſſimè animal rationale, conſtituatur equo, adeoq; etiam partialiter ſit equus. Præterea oſtendatur per hanc diſtinctionem rectorum malitia formæ ſyllogiſticæ, per quam deducitur, quòd Petrus habens equum ſit equus.

211. Hac reſponſione non utor in præſenti materia; utuntur interim præcipui quique Authores, atq; inter hos etiam Connotatiſta Pater Ayleworth, qui in Metap. Tract. 2. Diſp. 5. cap. 7. propoſita objectione ſimili iſtis, quas facit oppugnans, dicit num. 106. *Hæc objectio ſi quid conficit, non minùs omnem ſcientiam, quàm hanc deſtruit ſententiam, nec minimùm noſtram de relatione opinionem, quàm receptiſſimam ab ipſis Adverſariis, imò ab omnibus planè ſæculis philoſophandi rationem impetit, &c. &c.* Videatur Author loco citato.

212. Fallacia ejuſmodi objectionum non una eſt. *imò* quòd, quæ per Nos denominationis objectivè vel formaliter, vel concretè ſumptæ conſtitutiva ſunt, illa per objectiones ſupponantur eſſe conſtitutiva rerum denominatarum, quod falſum eſt. *2dò* quòd quibus conſtitui adæquatè aſſerimus denominationem objectivam, præcisè in ſuo ſtatu reali independente à noſtris conceptibus, enuntiationibus, rectis, obliquis, exiſtiment adverſarii conſtitui adæquatè denominationes objectivas, ut ſubſtantes conceptibus, re-

ctis

ctis & obliquis formalibus, ut verificativas propositionum aliqua in recto, & aliqua in obliquo adferentium, & rursus permutantium recta & obliqua. 3tiò quia ex identitate unius constituti cum altero, vel quasi altero constituto arguunt ad identitatem constitutivi cum constitutivo. 4tò supponunt, quod vg. Petrus habens equum, sit eo modo in se, quo repræsentatur in hoc ipso termino: *Petrus habens equum*; quasi verò in se Petrus sit in recto, equus & habitio in obliquo.. 5tò, quòd quæ Nostri ponunt esse constitutiva rei significatæ, aliqua sui parte per rectum, alia sui parte per obliquum, supponant Connotatistæ ista eadem & omnia per Nos esse constitutiva rei significatæ præcisè per rectum formale. 6tò quæ à Nostris tribuuntur rei cum reduplicatione suæ denominationis concretæ vel formalis, illi attribui asserunt rebus materialiter & secundùm suam præcisè entitatem sumptis, quæ omnia falsissimè supponuntur, & aliqua etiam Nostris imponuntur, quasi sint ex eorum doctrina, & quæ illi ultrò fatentur. Istæ fallaciæ omnia ferè argumenta Connotatistarum transcendunt, vel omnes, vel aliquæ.

213 Meæ & communi responsioni insistendo sine recursu ad recta, & obliqua, & ad quoscunq; distinctionum terminos, nego suppositum, quòd constitutum istud: *Petrus habens equum*, sit constitutum hoc alterum: *equus habitus à Petro*. & quòd Petrus habens equum, habeat omnia eadem constitutiva, quæ equus habitus à Petro, sive purè materialiter, sive denominativè sumantur.

Nego

Nego consequenter eandem esse utriusq; essentiam, ut jam toties.

214. Jam sustinendo allatam responsionem, imprimis cùm respondentes dicunt, hoc totum constitutum, quod est Petrus habens equum, identificari adæquatè huic constituto, quod est equ9 habitus à Petro, non alius est sensus, quàm quòd significatum totale istius termini: *Petrus habens equum*, sit significatum totale istius termini: *equus habitus à Petro*, atq; totale illud unius & alterius termini significatum, habeat eandem essentiam, sitq; etiam unum affirmabile de altero, per propositionem, quæ constitutiva illius eodem modo ex parte prædicati repræsentat, quo ex parte subjecti, secus per propositionem, quæ rectum subjecti in obliquum prædicati, & obliquum illius commutat in rectum istius, cùm enim ad propositionis veritatem requiratur non tantùm idem ex parte subjecti, quod ex parte prædicati, vel ex parte prædicati quod ex parte subjecti significare, sed etiã illo modo, ut quæ in re significata sunt idem realiter, ista per propositionem, illiusq; copulam intentionaliter identificentur, aliterq; propositio sit falsa, & cùm ista identitas intentionalis (quamvis non universaliter, regulariter tamen & ut plurimùm, atq; in materia quidditativa etiam universaliter & stante institutione Latini idiomatis) fiat per copulam rei per rectum ex parte subjecti significatæ cum recto rei significatæ ex parte prædicati, fiet, ut propositio ab isto requisito deficiens ob difformem objecto modum tendendi evadat falsa; quatenus non identificata realiter

&

& in ſe identificat intentionaliter, & in ſuo tendendi modo, quo conſequenter fiet, ut ſignificatum unius termini totale ſumptum cum ſignificato copulæ non ſit idem cum ſignificato totali alterius termini. Vide dicta diſp. 1. num. 114. & 115. Non igitur, cùm iſti ajunt, quòd Petrus habens equum ex parte objecti conſtituatur non tantùm entitate Petri, ſed etiam habitione equi, aut etiam ipſo equo, affirmant iſtud de ſolo illo objecto, quod ſignificatur per rectum, ſed vel de totali ſignificato termini: *Petrus habens equum*, vel ſi non de totali, tunc ſaltem de ſignificatis per terminum illum denominativis, hoc eſt, de ſubjecto denominationis, quod eſt Petrus, & de forma, quæ eſt habentia equi, in quocunq; iſta conſiſtat; unde cùm ſermo eſt de tali ſignificato, ut ſubſtat eidem vel alteri termino, non impertinenter ſe habet variatio rectorum, ſed pertinenter omnino, non quidem ad ſubſiſtentiam in ſe denominationis, ſeu conſtituti, ſed ad ſubſiſtentiam veritatis propoſitionum, quibus in ſignificandis rei conſtitutivis utimur vel abutimur, ad conſtruendam in argumento fallaciam, & confuſionem denominationum objectivarum cum formalibus, cùm non occurrat nec occurrere poſſit, quod re ipſa impugnetur.

215. *Ad 2dam inſtantiam* dico ſine dubio abſonum eſſe, abſolutè aſſerere, vel aſſerenti concedere, quòd Petrus ſecundùm id, quod terminus importat præcisè in recto, ſeu quod Petrus habens equum ſit equus, ſed non abſonum eſt aſſerere

vel

vel concedere, quòd iſtud ſignificatum ejusdem ſubjecti, ſeu totale, ſeu præcisè denominativum, partim in recto partim in obliquo ſignificatum, ſit totale ſignificatum termini: *equus habitus à Petro*, partim quod eſt objectum recti, partim quod obliqui, quod eſt conforme doctrinæ, quam ipſe objiciens ponit combinatione 3tia.

216. *Ad 3tiam inſtantiam* dico, quòd fallacia formæ ſecundùm iſtam reſponſionem conſiſtat in æquivoco ſenſu terminorum: *Petrus habens equum*, & *equus habitus à Petro*, quæ detegitur per hanc diſtinctionem: Hæc eſſentia &c. eſt Petrus habens equum, quoad totale ſignificatum iſtius termini, concedo; quoad ſignificatum præcisè in recto, nego Majorem. Sed equus habitus à Petro, ſecundùm ſignificatum præcisè in recto, eſt hæc eſſentia, &c nego; ſecundùm ſignificatū totale, ſeu ſecundùm ſignificatum tam in recto, quàm in obliquo, concedo Minorem. Similiter diſtingui conſequens debet; poſſet & pluries diſtingui idem argumentum, ſecundùm inſinuatas paulò ſuprà fallacias.

217. Ex his omnibus infertur Combinatricem ſententiam, neq; ſubſiſtere in ſuis aſſertis, neq; eſſe verè Combinatricem, ſed prorſus Connotatricem, à ſententia Noviorum Connotatiſtarum, una & ſola illa phraſi: *non tollitur, ſed non denominatur*, differentem, quæ in ſpeciem videtur expeditior ad ſolvenda argumenta Connotatis oppoſita, ſed eſt etiam intricatior.

COROL-

COROLLARIUM
totius Dissertationis.

218. AD calcem Dissertationis deventum est; in qua de sententia Nostrorum Noviorum Connotatistarum disputatum & actum est. *De sententia* inquam, & inquiebam hactenus, *Nostrorum Noviorum Connotatistarum*; neq; enim mihi hoc toto Opusculo res fuit, aut cum Nostris Antiquioribus, aut cum alterius cujusq; Provintiæ (dempto P. Ayleworth) Connotatistis: ab utrisq; Nostri isti Noviores discrepant, atq; imprimis à Recentioribus Connotatistis aliarum Provintiarum, ut colligo ex istis, quæ pro hac fortassis sententia anno 1710. impressit Doctissimus P. Paulus Aler in parte 1ma Philosophiæ tract. 1mo disp: 4. cap: 2do § 6. subsec: 6. Magni Suarez sententiæ subscribens, & multò verisimiliora proferens, salvis quidem, ut ait, regulis partium: *quo solo &c.* Ex dictis verò

219. Constat *imò*, totum Connotatisticæ sententiæ robur consistere in uno illo prætenso principio: *Ad ueritatem propositionis affirmativæ requiritur adæquata identitas recti subjecti cum recto prædicati*, cujus imprimìs insubsistentiam probatam habes Disp: 2. à num. 86. Eodem principio vel quasi principio Connotatistæ in suis argu-

mentis

mentis abutuntur ad impugnanda, quæ per sententiam oppositam non adstruuntur, & probanda, quæ sunt extra statum præsentis controversiæ, ut patet ex recensitis argumentorum fallaciis paulò suprà num 212. Deniq; admisso principio eodem, & in quantocunq; suo robore conservato, imò in virtute illius, Connotatistarum argumenta facillimè & clarissimè unica & sola negatione possunt dissolvi, & sunt dissoluta; ut proinde sententiæ intrinsecam probabilitatem, quantumvis accumulata, nullo modo conciliare possint, neq; enim pro rationibus magni momenti, & quæ virum prudentem meritò movere debeant, haberi possunt argumenta, quorum solutio nullam difficultatem facessit, & adversæ sententiæ principio innixa à Connotatistis impugnari non potest, nisi aut status quæstionis invertatur; aut impugnatione solutionis ipsum illud principium impetatur.

220. Constat 2dò. Connotatum antonomasticè tale ex ipsis & omnibus suis terminis sibi ipsi pugnare, ut Disp: 3. tota quæst: 1. deductum argumentis petitis ex principiis metaphysicis, & Dialecticis clarè & solidè, & per intrinseca Connotatisticæ doctrinæ applicatis: illorum autem solutiones, quas Connotatistæ obtrudunt, imprimis ipsimet principio eorum sententiæ repugnare, totumq; robur convellere, ut toties dictum & probatum: formam deinde solutionum, quas adhibent, eam esse, ut hâc ipsâ eorum argumenta dissolvi possint, prout patet ex responsionibus, quas, quantùm ad methodum & terminos, Connotatisticas appel-

appellavi. Deniq; eædem solutiones versantur in illis principiorum limitationibus, ut nullum ferè ex certissimis notissimisq; principiis relinquatur, quod non penitus convellatur, inutileq; ad probandam rei cujuscunq; impossibilitatem reddatur, siquidem

221. Convellitur *imò* principium: *Quodlibet est, quod est*; nam quodlibet suum constitutivum adæquatum, seu adæquata essentia est, quod sibi est adæquatè identificatum, istud quoq; illa est, idq; semper & in quolibet casu possibili, imò & & impossibili se ipsum formaliter ac immediatè non tollente. Atqui subjectum denominationis, adæquata denominatio, constitutivum illius adæquatum, tota illius essentia, res ipsi adæquatè identificata est, sublato nihilominùs connotato, etiam quod solùm & unicum, permanente subjecto, auferri possibile est, idem subjectũ non est denominatio, non est constitutivũ illius adæquatũ, non est illius essentia, nõ identificatur illi adæquatè; non est igitur, quod absolutè est. 2*dò* convellitur principiũ: *Quodlibet est vel non est*; siquidem in eodem casu denominatio neq; est, quia sublato solo connotato non est, neq; non est, quia tota illius essentia, constitutivum adæquatum &c est. 3*tiò*, convellitur principium: *Implicat idem esse & non esse*; siquidem denominatio subjecti sublato solo connotato & est, quia isto sublato est id, quòd omnino realiter & entitativè idem est cum ipsa, scilicet subjectum denominationis, & non est, quia tollitur. 4*tò* convelluntur hæc principia: *Quidquid adæquatè*

reali.

realiter rei identificatum est, ab illa realiter entitativè separabile non est, illi accidentale non est, illi existenti de novo accedere, illa existente ab illa abesse non potest; nullum extrinsecum est, quod rem ab adæquatè identificatis, separare, avellere possit; istud nè quidem Deus totâ, quantacunq; est, suâ potentiâ efficere valet; nihil proinde extrinsecum rei est, ratione cujus id fieri possit; nihil enim istorum in sententia Connotatistica subsistit, quia denominatio subjecti illi adæquatè identificata est, nihilominus ipsi accidentalis subinde est: ab illa separari realiter entitativè potest: eidem permanente illius existentia, & de novo adesse, & deinde abesse potest: atq; connotatum illi adæquatè extrinsecum tanti est, ut denominationem subjecto existenti non identificatam per suum superveniens esse, identificare adæquatè possit: per suum solius non esse disidentificare, separare realiter & entitativè valeat: omnia hæc ratione illius fieri possunt; ac proinde illud omni DEI potentia potentius est. 5*tò*, & consequenter convelluntur ista: *Quidquid enti accidentale est, quidquid ab illo realiter entitativè separabile est, quidquid illi de novo accedere, vel ab illo abesse permanente illius existentia potest, ab illo realiter entitativè distinctum est*; ut patet in denominatione albi, utiq; vg. Petro accidentali &c. ab illo tamen realiter entitativè indistincta. 6*tò*. convellitur istud: *Quidquid realiter à re distinctum est, eidem realiter adæquatè identificatum non est*; nam albedo vg. adæquatè distincta à Petro, realiter adæquatè identificatur Petro, quia illa sola

la accedente, accedit ipsi, quod ipsi realiter adæquatè identificatum est. Atqui sola albedine illi accedente, nihil ipsi accedit, nisi albedo. Ergo albedo est id, quod illa sola accedente illi adæquatè identificatur. 7mò convellitur principium: *Quæ sunt eadem adæquatè uni tertio, & ipsa realiter adæquatè sibi eadem, seu identificata sunt*; nam Petrus secundùm se, & Petrus connotans albedinem identificantur adæquatè eidem essentiæ adæquatæ, neq; tamen identificantur sibi adæquatè, quia Petrus secundùm se est negabilis de Petro connotante albedinem, ut patet ex hoc syllogismo. Petrus secundùm se non tollitur ablata sola albedine. Petrus connotans albedinem tollitur, sola ablata albedine. Ergo Petrus connotans albedinem, non est Petrus secundùm se. 8vo convellitur istud: *Quidquid convenit uni ex identificatis adæquatè, convenit & alteri*; quia Petrus secundùm se, & Petrus connotans identificantur sibi realiter adæquatè, & tamen non quidquid convenit Petro connotanti albedinem, convenit Petro secundùm se ex immediatè dictis. 9nò convellitur hoc principium: *Implicat novum esse reale existere sine nova reali essentia*; quia denominationes accidentales de novo in Petro vg. existunt, suntq; aliquod ens reale, sine nova tamen essentia denominationũ, cùm nullum novum constitutivum illarum de novo existat. 10mò, convellitur principium: *Implicat, ut res simul habeat denominationes contradictorias repugnantes*; quia talium denominationum tota simul essentia datur, vg. datur entitas Petri, quæ

est

eſt tota eſſentia denominationum albi & non albi. Unde ulterius ſequitur denominationes ejusdem ſubjecti, non tantùm diverſas, ſed etiam contradictorias eſſe eandē entitativè & conſtitutivè denominationem. *imò* convellitur principium iſtud: *Totum non eſt æquale ſuæ parti: illud majus eſt parte: pars minor eſt illo*; ut colligitur ex retorſione data hic num. 126. *Deniq;* ſi quod aliud ex metaphyſicis ſupereſt principium, ruit, quia nullum oſtendi poteſt, quod non alicui ex recenſitis innitatur. Ex hoc autem ipſo

222. Conſtat *3tiò*, aut connotatum implicare, aut nihil prorſus, quod in Philoſophia vel Theologia evidenter implicatorium habetur, implicare. Tum quia nullius poſſibilitas, & tot principiis & adeò clarè contravenit. Tum quia nullum erit, cujus poſſibilitas ſimili modo & forma, quâ in tuenda Connotatorum poſſibilitate utuntur Connotatiſtæ, defenſari non poſſit, conſequenter inconvincibiles futuros, quicunq; ſeu in Philoſophia, ſeu in Theologia, improbabiliſſima, propugnanda tamen ſuſceperint, & probabiliſſima quoq; eſſe aſſertaverint (ut aſſerunt Connotatiſtæ ſuorum Connotatorum poſſibilitatem, eſſe probabiliſſimam, imò certam, etiam de fide &c.) idq; non tantùm, per quandam probandi & propugnandi uniformem methodum, ſed etiam ex præſuppoſita Connotatorum poſſibilitate, per neceſſariam quandam ſequelam. *Sequitur* enimverò nullum abſolutè dari compoſitum ex partibus, ſeu ſubſtantiale, ſeu accidentale phy-
ſicum

ſicum, ſeu etiam aggregatum; ſufficiet enim dari compoſita non ex, ſed nonniſi cum aliis entibus, adæquatè conſtituta tantùm uno aliquo conſtitutivo, reliquas vero entitates, quæ pro conſtitutivis habentur, purè connotantia, ſufficiet vg. quodlibet ex iis, quæ appellantur compoſita ſubſtantialia, eſſe materiam imam ſubſtantiali formæ unitam: hominem eſſe corpus animatum anima ſenſitiva, & rationali, vel eſſe animam rationalem unitam corpori compoſitum accidentale eſſe ſubjectum unitum formæ accidentali: compoſitum numerale vg. ternarium, eſſe unitatem connotantem duas alias unitates: denarium eſſe unum connotans novem alias unitates: univerſum ipſum eſſe unum vg. omnium creatorum entium perfectiſſimum. connotans omnia alia creata exiſtentia: non ſunt enim multiplicanda conſtitutiva ſine neceſſitate, nam cùm iſta omnia per compoſitionem ex uno reliquorum connotativam ſalvari poſſint, ſuperfluè ad conſtitutiva & conſtituta recurritur. *Sequitur* ulterius ex hoc ipſo, Connotatiſtas ſupervacaneè & quodammodo non conſequenter ad aſſertam connotati poſſibilitatem, admittere concreta ex partibus conſtituta *Sequitur* deniq; quamlibet rem habere, imò eſſe ſibi denominationes, quotquot habere poteſt, cùm in uniuscujusq; entitate contineatur omnium denominationum eſſentia; quodlibet eſſe quidlibet ratione ſui; nihil in ſua entitate generari, nihil corrumpi, ſed ad ſummum ratione alterius adæquatè diſtincti; hominem ratione ſui eſſe immortalem, eſſe incor-

ruptibilem; denominationes, nullas dari præter metaphysicas, utpote realiter adæquatè subjecto denominato identificatas, & sexcenta alia.

223. In fide quoq; & Theologia *Sequitur* DEUM non esse ens summè in existendo necessarium, si enim non potest perire ratione sui, toties tamen ratione alterius interit, quoties aliquam denominationem, ratione pereuntis connotati amittit. *Sequitur* illum non esse intrinsecè immutabilem, quia nunc adæquatè identificatur huic denominationi, quam habet, nunc istam identitatem amittit, prædicatum utiq; omnium aliorum intrinsecissimum. *Sequitur* eundem non esse in Personis constitutivè trinum, sed esse solum Patrem connotantem Personas Filii & Spiritûs S. *Sequitur* eundem Deum per essentiam suam adæquatè ut Deum, ita creantem esse; actualem esse omnium, quæcunq; creare potest, Creatorem; cùm istius denominationis adæquatum sit sibi ipsi constitutivum, adæquata essentia. *Sequitur* Christum esse solam Verbi Personam, & purè Deum, quæ unionem cum natura humana connotat, & hanc ipsam, imò quamlibet Personam, cum qualibet assumptibili creatura totum hypostaticum esse, cùm omnia jam sint constitutiva totius hypostatici. *Sequitur* eundem non fuisse mortuum, cùm quidquid fuerit, esse permanserit ablata unione; non fuisse substantialiter à Divinissima sua Parente generatum, eam consequenter veram illius Matrem non fuisse, nam quod unus è Connotatistis asserit fuisse Matrem ratione communi-

catæ materiæ, hoc ad esse Matris non sufficit sine alia productione entitatis & substantiæ Filii constitutivæ, nam & in Divinis communitas sola naturæ ad rationem principii communicativi per omnes Theologos non sufficit, alioqui ob communem omnibus naturam, non potiùs Pater dicendus esset communicare naturam Filio, quàm Filius Patri: & lignum diceretur producere ignem, qui fit ex ligno, nam communem habet materiam. *Sequitur* merita Christi non intrinsecè, sed ad summùm connotativè esse infinita, valoremq; illorum non constitui dignitate Personæ, sed hanc tantùm connotari ab illo &c. *Sequitur* hominem vel gratiam esse causam adæquatam actûs salutaris, alterutro tantùm connotante actum salutarem; merita hominis justi non dignificari constitutivè per gratiam, sed connotativè ad summum; hominem esse justum, esse Filiũ Dei adoptivum, esse peccatorem, per denominationem illi adæquatè identicam; nullam dari denominationem illius, quæ sit entitativè supernaturalis; actum fidei saltem naturalem esse hæresim, qualis esset in casu sui objecti non revelati, & revelati contradictorii, jam enim habet totam in se essentiam hæresîs; Sacramenta, solâ constitui materiâ formam connotante vel è contra; consensum in Matrimonio etiam fictum & mendacem sufficere ad esse Sacramenti, quia habet totam essentiam actûs veri; & innumera alia.

224. Constat deniq; ex prædictis, quàm de Philosophia ac Theologia malè mereatur Noviorum

viorum Connotatiſtarum noſtrorum ſententia, utramq; ferè totam invertens: quàm procul conſequenter diſtet ab eo, ut ſit ad expediendas Philoſophiæ ac Theologiæ difficultates idonea. quàm multùm abſit à ſententia verè intrinſecè probabili: &c. &c. non tot, quin plura; omnia & ſingula.

Ad Majorem DEI Optimi maximi Gloriam, & Diviniſſimæ Parentis ſine labe Conceptæ Honorem.

